CHRISTUS

ALPHA ET OMEGA

SEU

DE CHRISTI UNIVERSALI REGNO

AUCTORE FRATRE MINORE PROVINCIÆ FRANCIÆ

EDITIO ALTERA

IMPRIMATUR :

Aureliæ die IV^a Augusti 1909,
In solemnitate S. P. N. Dominici.

FR. COLUMBANUS-MARIA DREYER, O. F. M
Provinciæ Franciæ Min. Prov.

IMPRIMATUR :

† Josephus CAPPETELLI, Patr. Constant.
Vicesgerens.

Romæ, die X^a Octobris 1909,
Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P.
S. P. Ap. Magister.

DE CHRISTI REGNO UNIVERSALI

> « In commendando Christum malo excedere quam deficere a laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterutrum incidere. » (B. Scotus, III, Dist. XIII, q. 2, Litt. 4.) — Jam Aug. (De lib. arb. L. 3) : « Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, scias Deum fecisse magis, quam non fecisse (in Christi humanitate). »

Quod regnum hisce propositionibus fulcitur :

Christus est primogenitus creaturarum, ita ut, videlicet, prior sit omnibus creaturis prædestinatus prioritate intentionis ;

Est causa finalis creationis Christus (1).

Nota, benigne lector, quod hic non agatur de controversia pure scholastica quae non redundat nisi ad triumphum cujusdam Doctoris. Absit ut talibus nugis teratur tempus! Quod ut clarius pateat duo notanda sunt : 1° multiplex error sub titulo *libertatis* centum abhinc jam annis nationes diversas vastabundus serpit. Quem Pius Papa IX in perpetuum notaverat his verbis : « Ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac detestabilem teterrimamque indifferentismi pestem propagandam ac sanctissimam nostram Religionem convellendam admittitur liberum cujusque cultûs exercitium et omnibus quaslibet opiniones cogitationesque palam publicèque manifestandi plena tribuitur potestas (2). »

1. Quamvis Christus causa finalis implicare videatur Christum primogenitum creaturarum, utraque propositio enuntianda venit quia adsunt theologi qui Christum causam finalem prædicant dum ipsum post alias creaturas a Deo decretum affirment.

2. Allocutio in consistorio secreto 15 Dec. 1856 habita. Quam condemnationem sic notat *Syllabus* : « Falsum est civilem cujusque cultus liberta-

Hæc libertas, quæ serpentino gressu in modernismum devenit, prædicari nequit nisi evertatur auctoritas Dei. Ipsius origo et fons est hæc pessima propositio : « Homo Dei imperio ac potestati nullo modo subjicitur. »

Sed votum Davidis semper adimpletur et impietas, quæ, ut arcus confractus in manibus peccatorum inanis evadit contrat Deum, fit « gladius qui intrat in corda ipsorum (1).»

Etenim 2°, Deo ita expoliato, status Reipublicæ omnium jurium origo et fons prædicatur et, *Socialismi* titulo, multi jam nefarii homines « omnia legitimæ cujusque proprietatis jura invadere, destruere contendunt, ac perperam animo et cogitatione confingunt et imaginantur jus quoddam *nullis circumscriptum limitibus* quo reipublicæ statum pollere existimant, quem omnium jurium originem et fontem esse temere arbitrantur (2).»

Hoc periculum, quod universim gentibus imminet, a priore errore dimanat et proinde huic verborum impietati respondendum venit. Sed error impugnatur et vincitur, veritate contraria integrè et præcisè promulgata. — Quænam est hæc veritas ? — Si Christus est principium et finis creaturarum, hæc veritas hisce verbis enuntianda erit : « *Homo Christi potestati subjicitur.* »

Quanti sit momenti hæc investigatio nullus non videt cum ex ipsius solutione remedium inquirendum pro malis grassantibus per nationes et contra calamitates populis imminentes pendet.

Unus est hujus opusculi scopus ut videlicet recitentur verba sive theologorum sive Patrum qui hanc rem suo momento ponderaverunt.

tem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opinione cogitationesque palam publicèque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam. » LXXIX.

1. Ps. XXXVI, 15.

2. Pii PP. IX allocutio in consistorio 9 Junii 1862. « Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripta limitibus. » (Syllabus, XXXIX.)

Imprimis præcipuos theologos qui hanc quæstionem instituerunt in medium afferam, ut unusquisque principium et occasionem controversiæ indagare possit. Deinde recitabo Patres quorum auctoritate controversia dirimenda videtur. Tertio denique citabo theologos et scriptores qui sæpius, marte cæco, unusquisque suam defenderunt thesim.

PARS PRIMA

DE PRÆCIPUIS THEOLOGIS QUI ÆVO SCHOLASTICO HANC QUÆSTIONEM INSTITUERUNT.

Hujus quæstionis dilucidandæ causâ, juvabit *breviter* notare quænam fuerit scriptorum ecclesiasticorum de hâc re sententia, qui, jam ævo scholastico appropinquante, duodecimo videlicet sæculo, floruerunt. Nam de his postea fusius.

Wernerus, *Abbas*, (1126) (1) et *S. Bruno Herbipolensis Episcopus* (1130) videntur propugnare Primatum Christi.

Rupertus abbas (1135) multis locis, multisque modis Primatum Christi propugnat et expressè affirmat, Adamo non peccante, Verbum in carne impassibili incarnandum fuisse.

S. Bruno Episcopus Signiensis (1441) multipliciter prædicat Primatum Christi.

Hugo de S° Victore (1142) affirmat Christum ligno vitæ etc. præfiguratum fuisse.

B. Amedeus Episcopus Lausan. (1149) propugnare videtur Primatum Christi.

Ven. Hervæus, mon. Burgidolensis (1149), dicit Christum fontem gratiæ pro Angelis et pro hominibus.

Honorius Augustodunensis ex professo tractat de quæstione et dicit Incarnationem decretam fuisse priorem aliis creaturis.

S. Bernardus abbas Clar. (1155) multis modis Primatum Christi prædicat.

1. Numerus post nomen scriptoris indicat quo anno mortuus fuerit. Si duplex est numerus, primus annum nativitatis, secundus obitûs indicat.

Ernaldus, Bonæ Vallis abbas (1156). Idem dicendum de hoc scriptore.

Ven. Petrus abbas Cluniac. (1158) videtur Primatum Christi propugnare.

Petrus Lombardus (1160) non ex professo quæstionem tractavit, sed dicit prædestinationem esse præparationem gratiæ *Christo et omnibus quos præscivit* (*Decr.*) conformes fieri imagini *Filii sui*; et « *Christum esse caput hominum et angelorum* » etc. Quæ dicta Primatum Christi prædicare videntur.

Hugo Episc. Rothom. (1164) gratiam a Christo Angelos accepisse dicit; Primatum ergo propugnat.

Ven. Gerhohus Præpos. Reicherspergiensis (1169) explicite Christum prædestinatum fuisse fundamentum angelorum dicit.

Ricardus a S. Victore (1173)
Bandinus (1175)
Petrus Comestor (1179)
Arnulphus (1184)
Sa Hildegardis (1180) videntur prædicare Primatum Christi.

Adamus Scotus Præmonstratensis (1880) docet angelos a Christo accepisse gratiam.

Petrus Cellensis, Episc. Carnotensis (1187), multifarie prædicat Jesum fuisse salvatorem Angelorum.

Philippus de Harwig, Abbas Bonæ Spei (1187). Idem dicendum de Philippo ac de Petro Cellensi.

Gilbertus Episcop. Londoniensis (1187) prædicat Christum fuisse caput et principium omnium Dei operum.

Henricus S. R. E. Cardinalis (1188) dicit Christum per charitatem confirmasse ordines angelorum.

Thomas Cisterciensis (1189) dicit « Incarnationem inebriare angelos... redimere mundum ».

Nicetas Choniates (1200) de Christo interpretatur Prov. VIII, 22.

Petrus Blesensis (1200) eumdem dicit esse Salvatorem hominum et angelorum.

S. Martinus Legionensis (1201) præclare propugnat Primatum Christi.

Alanus insulensis (1202)
Absalon ab Spinchirbach (1203)
Petrus de Riga (1208)
Sicardus (1215)
Innocentius III (1216)
Jacobus monachus (XII sæc.)
Petrus Capuanus (XII sæc.)
Hermanus Werdinensis (XII sæc.)
Simeon archiep. Thessaloni (XII sæc.) propugnant Primatum Christi.

Ecclesia Orientalis prædicat in *Ephemeridibus figuratis* Revelationem Incarnationis fuisse occasionem pugnæ Angelorum ; ergo triumphi bonorum et ruinæ malorum.

Concludendum ergo : sæculo duodecimo, Ecclesia universalis quin Primatui Christi adversetur ore fere uno hunc proclamat. De hâc re non omnes fortasse scriptores tractant sed nullus est — saltem quem notum habere potui, — qui ipsi contradicat.

His dictis, agendum est de præcipuis theologis qui ævo scholastico hanc quæstionem instituerunt.

Attamen duo sunt prænotanda :

1° Hisce verbis quæstio agitata fuit in schola : « *Utrum si Adam non peccasset* Verbum incarnatum fuisset. »

Sed advertè *In hâc controversia non disputari de possibili sed de facto* : « Hujus autem rei gratia notandum est quæstionem non esse quid posset Deus facere circa hoc mysterium si Adam non peccasset sed quid revera facturus esset ; quod in schola dici solet quæstionem non esse de possibili sed de facto. » Vasquez, In 3 P., Disp. XI. « Quæstio igitur in eo tota est : utrum in præsenti rerum ordine ac virtute præsentis decreti, redemptio humani generis a peccato ita sit motivum totale et adæquatum Incarnationis, ut si Adam non peccasset, nec

homo redimendus foret a peccato, Christus non venisset. » (Tournely, De Inc., q. 6ª, Art. 1).

2° *Utramque sententiam dictam fuisse probabilem* quamvis Thomistæ *suam dicerent probabiliorem* : « Nullus hactenùs scholasticorum aut inutilem esse hanc controversiam aut quidquam in ea definire temerarium existimavit, ut aliqui recentiores theologi falso imputant Richardo et Gabrieli ; illi enim... solum docent utramque opinionem tam Scoti quam S. Thomæ probabilem esse ; tamen sententiam Doctoris sancti (Thomæ) doctrinæ et sensui Patrum multo magis congruentem» (Vasquez). « Utrique (Thomistæ et Scotistæ) pluribus hinc inde argumentis pro sententia propria sic disputant, ut sentiant nihilominus contrariam sententiam esse probabilem. » Greg. de Valentia in 3 p., disp. 1, q. 1, punc. 1.

His notatis, recitabimus præcipuos theologos.

1° B. ALBERTUS MAGNUS, divi Thomæ magister, (In III S., Dist. XX, art. IV.) Utrum si homo non peccasset Filius Dei incarnatus fuisset.

« In hac quæstione solutio incerta est ; sed quantum possum opinari, credo, quod Filius Dei factus fuisset homo etiamsi nunquam fuisset peccatum ; nec tamen factus fuisset angelus ; quia angelus non est unibilis ex natura sicut homo ut supra ostendimus ; tamen nihil de hoc asserendo dico, sed credo hoc, quod dixi *magis concordare pietati fidei.*

Idem Beatus Christum dicit caput angelorum : In III' Dist. XIII, Art. 2.

« Caput habet tria in comparatione ad corpus : quorum unum est virtus, quæ principium est effective influens virtutem sensûs et motûs... 2um autem est id quod anima formaliter influit membris assimilando ea sibi in virtute sensitiva influxa, quæ quasi formaliter adhæret membris. Tertium autem est conformitas naturæ cum membris. Et sic tripliciter considerari potest caput spirituale, quod est Christus. Si autem consideretur ut principium influens effective tantum, tunc est caput

omnino secundum Deitatem. Si autem ut est principium effectivum, et assimilans sibi per aliquod, quod influit, quod est ut forma, sic est caput Beatorum et existentium in gratiâ, quibus influit quasi similitudinem suæ vitæ, et sui motûs, et sui sensûs in donis perficientibus intellectum et affectum. Si autem 3° modo consideretur, tunc est caput hominum tantum. »

2° ALEXANDER ALENSIS, S. Bonaventuræ magister, (Sum. theol., dist. III, q. III, Mem. XIII) : « Consequens est quærere de convenientia Incarnationis si non fuisset natura lapsa per peccatum, utrum, scilicet, esset ratio vel convenientia ad Incarnationem. Et ostenditur quod sic.

« Dixit Dionysius : Bonum est diffusivum sui esse, sicut nos dicimus quod in divinis Pater diffundit suam bonitatem in Filium per generationem et ab utroque est diffusio in Spiritum Sanctum, scilicet, per processionem ; et hæc diffusio est in Trinitate et hæc est summa diffusio, creatura non existente. Ergo si summum bonum, existente creatura, non se diffundit in creaturam, adhuc erit cogitare majorem diffusionem, quam diffusionem ejus. Si ergo ejus debet esse summa diffusio quia est summum bonum, convenientius quod se diffundat in creaturam ; sed hæc diffusio non potest intelligi summa nisi ipse uniatur creaturæ ; ergo convenit quod Deus uniatur creaturæ... Ergo posito quod ipsa non esset lapsa, adhuc ei uniretur summum bonum.

« Item : non est beatitudo nisi in Deo et creatura rationalis tota est beatificabilis ; sed creatura rationalis quæ est homo habet duplicem cognitionem scilicet sensitivam et intellectivam et habet delectationem in utraque. Si ergo tota est beatificabilis ergo et secundum sensum et secundum intellectum ; ergo oportet quod in Deo beatificetur quantum ad utrumque. Sed in Deo secundum se considerando et in propria natura non potest beatificari sensus sed solus intellectus, quia non beatificatur vel delectatur sensus nisi in sensibili solum sive in eo quod corporale est. Si ergo totus homo debet

beatifiari in Deo, oportet Deum esse corporalem et sensibilem. »

3° ROBERTUS, LYNCONIENSIS EPISC. (Grosse Tête) (1253), plurima edidit quæ remanent manuscripta. In tractatu *De cessatione legalium* propugnat primatum Christi. Petrus de Candia, O. M., in Lib. Tert. Sententiarum Artic : *Utrum beatissimæ Incarnationis ultimata ratio et præcisa fuerit humani generis relevatio ad pristinam dignitatem* sic ponit sententiam Roberti quam acriter impugnat (1). Quæ expositio, quamvis argumentis rationis plus æquo quandoque probandi vim præbeat, typis mandanda integre videtur, ut præsto sit desiderantibus.

Tractatus *De cessatione legalium* Primatum Christi propugnat 16 rationibus et sic procedit, ait P. Petrus a Candia (Alexander V).

1° De ratione formali bonitatis est quod se extendat in utilitatem omnium illorum quæ possunt contingere, quæ valent conditionem bonitatis participare ; juxta illud Dyonisii : Bonum est sui ipsius diffusivum. Cum igitur Deus sit summa virtus, summa sapientia, summa potentia, imo majus bonum quod a nobis possit excogitari sequitur quod ex sua ratione tendit in utilitatem omnium, quantum possunt, quæ valent suæ bonitatis conditionem participare ; nam si potest se extendere in majorem utilitatem rei et non facit, non videtur quod sit summa et perfecta bonitas ; sed rerum universitas est capax hujusmodi boni quod est hominem esse Deum ; nec ista capacitas provenit universitati rerum ex lapsu hominis : sequitur quod hoc bonum universitati rerum Deus influxisset, dato etiam quod homo non peccasset. Consequentia patet. Sed minor ista bimembris quoad 1am partem apparet, nam de facto rerum universitas habet hoc bonum, quod est Deum esse hominem. Sed 2a pars probatur, quod ex lapsu non habeat

1. Textus qui hic editur, a R. P. Ferdinando O. M. ex amicitia pro nobis transcriptus, in bibliotheca municipii Burdigalensis assevatur. Invenitur etiam Parisiis. Bibliothèque nationale. Nouvelles acquisitions, mss. latins, 1467.

hujusmodi capacitatem, quia capacitas boni magis respicit naturam integram ; si ergo universitas rerum fuit capax hujusmodi boni pro statu corruptionis, a fortiori fuit capax pro statu integritatis ; non igitur hæc capacitas provenit universitati rerum ex lapsu hominis : quod est propositum ; et per consequens, ut prius, ex quo lapsus nihil facit ad capacitatem hujusmodi boni, sequitur quod summa bonitas tendat ad utilitatem universitatis rerum quantum ipsa rerum universitas capax est, quod etiam hoc bonum quod est Deum esse hominem, universitati rerum dedisset, etiamsi homo non peccasset : quod est propositum.

Præterea, nihil merè privativum seu negativum est causa alicujus meri positivi ; sed lapsus hominis est purè privativus et unibilitas (1) naturæ humanæ ad Verbum est purè positivum ; igitur lapsus hominis nullo modo fuit causa unibilitatis naturæ humanæ ad Verbum et per consequens iste lapsus fuit indifferens ad Incarnationem Verbi ; igitur dico quod, si non fuisset lapsus iste, non minus Filius Dei carnem sumpsisset. Consequentia patet. Et major apparet, quoniam non est causa non est entis ut sic. Et minor pro qualibet sui parte apparet, nam pro prima parte notum est quod omne peccatum mortale, ut sic, purè privativum est ; et pro alia parte apparet quod unibilitas talis fuit maxima exaltatio generis humani, quare bonum aliquod.

Præterea ponamus quod homo non fuisset lapsus ; tunc quæro : aut universitas rerum fuisset ita bona sicut nunc est, aut non; si sic, habetur propositum, quia tunc omnis conditio bonitatis reddens universitatem rerum perfectiorem quam nunc pro tunc fuisset ; cum igitur hæc conditio, quæ est Deum esse hominem, reddat pro nunc universitatem rerum perfectiorem quam si non esset, sequitur et, si pro tunc rerum universitas fuisset æque perfecta (2) sicut nunc est, quod consimiliter

1. Cod. *universitas.*
2. Cod. *perfectum.*

bonum hujusmodi habuisset, videlicet quod homo est Deus et e contra. Si dicatur quod non esset æque perfecta; contra : ex hoc sequitur quod nunc universitas rerum est incomparabiliter perfectior quam pro tunc foret; quod videtur absurdum. Et consequentia probatur : quoniam hominem esse Deum est majus bonum quam quodcumque creatum quod nunc est in rerum natura et per consequens si infiniti mundi essent, illi incomparabiliter excederent universitatem rerum quæ fuisset sine isto bono quod est Deum esse hominem ; igitur et nunc hæc universitas quæ continet bonum æquivalens infinitis bonis incomparabiliter universitatem quæ est sine isto bono excedit. Sed absurditas consequentis probatur, quia non videtur quod integritas universi debeat esse impedimentum quare, si homo non peccasset, illud bonum non provenisset; igitur, si hoc bonum provenit universitati rerum stante lapsu, a fortiori provenisset, salva naturæ integritate : quod est propositum.

Præterea, Deus est summè largus, a quo relegata est summè omnis invidia ; igitur si non defuit universo quoad perfectionem inferiorum specierum, sequitur etiam quod nunquam defuisset eidem universitati quoad conditiones quæ reddunt ipsam universitatem perfectiorem ; sed pro complemento universi produxit species muscarum, scorpionum et aliorum reptantium super terram ; igitur, sicut fuit largus in complendo ipsarum rerum universitatem in minimis, a fortiori largus in implendo ipsarum rerum universitatem in maximis. Cum igitur maximum bonum quod potuisset universitati rerum pervenisse, sit quod Deus sit homo et homo Deus, sequitur quod, quam Adam non peccante universitas fuisset perfecta quoad productionem inferiorum specierum, ut puta muscarum et similium, tam ipso non peccante fuisset universitas perfecta quoad sui maximam perfectionem, quod est Deum esse hominem et e contra. Non igitur lapsus hominis fuit quovis modo incarnationis causa principalis : quod est propositum.

Præterea contra eamdem positionem videlicet quod hominis redemptio fuerit causa incarnationis, arguitur sic : Dato quod homo non peccasset adhuc ratio capitis fuisset in Ecclesia non solum secundum naturam divinam sed etiam secundum aliquam naturam assumptam, quia Ecclesia non fuisset acephala ; sed nulla est convenientior natura, secundum quam Christus sit caput Ecclesiæ, quam humana, cum secundum illam habet unde possit dici caput angelorum et hominum, ex quibus consistit totum corpus Ecclesiæ tam militantis quam triumphantis simul ; ergo, cum Ecclesia, dato quod Adam non peccasset, fuisset nec fuisset sine capite, cum non sit conveniens ipsam imaginari acephalam, sequitur quod adhuc Christus incarnatus fuisset ; igitur non sola redemptio generis humani fuit incarnationis causa ; igitur etc.

Præterea ex Incarnatione non solum provenit homini redemptio, sed etiam auxilium ad meritorie operandum ; igitur dato quod homo non peccasset, adhuc Christus incarnatus fuisset non ad redimendum sed ad porrigendum auxilium meritoriè operandi. Consequentia et major patent. Sed probo minorem. Quoniam tantæ vel majoris difficultatis est mendicare seu acquirere sibi bonum infinitum sicut satisfacere pro offensa quod est contra bonum infinitum ; sed homo non poterat satisfacere pro offensa sine Deo homine mediatore ; igitur nec potuisset meritoriè operari sine Deo homine coadjutore ; et per consequens, dato quod homo non peccasset, adhuc homo indiguisset auxilio meritoriè operandi et per consequens Christus incarnatus fuisset. Igitur etc.

Præterea ex Incarnatione sumus non solum redempti, sed etiam Dei filii adoptivi : sed dato quod homo non peccasset, adhuc fuissemus filii Dei adoptivi ; igitur dato quod homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset. Consequentia ista patet et minor probatur ; quia adhuc, si Adam non peccasset, indiguissemus gratia adoptionis ut filii Dei vocaremur. Sed majorem probo : nam quæro, quid concurrat ad rationem adoptivæ filiationis ? Non

videtur quod sola conformitas voluntatis adoptantis et adoptati, quia sic homo posset habere angelum in filium adoptivum ; igitur ultra hoc requiritur similitudo specifica adoptantis cum adoptato ; sed secundum divinam naturam non est Filius Dei similis in specie cum hominibus : igitur, cum pro tunc fuissemus filii Dei adoptivi, sequitur quod et tunc Christus fuisset nobis similis secundum naturam, et hoc non potuisset fuisse nisi secundum naturam humanam ; igitur sequitur quod, dato quod Adam non peccasset, non minus Filius Dei humanatus fuisset. Ut sic possit ratio confirmari : quandocumque aliquæ conditiones concurrunt ad aliquem effectum, quarum quælibet est sufficiens ad ponendum istum effectum, ex remotione unius istarum causarum non removetur iste effectus ; sed ad hoc quod Christus incarnetur, non solum concurrebat nostra redemptio, sed etiam filiatio, adoptio, meritorum promotio ; igitur, dato quod non indiguissemus redemptione, tamen indiguissemus aliis quod adhuc Christus incarnatus fuisset, postquam nos ad regnum ordinavit, sine cujus adjutorio non potuimus consequi regnum vitæ.

Præterea, posito aliquo quod non est de ratione alterius vel remoto, non minus illud ad cujus rationem tale quid non intrat : sicut, posito vel remoto asino, non minus esset homo, cum ad hominis rationem asinitatis conditio minime requiratur ; sed sacramentum matrimonii et peccatum hominis sic se habent quod sint ad invicem impertinentia ; igitur, posito peccato primi hominis vel non posito, non minus sacramentum matrimonii fuisset nam et hoc fuit prophetatum ante hominis lapsum, cum dixit Adam in mulieris formatione : propter hoc relinquet homo patrem et matrem et coadhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una ; sed matrimonium est signum humanitatis cum deitate et ipsius Christi cum Ecclesia ; igitur, cum hoc sit de ratione sua ut est sacramentum, dato quod homo non peccasset, adhuc fuisset signum hujus duplicis conjunctionis. Vel ergo fuisset signum

verum vel falsum : quia in sacramentis nulla falsitas reperitur ; si vero verum, habetur propositum, quod adhuc, data quod homo non peccasset, non minus Filius Dei incarnatus fuisset.

Ulterius arguitur contra præmissam positionem per alias 4^{or} rationes et primo sic : Completa beatitudo hominis non est sequela criminis parentalis ; igitur dato quod Adam non peccasset, non minus fuisset homo complete beatus. Consequentia patet et assumptum similiter. Et tunc ultra : cum igitur ad beatitudinem completam hominis requiratur perfecta quietatio omnium suarum potentiarum, sequitur quod, excluso crimine parentali, adhuc quælibet potentia hominis fuisset quietata, et per consequens tam visiva quam gustativa et sic de aliis ; cum igitur perfecta quietatio potentiæ proveniat ex conjunctione sui cum suo objecto vel cum illo qui supplet æque vel magis perfectè vicem sui objecti. Sequitur quod in illo statu fuisset cujuslibet potentiæ ad suum objectum vel ad æquivalens perfecta conjunctio ; ubi igitur talis conjunctio nullam ponit deformitatem, non videtur quare objectum proprium non esset respectu suæ potentiæ ; nunc autem objectum potentiæ visivæ applicatum sibi nullam dicit deformitatem, sicut est in gustativa vel generativa ; igitur videtur quod habuisset in beatifico statu rationalis creaturæ tale objectum visibile ; nec videtur modus perfectior quam quod nobilissima creaturarum corporalium esset deitati unita ; talis autem est humana natura; igitur rationabile videtur quod, esto quod primus parens non peccasset quod adhuc Filius Deī ad complete beatificandum hominem humanatus fuisset. Et ista videtur expressè sententia Augustini, in lib. de spiritu et anima, dicentis : Duo si quidem sunt in homine sensus unus interior et alius exterior et uterque bonum suum habet in quo reficitur, sensus interior reficitur in contemplatione deitatis, sensus vero exterior in contemplatione humanitatis : propterea enim Deus homo factus est ut hominem totum in se beatificaret et tota conversio homi-

nis esset ad ipsum et tota dilectio hominis esset in ipso, cum a sensu carnis videtur per carnem et a sensu mentis per divinitatis contemplationem ; et hoc erat totum bonum hominis, ut, sive ingrederetur sive egrederetur pascua in suo factore inveniret, pascua foris in carne Salvatoris, pascua intus in divinitate creatoris. Hæc ille. Ex quibus verbis manifeste colligitur, quod de mente beati Augustini fuit, quod adventus Salvatoris in carne non fuit solum propter generis humani redemptionem. Igitur...

Præterea, dato quod homo non peccasset adhuc rerum universitas sua perfectione non caruisset ; cum igitur tunc unumquodque perfectum est cum suo fini natum conjugi vel secundum naturam propriam, vel secumdum naturam suam similitudinem continentem unitur (1), sequitur quod, dato quod homo non peccasset, adhuc fuisset præmissa conjunctio subsecuta ; et cum non videatur rationi consonum, ut omnes naturæ simul uniantur suo fini (2) unione hypostatica et reali, sequitur, quod sufficit, quod hæc unio fiat secundum naturam omnium creaturarum similitudines continentem ; nulla autem (3) alia videtur creatura omnibus creaturis similior nisi humana natura, juxta illud, quod dicit beatus Gregorius in homilia de Ascensione, quod nomine omnis creaturæ homo intelligitur, propterea quia habet aliquid commune cum simul creatis, esse cum lapidibus, vivere, etc. ; igitur sequitur quod sola redemptio humani generis non fuit præcise causa incarnationis ; universitatis creaturarum perfectio igitur, etc.

Præterea universum, prout etiam Deum includit, habet aliquam unitatem ; sed quanto aliquid imaginatur perfectius, tanto consequenter est sua unio perfectior ; cum igitur universum ut sic, perfectius sit specie bovis vel asini, sequitur quod unitas universi est perfectior quam

1. Deest *unitur*.

2. Cod. *fine*.

3. Deest *autem*.

sit unitas bovis vel asini. Et tunc ultra : cum autem unitas, quæ reperitur in asino et bove, sit numeralis vel specifica vel generalis sequitur, quod unitas universi debet esse istis unitatibus perfectior ; nunc autem universum, prout includit Deum, non habet unitatem specificam, nec similiter unitatem generis, quia Deus non est in aliquo genere cum creatura ; igitur ad connexionem universi oportet imaginari aliam unitatem; talis non potest poni unitas essentialis cum rationum suppositalium distinctione ; igitur oportet quod ponatur per modum substentificantis et substentificati. et per consequens inter Deum et alias creaturas propter perfectionem universi fuit necessaria unio hypostatica Dei ad creaturam ; sed dato, quod homo non peccasset, adhuc Deus creaturæ unitus fuisset ; sed nulla alia creatura videtur congruentior homine ad assumptionem, ut priùs deductum est. Igitur, etc...

Præterea, inter quæcumque extrema est imagibile medium. et, si extrema sunt realia, debet esse medium reale, ut experientia docet ; sed ista sunt extrema, videlicet una essentia in tribus suppositis et tres personæ in tribus essentiis ; igitur ad perfectionem requiritur, quod inter ista extrema sit medium ; nullum autem medium inter ipsa reperitur nisi quod sit una persona in tribus naturis ; igitur sequitur, quod perfectio et complementum universi exstitit (exigit ?), ut sit una persona in tribus naturis ; non videtur convenientior modus quam quod persona divina uniatur humanæ, quæ continet duas naturas specie differentes et per consequens tunc una persona est in tribus naturis ; cum igitur perfectio universi non defuisset Adam non peccante, sequitur, quod, ipso non peccante, adhuc natura humana divinæ naturæ fuisset unita, quod est positionis oppositum ; igitur, etc..

Ulterius arguo contra prædictam positionem per alias 4^or^ rationes ut sexdenarius numerus compleatur juxta promissum. Arguitur enim primo sic : Ex peccato Adæ

non provenit, quod sit 4^{us} modus educendi hominem in existentia actuali ; sed est quartus educendi hominem in existentia actuali, videlicet : nec de viro nec de muliere per plasmationem ut dicimus de Adam, 2^{us} de viro sine muliere, sicut dicimus de Eva ; 3^{us} de viro et muliere, sicut communiter omnes homines generantur ; 4^{us} modus restat de muliere sine viro ; igitur, dato quod homo non peccasset, iste 4^{us} modus eductionis fuisset, et per consequens, fuisset productio hominis de muliere sine viro ; talis autem est incarnatio ; igitur, etc... Quod autem talis modus 4^{us} fuisset, apparet propter universitatis perfectionem, quia si iste modus universo defuisset, non videretur perfecte completum : quod non est verum, quoniam nihil possumus rationabiliter cogitare quod subterfugiat continentiam universi ; quare propositum.

Præterea si infimum individuum in aliqua specie producitur ab agente dato quod nihil aliud intenderetur, sicut si Sors et Plato sunt ad productionem in intentione naturæ et Sors est perfectior Platone, non videtur quod natura intendat ad productionem Platonis per se et ad productionis Sortis per accidens ; sed nunc ita est quod humanitas Christi est perfectissima humanitas, quæ sit in humana specie ; igitur, si de facto, Deus per se tendebat ad productionem Adæ, sequitur a fortiori quod per se et non per accidens tendebat ad productionem humanitatis Christi ; non igitur occasionaliter produxit humanitatem Christi, et per consequens, occasione peccati Adæ non præcedente, non minus fuisset prædicta humanitas Christi, cum ad ipsam per se Deus intendebat sicut ad humanitatem Adæ et Evæ ; quare propositum.

Præterea totum genus mutationis est indifferens ad peccatum Adæ, et per consequens, sive peccatum Adæ ponatur, sive non, non minus totum genus mutationis fuisset ; sed posito toto genere mutationis, ponitur Verbum incarnatum ; igitur dato quod homo non peccasset, non minus Verbum incarnatum fuisset. Consequentia

patet. Probo minorem : nam posita transsubstantiatione, secundum legem currentem ponitur Verbum incarnatum, quia nihil transsubstantiatur in aliud nisi substantia panis in corpus Christi ; sed posito toto genere mutationis, ponitur transsubstantiatio, cum ipsa sit realis mutatio ; igitur, posito toto genere mutationis, ponitur ipsa incarnatio, aliter ex peccato Adæ haberetur genus mutationis compleri, quod non videtur verum, ut prius dictum est, cum sit potius indifferens ad illud; quare propositum.

Præterea secundum omnem politiam non debet esse Dominus magis liberalis servis malis quam servis bonis, cum liberalitas potius est amicis quam inimicis exhibenda ; sed incarnatio fuit maximum donum liberalitatis creaturæ ostensum : nam aliquod signum liberalitatis esset, si vellem me induere vestibus similibus cum alio, quæ tamen non excedunt conditionem meam; igitur multo magis est signum admirandæ liberalitatis de illo, qui vult effici frater meus, qui tamen est magnus et ego servus iniquus ; si ergo tota Trinitas illud signum liberalitatis ostendit suis inimicis, quanto magis vel æque illud signum ostendisset suis amicis ! Et per consequens, dato quod Adam non peccasset, non minus Christus incarnatus fuisset ; quod est propositum.

4° S. BONAVENTURA, Dr SERAPHICUS (1221-1274). — Sent. III Dist. I, Art. II, Quæst. II — Quæ fuerit Incarnationis ratio præcipua.

Conclusio.

Præcipua ratio incarnationis videtur fuisse redemptio humani generis, quamvis multæ rationes aliæ congruentiæ huic rationi sint annexæ.

Respondeo : ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc duplex est magistrorum opinio.

Quidam enim dicere voluerunt, quod de incarnatione

est loqui dupliciter. Est enim incarnatio carnis assumptio ; de carne autem assumpta est loqui dupliciter : aut quantum ad *substantiam* aut quantum ad defectum *passibilitatis.* Si sermo fiat de ipsa quantum ad defectum *passibilitatis* et *mortalitatis* dicunt, quod incarnationis præcipua ratio fuit humani generis redemptio: Nisi enim homo peccasset et lapsus et redimendus esset, Christus carnem mortalem non assumpsisset. Si autem loquamur de incarnatione, secundum quod dicit assumptionem humanæ naturæ, loquendo simpliciter, sic dixerunt quod *præcipua* ratio incarnationis non est liberatio generis humanis, quia etiam si homo non peccasset, Christus incarnatus fuisset ; sed hujus ratio est perfectio multiplex surgens ex dignitate illius operis. Incarnatio enim facit ad perfectionem hominis — et per consequens ad perfectionem totius universi,— in hoc quod complet et completionem dat humano generi, secundum illud quod respicit *naturam* et secundum illud quod respicit *gratiam* et secundum illud quod respicit *gloriam.* Secundum illud quod respicit *naturam* quia in incarnatione est consummatio modorum educendi hominem in *esse.* Est etiam consummatio in comparatione ad perfectionem agentis in hoc quod in incarnatione homo, qui est ultimus, conjungitur cum suo principio unione quâ sub Deo nulla est major. — Facit etiam ad perfectionem hominis, quantum ad illud quod respicit gratiam, quia in incarnatione assumit Christus humanam naturam, ratione cujus plene habet esse caput totius Ecclesiæ, cujus corporis membra uniri habent ratione caritatis et gratiæ. Et simul cum hoc facit ad perfectionem meriti, quia omnia merita pendent et meliorantur merito Christi. — Facit etiam ad perfectionem gloriæ in eo, quod homo in Deo suo invenit pascua quantum ad partem corporalem et quantum ad partem spiritualem, sive *ingrediatur* sive *egrediatur*, quod non faceret si Deus non esset incarnatus. — Completus etiam est totius humanæ naturæ *appetitus*, dum per opus incarnationis nobilissima idoneitas, quæ erat in humana natura, secundum quam

unibilis erat divinæ, ad actum perfectum reducitur. — Et ratione hujus multiplicis perfectionis, quæ surgit ex opere incarnationis, congruum fuit Deum incarnari. Et quia hæc multiplex perfectio non tantum respicit statum naturæ bene institutæ ; ideo, si homo lapsus non fuisset, nihilominus Deus incarnatus esset, quia ita competebat hominem perfectum esse et secundum naturam et secundum gratiam et secundum gloriam, sicut si esset in statu lapso, et quodam modo amplius, secundum istam opinionem.

Et qui hanc opinionem sequuntur concedunt rationes, quæ ad hanc partem adducuntur. Rationes vero ad oppositum et auctoritates per hoc effugiunt, quia dicunt, eas intelligi, secundum quod incarnatio dicitur carnis mortalis et passibilis assumptio. Loquitur enim Scriptura et sancti de incarnatione secundum eum modum qui fuit post lapsum, non per eum modum qui fuisset, homo persistente in statu innocentiæ.

Aliorum vero opinio fuit, quod *præcipua* ratio incarnationis est reparatio humani generis, quamvis aliæ multæ sint rationes congruentiæ huic annexæ. Ista est enim præcipua respectu omnium, quia, nisi genus humanum fuisset lapsum, Verbum Dei non esset incarnatum. Et ratio hujus est, quia incarnatio Dei est superexcedentis dignationis ; et ideo cum sit ibi quidam excessus, non fuisset introductum incarnationis mysterium, nisi præcessisset excessus oppositus per ipsum corrigendus et restaurandus. Unde nisi Deus *ovem suam perdidisset*, non de cœlo ad terram descendisset.

Quis autem horum modorum dicendi verior sit, novit ille qui pro nobis incarnari dignatus est. Quis etiam horum alteri præponendus sit, difficile est videre, pro eo quod uterque modus catholicus est et a viris catholicis sustinetur. Uterque enim modus excitat animam ad devotionem secundum diversas considerationes.

Videtur autem primus modus magis consonare judicio rationis ; secundus tamen, ut apparet, plus consonat pie-

tati fidei : primo quia auctoritatibus sanctorum et Sacræ Scripturæ magis concordat. Nam tam vetus quam novum Testamentum, ubi de Filii Dei descensu loquuntur, humani generis liberationis rationem reddunt, quod patet per singula discurrendo. Sancti etiam hoc dicunt, sicut patet in auctoritatibus supra positis (1). Et ideo, si divina eloquia nobilissimam et præcipuam incarnationis rationem assignant, nihil etiam a nobis dicendum est præterea quæ nobis ex sacris eloquiis claruerunt (2) ; magis videtur pietati fidei consonum quod præcipua incarnationis ratio sit liberatio humani generis, quam aliter sentire. Et hoc apertè dicit Augustinus in libro de Verbis apostoli, Sermone Septuag. tractans illud Matthæi decimo octavo : « *Venit enim Filius hominis, etc.* » « si homo non periisset, Filius hominis non venisset. » Et expressius ibidem, tractans illud primæ ad Timoth. 2ª « *Venit in hunc mundum.* « Quare venit in mundum ? Peccatores salvos facere. Alia causa non fuit quare veniret in mundum. » Et ibidem plura dicit ad hoc pertinentia. Ad hoc etiam concordant verba Bernardi et Glossa super dictum locum Epist. ad Timotheum. (En verba Bernardi : In serm. 1 de adv. Domini nº 7 : « nec sane laborandum est in hâc parte (ad quid scil. venerit) cum manifeste adventûs ejus causam et verba ipsius et opera clament. Ad quærendam quippe ovem centesimam quæ erraverat, de montibus properavit. »

Et in resp. ad 4 : « Ad illud quod objicitur quod angeli essent beati, etiamsi Christus non fuisset incarnatus, dicendum quod hoc non cogit, quod Christus nullo modo

1. Augustinus in Ps. 68, 3. Infixus sum in limo profundi : « Utinam maneret homo in eo quod Deus fecit ; si enim maneret in eo quod Deus fecit, non in limo infixus esset quem Deus genuit. »

Id. Sup Joan. tractans illud Joan. undecimo : Ecce quem amas infirmatur « Si peccatores Deus non amaret, ad terram de cœlo non descendisset. »

2. Diony. de Div. nom., C. 1, § 1 : « Non est autem audendum aliquid dicere vel cogitare de supersubstantiali et occulta divinitate præter ea quæ nobis per sacras Scripturas de Deo divinitus sunt expressa. »

influat, sed quod non influat primum motum et sensum, qui sunt essentiales gratiæ et gloriæ... »

Attamen sunt quædam ipsius Doctoris effata quæ ab hâc doctrinâ discrepantia videntur.

Respondendo enim objectionibus sic: « 5° ad illud quod objicitur quod anima Christi educi debuit principali intentione, dicendum quod Deus, quia ab æterno præscivit lapsum humani generis — ideo fecit, quia se recuperaturum cognovit ; et ideo principalius in intentione fuit reparatio lapsi quam conditio ejus ad lapsum possibilis. Et propter hoc non sequitur quod Deus non prædestinaverit Christum principaliter, sicut et alios, imo multo principalius. Hoc enim teneret, si Deus in conditione generis humani non præcognovisset eorum lapsum, tunc enim quasi præter intentionem subsecutum fuisset. » Dist. XIII, art. II q. I, 3° ad illud quod objicitur quod caput est membrorum principium, dicendum quod caput sit principium, quantum ad *esse* naturæ, hoc est de veritate capitis et expressa proprietate. — Posset tamen dici aliquo modo Christus principium membrorum suorum quantum ad *esse* gratiæ etiam secundum humanam naturam, quia nunquam aliquis fuit gratiam assecutus, nisi haberet Christum in corde ut fundamentum quod collocatur per fidem. »

Imo, de SS. Corpore Christi n° 31, Doctor Seraphicus sic loquitur : « De cujus (Christi) plenitudine hauriunt angeli et homines. Quidquid habent angeli gloriæ, de ipso quasi de thesauro hauriunt. » (Quaracchi, tom. V, p. 563).

Notandum ergo :

1° Quod S. Bonaventura ductus verbis S. Augustini et S. Bernardi neget primatum Christi ;

2° Quod tamen sibi discors affirmet Christum a Deo multo principalius aliis creaturis prædestinatum fuisse ;

3° Quod prædicet Christum principium membrorum suorum quantum ad esse gratiæ fuisse etiam secundum humanam naturam ;

4° Tandem quod affirmet, et hoc consequens, angelos a Christo accepisse gloriam.

5° S. THOMAS Dr ANGELICUS, 1224-1274. In III, Dist. I, Art. 3. « Utrum si homo non pecasset Deus fuisset incarnatus. Videtur quod Deus fuisset incarnatus...

Sed contra Augustinus de verbis apostoli sermo VIII exponens illud Math. XVIII : *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat*, dicit, *quod nulla causa fuit Domino Christo veniendi nisi peccatores salvos facere: tolle vulnera, tolle morbos, et nulla est causa medicinæ.* Sed remotâ causâ removetur effectus. Ergo si peccatum non fuisset, Filius Dei non fuisset incarnatus...

» Præterea Gregorius dicit : « *Nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset.* Sed redemptio non fuisset nisi peccati servitus fuisset. » Ergo si peccatum non fuisset, Filius Dei temporaliter non fuisset.

» Respondeo dicendum, quod hujus quæstionis veritatem solus ille scire potest qui natus et oblatus est quia voluit. Ea enim quæ ex sola voluntate Dei dependent, nobis ignota sunt nisi in quantum nobis innotescunt per auctoritates sanctorum, quibus Deus suam voluntatem revelavit. Et quia in Canone Scripturæ et in dictis sanctorum expositorum hæc sola assignatur causa Incarnationis, redemptio scilicet hominis a servitute peccati, ideo quidam probabiliter dicunt, quod si homo non peccasset Filius Dei homo non fuisset ; quod etiam ex verbis Leonis Papæ in sermone de Trinitate expresse habetur. « Si enim, inquit, homo ad imaginem et similitudinem Dei factus in suo honore mansisset, Creator mundi creatura non fieret, aut æternus temporalitatem subiret aut æqualis Deo Patris Dei Filius formam servi assumeret. » — Item Augustinus, in Oratione ad B. Virginem : « Ut quid nescium peccati pro peccatoribus pareres, si deesset, qui peccasset ? Aut quid mater fieres Salvatoris, si nulla esset indigentia salutis ? » Item super illud Matth. I : «Ipse enim salvum faciet populum suum, etc., » secun-

dum Augustinum : *si homo non peccasset Virgo non pepe-risset...* »

In Summa theologica 3e Parte, Q. I, Art. 3 : « Utrum si homo non peccasset Deus incarnatus fuisset. *Videtur quod si homo non peccasset, nihilominus Deus incarnatus fuisset.*

Sed contra est quod Augustinus dicit in libro de verbis Domini exponens illud, quod habetur Luc XIX : Venit Filius hominus quærere et salvum facere quod perierat (Serm. XXXVI, cap. ult.) ; sed expressiùs in lib. de verbis Apostoli (Serm. VIII, cap. 2, circa princip.) Ergo « si homo non peccasset Filius hominis non venisset. » — Et I Tim. I « Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere : » dicit glossa ordin. (Aug. lib. de verbis Apost. Serm. IX, circa princip.) « nulla causa veniendi fuit Christo Domino nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera et nulla est medicinæ causa. »

Respondeo dicendum quod aliqui circa hoc diversimode opinantur. Quidam enim dicunt quod etiamsi homo non peccasset Dei Filius incarnatus fuisset ; alii vero contrarium asserunt ; quorum assentioni magis assentiendum videtur. Ea enim, quæ ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum in sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientiùs dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum, ita quod peccato non existente Incarnatio non fuisset : quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur, potuisset enim etiam peccato non existente Deus incarnari. »

Hæc est ergo solemnis sententia Doctoris Angelici. Attamen liceat proferre alia ejusdem effata quæ difficulter videntur concordare posse cum hâc solutione.

1° 3a parte, q. XXIII, art. III, hæc de prædestinatione Christi :

« Conclusio : Christi prædestinatio secundum actum

prædestinantis non fuit nostræ prædestinationis exemplar, sed quoad terminum prædestinationis.

» ... Alio modo potest prædestinatio considerari secundum illud ad quod aliquis prædestinatur; quod est prædeterminationis terminus et effectus : et secundum hoc prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis. Et hoc dupliciter : Primo quidem quantum ad bonum ad quod prædestinamur ; ipse enim est predestinatus ad hoc quod esset Dei Filius naturalis ; nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis... Alio modo quantum ad modum consequendi istud bonum quod est per gratiam... et de plenitudine gratiæ ejus nos omnes accepimus. »

Ibidem Art. IV « 1° videtur quod prædestinatio Christi non sit causa nostræ prædestinationis... »

» Sed contra est quod dicitur (Ephes.I. 5) : Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.

» ... Si autem consideretur prædestinatio secundum terminum prædestinationis, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis ; sic enim Deus præordinavit nostram salutem ab æterno prædestinando, ut per Jesum Christum compleretur. »

Et in Com. in Psalm. 39 : « *In capite libri.* Liber Christus est... Est liber prædestinationis qui est liber vitæ... In hoc libro sunt scripti omnes salvandi, sed per ordinem quia in capite hujus libri scriptus est Salvator et omnes scripti sunt per eum... Non est scriptum de Christo sicut de aliis, sed in capite libri. » — Ergo Christus est primus prædestinatus et omnes per illum salvantur : ergo Angeli et homines.

Et huic objectioni : « Remotâ causâ, removetur effectus, sed remotâ prædestinatione Christi non removetur nostra, ergo... », respondet: « Si Christus non fuisset incarnandus Deus præordinasset homines salvari per aliam causam. Sed quia præordinavit incarnationem Christi, simul cum hoc præordinavit ut esset nostræ salutis causa... »

Christus ergo exemplar et causa nostræ prædestinationis.

2° Imo sunt nonnulli Thomistæ qui Doctori Angelico adscribunt, et jurè, ut videtur, hanc sententiam, quod videlicet omnia creata fuerunt propter Christum. Etenim:

In IV dist. XLVIII, q. II, Art. I. — Utrum mundus aliquando innovabitur. Solutio.

» Dicendum quod omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur; unde et omnia dicuntur ei esse subjecta; serviunt autem ei dupliciter: uno modo, ad sustentationem vitæ corporalis; alio modo, ad profectum divinæ cognitionis, in quantum homo per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei conspicit ».

» Ibidem Artic. II. Utrum motus corporum cœlestium in illa mundi innovatione cessabit — *Solutio*: Dicendum quod circa istam quæstionem est triplex positio. Prima est philosophorum qui dicunt quod motus cœli semper durabit. Sed hoc non est consonum fidei nostræ, quæ ponit certum numerum electorum præfinitum a Deo, et sic oporteret quod generatio hominum non in perpetuum duret et eadem ratione nec alia quæ ad generationem hominis ordinantur, sicut est motus cœli et variationes elementorum ».

Ergo ex S. Doctorè omnia propter prædestinatos creata sunt; — a fortiori propter exemplar et causam prædestinatorum.

3° Adde etiam argumentum quod sequitur ex ipsius dictis in IV Sent. Dist. XLVIII, quæst. II: « Utrum mundus aliquando innovabitur. Quod sic.

» *Solutio*... Secundo etiam ministerio non indigebit homo quantum ad cognitionem intellectivam; quia tali cognitione Deum sancti videbunt immediatè per essentiam; sed ad hanc visionem essentiæ oculus carnis attingere non poterit; et ideo ut ejus solatium congruens ipsi de visione divinitatis præbeatur, inspiciet divinitatem in effectibus ejus corporalibus, in quibus manifeste indicia divinæ majestatis apparebunt et præcipuè in

carne Christi, et post hoc in corporibus Beatorum et deinceps in omnibus aliis corporibus. »

Ergo ex S. Doctore oculus carnis post judicium *solatium præcipuum et congruens* in aspectu Christi inveniet.

Expressiùs autem, de Sacram. Altaris opusc. LVI cap. VI : « In illa Domini (Corporis) visione erit nobis omni bono plena fruitio. »

4° Tandem P. III, Q. VIII, Art. IV-VI affirmat Christum esse caput angelorum ; — in Epist. ad Hebr., cap. II, lect. X : « Plenitudo gratiæ quæ est in Christo causa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis. »

Lect. I in cap. X Joan. : « De plenitudine ejus omnes accepimus etiam omnes angeli. »

Lect. 8 in cap. I Epist. ad Ephes : « Sic ergo quantum ad præeminentiam et quantum ad diffusionem Christus est caput Angelorum... » — Et infra : « Ipsum (Christum) dedit caput supra omnem ecclesiam (1). »

Concludendum ergo :

1° Propter auctoritatem SS. Augustini, Gregorii et Leonis Papæ tantum, Dr Angelicus secutus est sententiam quæ Christo negat Primatum quamvis concedat cum Doctore Seraphico contrariam sententiam magis consonare judicio rationis.

2° Multa affirmat de prædestinatione, de capitatione, de gratia Christi quæ videntur necessario connotare Primatum Christi.

Quomodo concordare possunt hæc duo effata : 1° Verbum incarnatum est occasione tantum peccati ; 2° Verbum incarnatum est exemplar et causa prædestinationis hominum ; est fons gratiæ pro hominibus et pro angelis ; est causa finalis creationis ?

1. Sic Petavius (De Inc., lib. XII, cap. XVII, n° IV : « Pertinet ad eamdem capitis amplificandam dignitatem ista quoque contemplatio, non solum hominum quâ homo est, caput esse Christum, sed etiam angelorum ; quod theologi pro confesso habent et horum princeps S. Thomas (In III p. q. VII, art. 4).

Hìc labor, hìc moles ! multa systemata inventa fuerunt ad hanc concordantiam exponendam. Inter quæ celeberrima sunt systemata Cajetani et Suarezii. De quibus postea.

Nunc deveniendum est ad Doctorem Subtilem qui acerrimus manet defensor Primatûs Christi.

6° B. Duns Scotus, Doctor subtilis (1308) Lib. III Sent., Dist. vii, q. iii, n° 3-4.

« Sed hic sunt duo dubia. Primum, utrum ista prædestinatio præexigat necessario lapsum naturæ humanæ, quod videntur sonare multæ auctoritates, quæ sonant Filium Dei nunquam fuisse incarnandum si homo non cecidisset.

» Sine præjudicio dici potest quod quum prædestinatio cujuscumque ad gloriam præcedat ex parte objecti naturaliter præscientiam peccati, vel damnationis cujuscumque, multo magis est verum de prædestinatione illius animæ quæ prædestinabatur ad summam gloriam. Universaliter autem ordinate volens prius videtur velle hoc quod est fini propinquius, et ita, sicut prius vult gloriam alicui quam gratiam, ita etiam inter prædestinatos quibus vult gloriam, ordinate prius videtur velle gloriam illi quem vult esse proximum fini ; et ita huic animæ Christi vult gloriam priusquam alicui alteri velit gloriam, et prius cuilibet alteri vult gratiam et gloriam quam prævideat opposita istorum habituum, scilicet gratiæ et gloriæ, scilicet peccatum et damnationem. Ergo a fortiori prius vult animæ Christi gloriam quam prævideat Adam casurum.Omnes autem auctoritates possunt exponi sic, scilicet quod Christus non venisset ut redemptor, nisi homo cecidisset, neque forte, ut passibilis, quia non fuit aliqua necessitas, ut illa anima a principio gloriosa, cui Deus præoptavit non tantum summam gloriam, sed etiam coævam illi animæ, quod unita fuisset corpori passibili, nisi redemptio fuisset facienda. Sed nec redemptio fuisset facienda nisi homo peccasset ; sed non propter solam istam causam, videtur Deus prædes-

tinasse animam ad tantam gloriam, cum illa redemptio sive gloria animæ redimendæ non sit tantum bonum, quantum est illa gloria animæ Christi ; nec est verisimile tam summum bonum in entibus esse tantum occasionatum, scilicet propter minus bonum ; nec est verisimile Deum prius præordinasse Adam ad tantum bonum quam Christum, quod tamen sequeretur ; imo ulterius sequeretur absurdius, scilicet, quod Deus prædestinando Adam ad gloriam prius prævidisset ipsum casurum in peccatum quam prædestinasset Christum ad gloriam, si prædestinatio illius animæ tantum esset pro redemptione aliorum ; quia redemptio non fuisset, nisi casus et delictum præcessisset.

» Potest igitur dici, quod prius natura quam aliquid prævidebatur circa peccatorem, sive de peccato sive de pœna, Deus præelegit ad illam curiam cœlestem omnes, quos voluit habere angelos et homines, in certis et determinatis gradibus, et nullus est prædestinatus tantum quia alius prævisus est casurus, ut sic nullum oporteat gaudere de lapsu alterius. »

Fortasse ut satisfiat objectioni circa fundamentale principium : « Omnis ordinate volens, primo vult finem, deinde immediatius illa quæ sunt fini immediatiora, » et etiam ut explicet verba Patrum qui ipsius sententiam videntur impugnare hæc addit in Repert. Paris. (III, dist. VII, q. IV Schol. II n° 5 : « Dico, quod gloria est ordinata animæ Christi, et carni, sicut potest carni competere ; et sicut fuit collata animæ in assumptione, ideo statim fuisset collata carni, nisi quod propter majus bonum illud dilatum fuisset, ut per mediatorem qui potuit et debuit, redimeretur genus humanum a potestate diaboli, quia majus bonum fuit gloria animarum beatarum quam gloria carnis Christi ; et ideo in quinto instanti (1) vidit mediatorem venientem passurum ac

1. Superius dixerat de instantibus in Deo : « Primo Deus diligit se ; secundo, diligit se aliis, et iste est amor castus ; tertio vult se diligi ab alio, qui potest eum summe diligere, loquendo de amore alicujus extrinseci ;

redempturum populum suum, et non venisset ut mediator, ut passurus, ut redempturus, nisi aliquis prius peccasset, neque fuisset gloria carni dilata, nisi fuissent redimendi, sed statim fuisset totus Christus glorificatus. »

Hæc sunt argumenta doctoris subtilis « quibus, ut ait Macedo, varie torquentur et mirè excruciantur adversarii ». Et hæc argumenta eo sunt firmiora quo evidentius fundantur in Scriptura, nam ut ait Dr Angelicus : « Ea quæ ex sola voluntate Dei dependent, nobis ignota sunt nisi in quantum nobis innotescunt per auctoritates sanctorum, quibus Deus suam voluntatem revelavit ».

Ut dilucidetur quæstio recurrendum ergo ad Scripturas et SS. Patrum testimonia. Attamen priusquam hæc aggerantur testimonia nota bene hæc tria :

1° B. Duns Scotus non fuit novator, sed doctrinæ traditæ inhæsit impugnando SS. Bonaventuram et Thomam.

2° Non fuit inventor hujus distinctionis videlicet « carnis passibilis et impassibilis » de quâ jam SS. Thomas et Bonaventura loquuntur.

3° Ex principiis Divi Thomæ confirmantur argumenta Alex. Alensis et B. Duns Scoti. Sed de hoc copiosiùs dicendum.

§ I. — *Ex principiis Divi Thomæ confirmantur argumenta Alexandri Alensis et Duns Scoti.*

Et 1° Alex. Alensis. Quoad primum argumentum. Etenim (Sum., p. 3, q. I, art. I) S. Thomas sic : « Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ?...

» Conclusio. Cum ipsa Dei natura sit essentia bonitatis, atque ad rationem boni pertineat ut se aliis communicet : perspicuum est decuisse Deum summo modo se creaturis communicare, quod in opere Incarnationis impletum est.

» Respondeo dicendum quod unicuique rei conveniens

et quarto prævidit unionem illius naturæ quæ debet eum summe diligere, etsi nullus cecidisset. »

est illud quod competit ei secundum rationem propriæ naturæ, sicut homini conveniens est ratiocinari quia hoc ei convenit in quantum est rationalis secundum naturam suam. Ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis... Unde quidquid pertinet ad rationem boni, conveniens est Deo. Pertinet autem ad rationem boni ut se aliis communicet. Unde ad rationem summi boni pertinet quod summo modo se creaturæ communicet : quod quidem maxime fit per hoc quod « naturam creatam sic sibi » conjungit, ut una persona fiat ex tribus, Verbo, anima » carne (1). »

OBJICITUR. S. Doctor ibidem (Art. 3) sic procedit : « Quanquam Deus peccato non existente potuerit incarnari, convenientius tamen dicitur quod si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset, cum in Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur. »

RESP. : Hoc probat quod, contra suam sententiam, specie ductus auctoritatis non satis elucidatæ, divus Thomas attribuit peccato Incarnationem, quam jam adscripserat divinæ bonitati. Hoc eodem modo argumentatus fuisset *de ratiocinandi facultate in homine*, ut in medium afferam ipsius Doctoris comparationem. Etenim, posito quod ait Art. I : « Homini conveniens est ratiocinari quia hoc ei convenit in quantum est rationalis secundum naturam suam ; » si scripsisset articulum III : « Utrum si non peccasset, homo ratiocinatus fuisset, » et si auctoritatis errore ductus, credidisset ratiocinandi facultatem homini tributam occasione peccati, contra propria principia respondisset : « Quamquam peccato non existente, potuerit homo ratiocinari, conve-

1. S. Thomas Comment. in lib. 3, Sent. dist. I, quæst. I, art. III : ideo quidam probabiliter dicunt, quod si homo non peccasset Filius Dei homo non fuisset...

Alii vero dicunt, quod cum per Incarnationem Filii Dei non solum liberatio a peccato, sed etiam humanæ naturæ exaltatio, et totius universi consummatio facta sit ; etiam peccato non existente, propter has causas internatio fuisset et hoc etiam probabiliter sustineri potest.

nientius tamen dicitur quod si non peccasset, homo non ratiocinatus fuisset, cum in Scriptura, etc. » — Erue ergo fundamentum, scilicet errorem Auctoritatis, et ruit conclusio, et Divus Thomas logice juxta ipsius principia concludit : « Homine non peccante, Deus incarnatus esset. »

Quoad secundum argumentum i. e. Christus principium beatitudinis, sic Doctor angelicus : « In illa Domini (corporis) visione erit nobis omni bono plena fruitio. » (De Sacram. Altaris, opusc. LVI, cap. VI.)

« In hac cognitione Trinitatis et unitatis, divinitatis et humanitatis Christi, maxima ejus (animæ) beatitudo consistit. » (De Beatit. op. LXI, cap. I. — Tertium principale cognitionis propter Deum.)

« Hanc delectationem (beatitudinis) non operabitur in anima neque fides... sed ipse Deus... Ad hanc delectationem vocabat olim Dominus per Is. 55 : « Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis pretium, venite, bibite absque ulla commutatione vinum et lac. » « Vinum divinitatis et lac humanitatis. » (Ibid., cap. III. Primum principale fruitionis per Deum.)

« Ibi (in cœlo) etiam anima laudat Deum ex omnibus viribus suis. Ad hoc enim creata est, ut dicit Dominus per. Is. 43 : « Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. »... Ista laus erit per Deum Unigenitum Filium Dei, per quem etiam Majestatem Dei omnes Angeli laudant... quia unionem habent cum ipso in quantum est creatura, sicut et ipsi. Hæc laus est tanto amabilior Sanctæ Trinitati, tanto utilior communitati quam facit anima per Dei Filium quam si faceret per seipsam, quanto Creator dignior est creaturâ. Ita laus est animæ refectio, cui nulla similis videtur delectatio, ut dicit Cassiodorus. » (Ibid Cap. V. — Primum principale laudis per Deum.)

Hæc fere eadem dicit Angelicus Doctor Cap. VI et VII, de gratiarum actione et congratulatione. — Ergo ex Doctore Angelico sicut ex Alex. Alensi Christus est de essentia beatitudinis hominis.

2° S. Thomas emiserat principia quibus innititur Duns Scotus. Etenim :

a) *Prædestinatio cujuscumque ad gloriam præcedit ex parte objecti præscientiam peccati vel damnationis cujuscumque, multo magis verum est de prædestinatione illius Animæ (Christi) quæ prædestinabatur ad summam gloriam.* Ita Scotus.

S. THOMAS (I q. XXI. Art. III. Concl. in fine) : « Opus autem divinæ justitiæ semper præsupponit opus misericordiæ et in eo fundatur. Creaturæ enim non debetur aliquid, nisi propter aliquid in ea præexistens vel præconsideratum. Et rursus, si illud creaturæ debetur hoc erit propter aliquid prius. Et cum non sit procedere in infinitum, oportet devenire ad aliquid quod ex sola bonitate divinæ voluntatis dependeat, quæ est ultimus finis. »

Sed ex S. Doct. : « Prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente divina existens. » (I q. XIII Art. II in fine concl.)

« Finis etsi sit postremus in executione est tamen primus in intentione agentis. » (12 q. I. Art. I. ad I.)

Ergo beatitudo i. e. finis ultimus hominis est prima in intentione agentis, scilicet Dei, et beatitudo, opus misericordiæ, prior est damnatione, opere justitiæ.

b) *Universaliter autem ordinate volens prius videtur velle hoc quod est fini propinquius... et ita huic animæ Christi vult gloriam priusquam aliam alteri velit gloriam.* (Scotus.)

Divus autem Thomas sic procedit : « Item sicut supra (cap. 75) ostensum est, Deus volendo suum esse, quod est sua bonitas vult omnia alia, in quantum habent ejus similitudinem. » (Sum. Cont. Gent. lib. I. Cap. LXXXIV.)

Ibidem cap. LXXVIII : « Voluntas Dei ad alias comparatur in quantum bonitatem participant ex ordine ad bonitatem divinam, quæ est ratio volendi Deo (1). »

1. Quæ habent participationem bonitatis divinæ absolutam ex qua provenit utilitas alicui, et talia essent si illud cui provenit ex eis utilitas non foret et per hunc modum dicitur quod angeli et omnes creaturæ a Deo

(Com. in Lib. Sent. I. Dist. XLV, q. I, art. 2) : « Solutio. Respondeo dicendum quod sicut Deus cognoscendo essentiam suam cognoscit omnia quæ sunt ab eo in quantum sunt similitudo quædam veritatis ejus : ita etiam, volendo vel amando essentiam suam, vult omnia quæ sunt ab eo in quantum habent similitudinem bonitatis ejus. Unde id quod est volitum primo ab eo est bonitas sua tantum. Alia vero vult in ordine ad bonitatem suam. » — Ergo, ex Doctore, est ordo in volitis in Deo et hic ordo est a participatione bonitatis divinæ seu propinquitate fini.

Quod autem Christus propinquior sit fini cæteris creaturis et proin prior prædestinatus fuerit, ut ait Scotus, habet etiam Angelicus Doctor.

1° Propinquior fini : (Com. in lib. I, Sent. dist XLIV, q. I art. III) : « Solutio... Tamen in istis comparationibus est duplex ordo : primo quia quanto nobiliori comparatione ad Deum refertur, nobilius est ; et sic humana natura in Christo nobilissima ;... et post, beata Virgo. (De qua ibidem, ad IV = Ideo, quamvis beata Virgo sit exaltata super Angelos etc.) — Alia comparatio, scilicet per unionem, est etiam secundum esse : et ideo judicium simpliciter de natura unita, est secundum comparationis bonitatem, ut dicatur, quod Christo homine nihil melius esse potest. »

2° Prior prædestinatus : Quod manifeste patet ex 3ª Parte Q. XXIV. Art. III et IV, ut videre est superiùs : Art. III. Conclusio : Christi prædestinatio secundum actum prædestinantis non fuit nostræ prædestinationis exemplar, sed quoad terminum prædestinationis.

Item Art. IV. Si consideretur prædestinatio secundum terminum prædestinationis, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis.

Ergo Divus Thomas, ut Doctor subtilis, affirmat Chris-

actæ sunt (D. Thomas 2 sent. 1 dist. 2 q. 3 art.) ; atqui incarnatio, teste D. Thoma, habet participationem absolutam cum bonitate divina, ergo fuisset absque redemptione.

tum prædestinatum fuisse priusquam cæteras creaturas prioritate ordinis.

c) *Nec est verisimile tam summum bonum in entibus esse tantum occasionatum, scilicet propter minus bonum.*

Hoc principium Scoti admiserat jam S. Thomas. Etenim I P. q. 98 art. I, quærit utrum in statu innocentiæ futuræ essent generationes. Sic ad quæstionem : « Resp. quod in statu innocentiæ fuisset generatio ad multiplicationem humani generis, alioquin peccatum hominis esset valde necessarium ex quo tantum bonum consecutum est. » Sed Incarnatio est majus bonum... de ipsa ergo sic procedi potest *a fortiori.*

Hæc omnia confirmat quod dicit Sanctus Doctor de Christo, angelorum et hominum capite : (Sum. P. III, quæst. VIII, art. IV) : « Christus, etiam secundum quod homo, est caput Angelorum. « Nam dicit Apost. (Coloss. II, 10) quod est caput omnis principatus et potestatis ; sed eadem ratio est de Angelis aliorum ordinum. » Est ergo Christus caput Angelorum.

» Præterea dicendum est quod ubi est unum corpus necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum, secundum distinctos actus sive officia. Manifestum est autem quod ad unum finem, qui est gloria divinæ fruitionis, ordinantur et homines et angeli : unde corpus Ecclesiæ mysticum non solum consistit ex hominibus sed etiam ex Angelis. Totius autem hujus multitudinis Christus est caput ; quia propinquius se habet ad Deum et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines sed etiam quam Angeli ; et de ejus influentia non solum homines recipiunt sed etiam Angeli... Et ideo Christus non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum. »

Infra autem explicat S. Doctor quid sit *esse caput* (Quæst VIII, art. VI) : « Respondeo dicendum quod caput in alia membra influit dupliciter : uno modo quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiva et sensitiva

a capite derivatur ad cætera membra ; alio modo secundum quamdam exteriorem gubernationem prout scilicet secundum visum et alios sensus qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiæ non est ab aliquo nisi a solo Christo, cujus humanitas ex hoc quod est Divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi. »

Unde ex auctoritate ipsius Doctoris quem sæpe sæpius opponunt huic doctrinæ manet firmior conclusio.

Concordat ergo S. Doctor cum Alex. Alensi et D. Scoto.

Ergo specie auctoritatis non satis elucidatæ ductus, et rationis argumentis reluctantibus, conclusit contra Incarnationem Verbi, Adamo non peccante.

Nunc autem agendum de Scriptura et Sanctis Patribus et scriptoribus ecclesiasticis, de iis præsertim quorum scripta inveniuntur in Patrologia Migne.

PARS II

PATRUM ET SCRIPTORUM TESTIMONIA.

Quanti sint momenti hæc testimonia res per se patet, dum in hac quæstione explananda, ut aiunt conjunctissimi doctores Thomas et Bonaventura, quærendum est quid Deus nobis revelaverit. Cui sententiæ assentiunt omnes theologi.

Primævis theologis res videbatur dubia, sed decursu temporis, auctoribus acrius utrinque decertantibus, sententia Primatum Christi propugnans sive temeraria sive imprudens sive erronea notata fuit.

Salmanticenses enim et posteriores theologi thomistæ, nullo modo admittentes quod Angelicus Dr et præclarissimi theologi probabile credebant, asserunt unicum tantum potuisse esse motivum de Incarnatione, de quo loquuntur Scripturæ et Patres, scilicet Redemptionem hominis. Conantur probare quod Redemptio sit primarium motivum et *exclusive* primarium Incarnationis et procedunt non dicendo : « *Videtur quod* » sed affirmando ut certum : « Cum ergo S. Scriptura, agens de motivo Incarnationis, solum proponat remedium peccati, sive hominum redemptionem, licet alia motiva positivè non excludat, tenendum præcise est prædictum motivum tanquam *certum :* alia vero nonnisi temere et absque fundamento affirmantur (Salmaticenses.)

Witasse (De Inc. q. IV, de causis Incar. art 1) « Nullum est hac de re apud veteres dissidium. Omnes enim unanimi consensione statuunt Christum venisse dumtaxat ut humanum genus repararet, nec alias fuisse venturum...

In Scripturis non modo aliæ causæ non assignantur sed etiam aperte excluduntur. »

Vasquez (Disp. XI in 3 part, nº 111) : « Nulla sunt testimonia ex antiquis patribus, quæ primæ (Scotisticæ) sententiæ ullo modo favere videantur, præterquam testimonium Ruperti, qui ante annos quadraginta floruit ; huic vero plerosque Ecclesiæ Patres multo eo antiquiores nos opposuimus ; et ideo de illo non curamus. »

Estius (in 3 sent. dist. 1, § 2) : «Ad repellendam contrariam opinionem (Scotisticam) vel unum illud sufficere potest quod ea nusquam in scriptis veterum Patrum orthodoxorum expresse reperiatur. »

Gassaniga (De Incar. sect. 2, dissert. 1, c. 3, nº 70) et Medina (In 3 P., q. 1, art. 3) affirmant opinionem Scotisticam esse *temerariam*.

Petavius dicit quod solum opinio S. Thomæ ex sacris litteris sive ex aliis theologicorum decretorum regulis *prudenter* defendi possit. (Lib. II. de Incar., cap. 17, nº 7)

Vides ergo, benigne lector, quanti sit momenti recitare Patres qui directe vel indirecte defenderunt Primatum Christi.

Ut autem eorum dicta certis sub capitibus coacerventur sequentes statuuntur propositiones :

1º In Christo Deus creavit cœlum et terram.

2º Ad imaginem Christi Deus fecit hominem.

2º Christus præfiguratus fuit in statu innocentiæ.

4º Adam innocens Christum prophetavit.

5º Christus creatus seu possessus fuit a Deo ut initium operum suorum.

6º Christus, ut homo, fuit primogenitus omnis creaturæ.

7º In Christo Deus homines et Angelos prædestinavit.

8º Propter Christum Deus omnia creavit.

9º Christus est *Alpha* et *Omega*, initium et finis.

CAPUT I

In Christo Deus creavit cœlum et terram.

PROB. EX PATRIBUS. — Etenim permulti sunt qui in hoc textu Gen. cap. I, I. « In principio Deus creavit cœlum et terram. » asserunt *In principio* significare *in Christo* (1).

Sed si in Christo creatio fundatur... ergo Christus non tantum medium ad redemptionem.

Citandi veniunt Patres, qui « in Principio » significare « in Christo » asserunt. Ne autem hoc opusculum æquo longius evadat, textus Patrum non citabuntur completi, sed tantum quædam ipsorum verba, quæ in locum de quo agitur faciunt, cum indicatione locorum, ut citationes cum textu originali conferre possis.

ARISTO PELLŒUS (Disputatio Jasonis et Papisci) : « Plerique, ait Hieronymus, existimant, sicut in Dispu- » tatione Jasonis et Papisci scriptum est... in Hebræo » haberi : *In Filio* fecit Deus cœlum et terram. » Quod falsum esse ipsius rei veritas comprobat, magis itaque secundum sensum quam secundum verbi translationem, de Christo accipi potest. » (Quætiones in Hebr. in Genesi). (P. G. 5, 1278). (2).

1. Ne autem hoc assertum Patrum mireris advertendum quod dicit Bartoloccius : « Pro Hebræo intelligitur idioma Hierosolymitanum quod hebraicum lato modo dicebatur et litteris hebraicis scribebatur. In hoc siquidem idiomate, cujus reliquiæ in Targum Hierosolymitano hodie supersunt invenitur : *In sapientia creavit Deus.*
(Biblia rabbin., pars III, n° 584. — P. G. 5, 1279; note 40.

2. P. L. Significat Patrolog. Lat. Migne ; P. G. Patrol. Græc. Migne. Numerus primus indicat volumen ; secundus columnam seu paginam).

Clemens Alexandrinus (Stromatum lib. VI, cap. VII) : « In principio fecit Deus cœlum et terram. » Is autem dictus est Sapientia ab omnibus prophetis... Is autem ab alto, a prima mundi constitutione « multifariam multisque modis » et docuit et perfecit. Unde merito dictum est : « Ne dixeritis vobis magistrum super terram. » P. G. 9, 279.

Marius Victorius Afer (De gener. divina, xxvii) « In principio fecit Deus... Principium ergo et caput Christus. » (P. L., 8, 1033.

Idem (in Epist. ad Ephes. cap. ii, 10) : « Creavit... in Christo opera Deus. » (Ibid., 1256.)

S. Zeno (lib. II, Tract. III de Gen. n° 147) : « Principium incunctanter est Christus. » (P. L., t. ii, p. 392.)

Zachæus Christianus (Consultationum lib. II, cap. iii) : « Illud principium est qui Judæis... dixit : Principium qui et loquor. (P. L., 20, 1111.)

Origenes (in Gen. cap. i. hom. i) : « Quod est omnium Principium nisi D. N. J. C., primogenitus omnis creaturæ ? Non ergo hic temporale aliquod principium dicit ; sed *in principio*, id est, in Salvatore factum esse dicit cœlum et terram. » P. G. 12, 145.

S. Joannes Chrysostomus (In. Ps. 103) « Sapientia in quâ omnia effecit Christus est. » P. G. 55, 651.

S. Ambrosius (Hexam. lib. I, cap. ii): « Cognosceres.. ipsum Christum esse initium universorum, sicut in Evangelio .. : « Initium quod et loquor vobis. » (P. L., 14, 124).

Idem (ibid. c. iv) : « In hoc ergo prlncipio, id est in Christo fecit omnia. » (Ibid., 130.)

S. Methodius, *epis. et martyr.* (Conv. decem virg., oratio IX) : Qui non credidit Christo, neque eum esse principium et lignum vitæ intellexit ; is cum non possit Deo ostendere tabernaculum suum pulchrorum fructuum speciosissime ornatum, quomodo festum celebrabit ? » (P. G., 18, 183.

S. Hieronymus (Lib. Hebr. quæst. in Gen. cap. i) :

« In principio, magis secundum sensum quam secundum verbi translationem, de Christo accipi potest. » (P. L., t. 23, p. 938.)

Idem (Brev. in Ps. XXXIX) : In principio, id est in Christo. » (P. L., 26, 945.)

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS (Liturgiæ anaphora : « Omnia creasti in Salvatore et Rege nostro Jesu Christo.» P. G., 77, 1294.

S. AUGUSTINUS (de Gen. contr. Manich. lib. I, cap. II): « Respondemus Deum in principio fecisse... non in principio temporis, sed in Christo. » (P. L., t. 34, p. 173.)

Idem. (De Gen. ad litteram imp. lib. cap. III) : « Ipsa etiam prima creatura intellectualis potest dici principium iis quibus est caput, quæ fecit Deus. Cum enim recte appellatur principium caput in illa gradatione apostolus mulierem tamen non dixit caput alicujus. Nam et virum dixit caput mulieris et caput viri Christum et caput Christi Deum. Ita creatori creatura subnectitur ». (P. L. 34, 222.)

Idem (classis I[a] serm. de Scripturis, serm. I, cap. II) : « Principium, qui et loquor vobis (Joan. VIII), ecce in quo principio fecit Deus cœlum et terram. » (P. L., 38, 21.)

LEPORIUS. *A S. Augustino correptus et ad sanam doctrinam reductus, suo est episcopo per propriam epistolam catholice sentientem et ad Episcopos Galliæ missam cum sociis reconciliatus* (Harduini Conc. gen. I, p. 1267).

N° 7 : « Jampridem quidem creati in Christo ; at nunc iterum parturientibus nos in lucem apostolicis viris, in eodem reparati. Ipsi ergo honor semper et gloria. »

Huic epistolæ subscripserunt cum Leporio :

Aurelius Episc. Ecclesiæ Carthagin. ;

Augustinus Episc. Hipponiensis ;

Florentius Episc. Hipp. Diarritorum ;

Secundus Episc. Eccles. Aquensis sive Megaremitanæ. P. L. 31, 1227.

ABBAS SERENUS (de Principatibus seu Potestatibus,

collat. VIII) : « ...Omnium rerum Christum esse principium, in quo omnia Pater creavit. »

RUFFINUS PALÆSTINUS (libellus Fidei, cap. II) : «... Mox adjecit etiam homines qui in Christo creati sunt. » (P. L., 48, 459.)

THEODORETUS (Quæst. in Gen. cap. I, q. XIX : « Deus qui prænoscit omnia quæ nondum facta sunt tanquam jam facta, et qui prævidebat fere ut Unigenitus carnem et humanam naturam assumeret... justa de causa et ipsius, veluti generis humani fundamentum, summo honore dignatus est. » P. G. 80-102.

S. BASILIUS SELEUCIÆ (Oratio I) : « Nondum fingitur lutum et thronus apparatur : Faciamus hominem, Unigeniti Dei domicilium. » (P. G. 85, 34.) Ergo Christus principium seu ratio creationis.

S. EUCHERIUS (In Gen. lib. I, cap. 1) : « Qualiter... a Doctoribus accipiatur, intelligamus : in principio, etc., Principium Christus est. » (P. L, 50, 894).

PROCOPIUS GAZÆUS (Com. in Gen. I. 6.) : « At si quis dicat Deum (in his verbis : Fiat firmamentum, etc.) respexisse futuram rerum creationem sive innovationem, haudquaquam hallucinabitur. Decreverat enim Deus duo condere opificia pulcherrima : alterum quidem mutationi et corruptioni obnoxium quod tamem neutiquam spirituales substantias perimere posset. Alteram vero liberam et vacuam voluit esse a præsentis sæculi malorum labe ; quod quidem auspicatus est Christus cum humanam indueret naturam. » P. G. 87-66.

S. MAXIMUS TAURINENSIS (Tract. contra Paganos, n° 730) : « Cuncta in Christo Filio suo, Domino nostro, perfecit. » (P. L., 57-789.)

Idem (Tract. contra Judæos, n° 737) : Ergo... in principio fecit Deus. In Christo dixisse declaratur. » (Ibid. 795.)

Idem (contra Judæos, n° 747 : « Attende... quod nos intelligimus Christum principium dictum. » Ibidem, 804.)

S. GREGORIUS TURON. EP. (Hist. Franc. lib. I, nº 1.) « In principio Dominus, cœlum terramque in Christo suo, qui est omnium principium, i. e. in Filio suo formavit. » (P. L., 71-163.)

MISSALE GOTHICO-GALLICUM (Missæ Clausulum Paschæ Immolatio) : « Dignum et justum est... quem tamen (Christum) tuum esse, antequam nasceretur, cognoverat (Maria), quippe quæ sciebat mundi esse principium. » (P. L., 72-284.)

MISSALE FRANCORUM. (Idem, ibidem, 378.)

S. ISIDORUS HISP. *Ep.* (In Gen. cap. I) : « In principio... principium Christus est. » (P. L., 83-209.)

BREVIARIUM GOTHICUM (In Dom. I post S. Pentec. ad vesperum cap.) : « Deus, qui in principio, id est, in Filio tuo Domino nostro J. Ch., cœlum et terram fecisti.» (P. L., 86-696.)

Ibidem (oratio) : « Qui in principio, id est, Filio tuo Jesu Christo Domino nostro cœlum et terram fecisti. »

VEN. BEDA (Lib. de sex dierum creatione) : « Principium est Christus. » (P. L., 93-208, et ita ibidem col. 243 et t. 91, col. 190.)

HUGO CARENSIS (in postillis) : « In principio, id est in Filio, qui dicit : Ego sum qui loquor vobis. »

WICBODUS (Lib. quæst. sup. lib. Gen.): « In principio... et ideo secundum sensum, magis quam secundum verbi translationem de Christo accipi potest. » (P. L., 96-1105.)

SEDULIUS SCOTUS (Coll. in Ep. ad Hebr. cap. X) : « In capite libri scriptum est de me : In fronte Geneseos: id est : In principio Deus creavit. » (P. L., 103-265.).

Ergo « in principio » refertur ad Christum.

RABANUS MAURUS (Com. in Gen. lib. I, cap. X) : « Principium Christus est. » (P. L., 107-466.)

ANGELOMUS LUXOVIENSIS *monachus* (Com. in Gen. cap. I) : « In principio, id est in Filio. Qui ita dicunt, magis secundum sensum, quam secundum verbi translationem de Christo accipi volunt. » (P. L., 115-112.)

RUPERTUS ABBAS (Com. in Gen. lib. I, cap. III) :

« Principium ait (Christus Judæis) qui et loquor vobis. Nam vere in hoc principio creavit cœlum et terram. » (P. L., 167-202.)

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS (Hexam. cap. I) : « Cum in principio, id est, in Christo, omnia asserit (Moses) creata. » (P. L., 172-253.)

HERMANUS, *S. Martini Tornac. abbas* (Tractatus de Incarn. Domini eap. VII) : « Plantaverat ergo eam (Mariam) Dominus a principio quia antequam quidquam faceret a principio... immobiliter in præscientia sua Deus proposuerat et definierat per ejus fructum reparare genus humanum...

» Plantaverat itaque Dominus Deus paradisum voluptatis a principio... i. e. paraverat aulam regiam a principio in qua poneret Filium suum, coæqualem sibi et coæternum, cum hominem formaverat. » (P. L., 180 c. 28.)

VEN. GERHOHUS *præpositus Reichersperg.* (Com. in Ps., IV pars, Psalm. XXXIX) : « Ego nominor principium (sic loquitur Christus) dicente Mose : In principio Deus creavit cœlum et terram, » (P. L., 193, 1448.)

S. MARTINUS LEGIONENSIS (sermo 6 in Septuag.) : « Principium Christus est, qui in Evangelio dicit Judæis, etc. » (P. L., 208-553.)

NICETAS CHONIATES (Thes. lib. III. cap. 38) : « In principio, jam ante mundi constitutionem, ut Deus humanam carnem assumeret præfinitum erat. » (P.G.139-1232.)

CONFIRMATUR TRADITIONE JUDAICA *quod Christus sit principium in quo Deus creavit omnia.*

ZOHAR (1) (fol. 20, coll. 79) : « Dieu produisit Beth-reschit (le principe second). De plus, comme la sagesse d'En-Haut est le principe, de même la sagesse d'en-bas est aussi le principe. Par ce motif, il ne faut pas séparer

1. Le Zohar est indubitablement un des monuments les plus précieux de l'antiquité judaïque. Il contient des traditions de la Synagogue qui appartiennent aux temps les plus reculés. (DRACH, *Harmonie*, etc.)

la lettre *Beth* (deux) du nom *Reschit* (principe). Nous appelons ce *Bereschit*... « In principio » est la traduction de Bereschit. »

On voit par là, dit Drach... 2° que dans la même personne du Principe se trouvent à jamais unies la *sagesse d'En-Haut*, la divinité, et la *sagesse d'en-bas*, l'humanité élevée à la divinité. *(Harmonie entre l'Église et la Syn.)*

CONCLUSIO

Ex Patribus, omnia creata sunt « *in Christo* » ; ergo Christus non existit occasione peccati tantum : est fundamentum universæ creaturæ.

CAPUT II

Fecit Deus hominem ad imaginem Christi.

(Gen., I, 26-27.)

« Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram Et creavit Deus hominem ad imaginem suam. »

Si hæc « *ad imaginem* » referuntur ad Christum, jam Christus est decretus. Ergo est principium seu fundamentum creationis. Atqui ita ex Patribus.

S. Barnabas, *vel auctor Epistolæ Catholicæ :* « Ad hoc Dominus sustinuit pati... *cui* dixit Pater : Faciamus hominem ad imaginem... » P. G. 2. 735.

S. Justinus, *philos. et martyr.* (De resurrectione VII fragmenta operum perditorum) : « Perspicuum ergo est hominem qui formatus est ad imaginem Dei fuisse carneum. » (P. G., 6. 1583.) Ergo non potuit formari nisi ad imaginem Dei incarnati.

S. Melito *et alii*, Origene teste, qui sic (in Gen. cap. I, V, 26) : *Ad imaginem*, in corporene, an in anima ?... Qui prius asserunt, e quorum numero est Melito, qui... asserit Deum corporeum esse... » Sine dubio ex Melitone hic Deus corporeus est Christus. (Anal. sac. Spicil. Solesm. parata, t. II, p. 352, Tusculum, 1884.).

S. Irenæus, *Ep. Lugd.* (Adv. Hær. lib. V, cap. XXXVI, 3) : « Etenim unus Filius et unum genus humanum, in quo perficiuntur mysteria Dei « quem concupiscunt Angeli videre », et non prævalent investigare sapientiam Dei, per quam plasma ejus conformatum et

concorporatum Filio perficitur : ut progenies ejus, Primogenitus, Verbum descendat in facturam, hoc est : in plasma, et capiatur ab eo ; et factura iterum capiat Verbum, et ascendat ad eum, supergrediens Angelos, et fiat secundum imaginem et similitudinem Dei. » (P. G., 7, 1224.) Ergo Christus vere ad imaginem et similitudinem Dei. Quod autem homo ad imaginem Christi fuisset, jam dixerat S. Irenæus. Etenim :

Idem (Adv. Heræs. lib. V, cap. XVI) : « Quando autem caro Verbum Dei factum est...imaginem ostendit veram, ipse hoc fiens quod erat imago ejus. » (P. G., 7. 1167.)

Idem.(Adversus hæreses, lib. V, c. 6, nº 4) : «Si autem defuerit animæ spiritus (i.e. gratia sanctificans quæ a Spiritu sancto), animalis est vere (homo), qui est talis et carnalis derelictus et imperfectus, imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per spiritum.» — Quid autem per *plasma* intelligendum audi ipsum Doct. : « Si autem substantiam tollat aliquis carnis, id est, *plasmatis;*» —et « perfectus autem homo commixtio et adunatio est animæ assumentis Spiritum Patris, et admixta ei carni, quæ est *plasmata* secundum imaginem Dei » (P. G. 7. 1138.)

TERTULLIANUS (Adv. Praxeam, cap. XII) : « Erat autem ad cujus imaginem faciebat : ad Filii scilicet qui homo futurus certior. » (P. L., II, 167) (1).

Idem (De Resurr. carnis, cap. VI) : « Ad imaginem Dei fecit illum : scilicet *Christi*... Quodcumque enim exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. » (Ibid. 802.)

1. Petavius (Teolog. Dogm. De Trinit. lib. II. cap. VII, § IX : « Neque vero floccifacienda Tertulliani est opinio asserentis Patrem « Christum Sermonem suum intuentem hominem futurum dixisse : *Faciamus hominem*, etc. » Quæ interpretatio ridicula est ac se ipsam evertit. Quînam enim Deus Pater, qui nullum utique corpus habuit, imaginem appellare suam potuit, si ob id imago fuit homo, quod corporatum Dei Filium referret?» T. II, p. 436. Edit. Vivès.

Videas tamen solitarium non esse Tertullianum sic loquentem et jam non paucorum esse hanc interpretationem ridiculam et seipsam evertentem.

S. Cyprianus (Lib. de bono patientiæ, cap. xix) : « Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit ; inde et periit primus et perdidit.» — Hic revera agitur de Deo *incarnato*, nam angelus perfectior expressio est Dei non incarnati quam homo. (P. L. 4-634).

Clemens Alexandrinus (Prædag. lib. III, cap. iii): « Quomodo non sunt impii qui conforme Domino corpus injuria afficiunt ? » (P. G., 8-583.)

Idem (Pædag., lib. I, cap. xii) : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Atque fuit quidem Christus hoc plenum quod dixit Deus. Alii autem homines intelliguntur secundum solam imaginem. » (P. G., t. 8-367.)

Idem : « Dei autem imago est ratio divina et regia, homo *impatibilis*. Humana autem mens imaginis imago.» « Quis alius, ait P. Lenourry (dissert. II), nisi Christus Dominus designatur?...Sensus itaque illius hic est : Christus homo *impatibilis*, ac divina et regia ratio, est prima Dei imago : mens autem humana imago hujusce imaginis est. » (P. G., 9, 1158.)

Origenes (in Gen. cap i) : « Quæ est ergo alia imago Dei ad cujus imaginis similitudinem factus est homo, nisi Salvator noster ? » (P. G., 12, 156.)

Idem (Com. in Joan. tom. I. 19) : « Si primogenitus omnis creaturæ est imago Dei invisibilis, principium ipsius est Pater; similiter etiam Christus est principium eorum qui facti sunt secundum imaginem Dei. Nam si homines sunt secundum imaginem, imago vero secundum Patrem juxta hoc quidem Pater principium est Filii ; juxta illud vero, hominum principium est Christus, qui facti sunt non secundum id cujus est imago, sed secundum imaginem ipsius. » (P. G., 14. 54).

S. Methodius Ep. Martyr (Convivium decem Virginum. Oratio VI, cap. i). « Ipse in se ipso ac penes se lumen in ineffabilibus ac inaccessibilibus requiescens, potestatis affluentia omnia continens creansque ac struens, ad imaginis suæ imaginem, animam fabricatus est...

Ad imaginem quippe Unigeniti condita, incomparabili, uti dicebam, pollet decore. » (P. G.,18-114.)

MARIUS VICTORINUS afer (Adv. Arium, Lib. I, n° LXIV): « Videamus ergo si et juxta carnem quidem (istud juxta imaginem). Et juxta carnem dicunt præ divinatione, quoniam futurum erat ut Jesus (Verbum) indueret carnem. Ego autem dico forte si et in isto quod Λόγος, et carnis est Λογος, et Deus et corporalis et super omne corpus dicitur : potentia enim universorum et omnium Deus, non frustra secundum imaginem corporis... Si enim post resurrectionem immutabimur, accipientes spiritale indumentum, nihil impedit juxta imaginem carnis superioris τοῦ Λογου hominem factum esse. Ad istud enim testimonium dicit Propheta dicens : « Et fecit Deus hominem juxta imaginem Dei.» (Gen. I, 27). (P L. 8.1088.)

S. ATHANASIUS (Expositio in Psal. VII Argumentum): « Hoc pacto notum sit quod ideo omnia ipsi (homini) subjecta sunt quia ad imaginem Dei qui carnem assumpturus erat factus est. » (Editio Caillau, Paris, 1832, t. XXXIII, p. 57).

S. ZENO, MARTYR, Epis. Veronensis, lib. II, tract. XX. «Videamus quid sit quod Deus ait: Faciamus hominem... non ergo carnale hoc indumentum imaginem Dei debemus accipere, sed cœlestis hominis spiritalem, quam nobis plenitudinis suæ pio de fonte largitur. Quam rationem Paulus evidenter prodidit dicens : sicut portavimus imaginem ejus, qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est..» Ergo ad imaginem Christi. (P. L., 11. 456).

S. ASTERIUS AMAZENUS (Homil. VIII in SS. Petrum et Paulum). « Sane vero Isaias vaticinio ait, posuisse Patrem Filium lapidem angularem : nimirum significans mundi totam concretionem, illo fundamento ac basi nixam esse. » (P. G., 40.267).

AUDIUS ET AUDIANI quod homo in corpore suo imaginem Dei præ se ferret asserebant. De quibus præclarum hoc testimonium tradidit S. Epiphanius ; « Ergo et de

Patre, Filio ac Spiritu Sancto præclarè et ex Ecclesiæ catholicæ præscripto sentiunt : nec transversum ab eo unguem deflectunt et est reliquum vitæ illis institutum sane quam egregium et admirandum, adeo ut non ipsi modo sed et qui illis adhæserunt episcopi, presbyteri ac reliqui omnes de manuum suarum labore victitent... Sed sciendum est quamdam illos Scripturæ vocem duriore quodam et imperitiore modo et vero pertinaciùs interpretari; nam quod *ad imaginem Dei* creatus Adamus dicitur, præfracte illi referendum ad corpus existimant. Verum est illud, ubi dixi, paulo duriùs ac simplicius definire hominem, audere quanam in hominis parte sit imaginis illa constituta ratio » (Hæres. 70, n° 2, P. G., 24.342).

EUSTATHIUS, *Episc. Antiochenus* (ex Epist. ad Alex. Archiep. Alexandriæ : « Verbum carnem factum, quod erat imaginis et dignitatis prototypus... Joannes... in aquas dimisit... » (Anal. sacr. Spicil. Solesm. parata, t. 4, p. 442, Paris, 1883).

EUSEBIUS CÆSAR. *Pamph.* (Præparatio Evangel. lib. XIII, cap. XIII) : «Quocirca hominem etiam « ad imagi- » nem et similitudinem Dei factum esse. » Imago enim Dei, ratio divina et regia, homo non patibilis : humanæ autem imaginis imago mens. » (P. G., 21. 1110).

S. EPIPHANIUS (Hæres LVIII, al. LXXVIII, § XVIII) : « Hæc est (Maria) quam adumbravit Eva quæ viventium mater quodam ænigmatis involucro nuncupatur ». (P. G. 42, 727).

Idem. — (Apud Theodoretum. — Dialog. II, cont. Hæres). « Non enim Paulus dixit : « Conformes Filii Dei, sed conformes imaginis Filii ejus » ostendens aliud esse Filium, aliud imaginem ipsius... At homo ille quem Christus portavit, imago est Filii » (P.G. 83, 175).

S. GREGORIUS-NYSSENUS (De professione christiana): « Ex imagine habeo, quod sim ratione præditus ; ex similitudine autem ut bonus efficiar *induendo Christum...* Christianismus est imitatio divinæ naturæ... nam et prima hominis fabricatio ad imitationem Dei similitu-

dinis erat, Moyse de homine ita philosophante dum ait : *fecit Deus hominem*, etc., et christianismi professio est ut homo reducatur ad pristinam et antiquam felicitatem » (P. G. 46, col. 245).

(Tract. II in Psalm. CXI : « Postea formare incipit (Spiritus Sanctus) subjectam materiam ad similitudinem exemplaris, exemptione et amotione eorum quæ similitudinem prohibent... limans et poliens nostram mentem, per virtutis typum efformat in nobis Christum ad cujus similitudinem ab initio conformati eramus, ad quam denuo conformamur » (P. G. 44, 543).

Et superius cap. VIII : « Perdita igitur malitia... omnes secundum Christum formabimur et in omnibus una effulgebit forma quæ ab initio naturæ nostræ indita erat ». P. G. 44, 527.

Idem. — (Tract. de eo quid sit ad imaginem Dei) : « Ad similitudinem autem Incarnationis Verbi (est) istud animæ nostræ corporisque compositum. Non enim unam quamdam imaginem Dei possidet in se homo sed et secundam et tertiam... Neque vero id solum sed et unius ex sancta Trinitate Dei verbi Incarnationem prænuntiat ». (P. G. 44, 1330).

S. CHROMATIUS *Epic. Aquilejensis* (Tract. III in Evang. S. Matt. n. 22) : « Imaginem Cæsaris... non habuit, sed Christi imaginem in homine reformavit. » (P. L., 20, 333.)

S. HIERONYMUS. In 1um Ezechielis : « *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Imago autem et similitudo Dei, non est corporis forma, sed mentis, descripta ad similitudinem veræ imaginis Christi, qui est imago Dei invisibilis ». (P. L. 25. 21).

EVAGRIUS *monachus* (Alterc. inter Th. et Sim. Jud.) : « In principio Deus fecit, id est in Christi arbitrio... ad cujus imaginem hominem dignatus est facere. » (P. L., 20, 1168).

S. AURELIUS PRUDENTIUS (Carm. Apothes. v. 508) :

« Christus forma Patris, nos Christi forma et imago. » (P. L., 59, 949).

BREVIARIUM ROMANUM (Hym. ad matut. temp. Pasch.) :

Rex sempiterne cœlitum,
Rerum Creator omnium,
Æqualis ante sæcula
Semper Parenti Filius.
Nascente qui mundo Faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo, nobilem
Limo jugasti spiritum.

DRACONTIUS (Carmen de Deo, lib. I, v. 337) : « Limus adhuc deformis erat, membratur in artus corporeos species hominis, cælestis imago. »

Idem (ibidem, v. 582) : « Ut similis qui factus erat (Adam) de pulvere Christo. » (P. L., 60, 749).

AUGUSTINUS STENCHUS EUGUBINUS (Cosmopæia) : « Deum existimat cum hominem fingeret, humanam sumpsisse formam, velut typum et exemplar ad quod opus suum exprimeret, ac verba illa Mosis quibus ad imaginem Dei factus homo dicitur, etiam de corpore interpretatur quod in homine simile est ei formatum quod tunc Deus assumpsit ». (Petau, Theol. Dog. De Deo, etc., lib. II, cap. I, n° IX. — T. I, p. 179).

THEODORETUS, *Episc. Cyrenensis* (Quæst. 19 in Gen.) : « Ad imaginem... prævidebat fore ut Unigenitus carnem et humanam naturam assumeret. » (P. G., 80. 102).

S. GREGORIUS TURON (Historia Franc., lib. I, n° I) : « Nec dubium est quod hic primus homo Adam antequam peccaret typum Domini nostri Redemptoris gesserit » (P. L. 71. 163).

PROCOPIUS GAZÆUS (Com. in Gen. cap. I, 26) : « Quod dicit : « secundum imaginem » quidam acceperunt de solo animo, quasi animus solus sit ad imaginem Dei formatus. Alii de corpore et animo intelligunt, principaliter tamen de animo. » (P. G. 87, 119).

S. ANDREAS CRETENSIS (In Dormit. S. Mariæ III) : « Hæc (cantabant Angeli circa corpus Mariæ) divinorum contractuum subsistens veraque sponsio, eximia pulchritudo, sculpta a Deo statua, divini archetypi egregie expressa imago ». (P. G., 97. 1091).

S. ANASTASIUS *Sinaita* (In Hexam. lib. VI) : « Ad Dei imaginem, hoc est ad Christi imaginem et præfigurationem. » (P. G., 89-935).

Idem (In Hexam. lib. VI) : « Saginatus autem vitulus nominatur Christus, quoniam multis temporibus ante nuptias et unionem cum Ecclesia parabatur a suo Patre in esum gentium, et quodammodo saginabatur sacramentum. Deus enim ante sæcula antiquum verum revelavit consilium ad gloriam nostram gentium, sicut clamat Isaias et Paulus. Et dixit Deus : *Faciamus*... convenienter rationi anagoges, Christum hic intelliges, in quo dicitur illud : *Faciamus hominem*, quando suscepit hominem ; illud autem : *Faciamus*, non solum dicit Pater et Spiritus... sed etiam Filius ut Deus consentit de eo quod est faciendum, ut ipse quoque cernatur amplecti humanæ naturæ susceptionem. » (P. G. 89,930).

Idem (ibid.) « *Et fecit Deus hominem*, a*d Dei imaginem fecit* illum, hoc est, Christi imaginem et præfigurationem (Ibid. col. 930).

ANASTASIUS *Patriarcha Antioch* (1) (e serm. secundum imaginem) : « Totum ex anima nostra et corpore coalescens, ad similitudinem Verbi divini Incarnationis. » (P. G. 89. 1146).

S. PROCLUS CONSTANT. (Oratio de Incarn. Domini) : « Idcirco enim Christus Dominus secundus Adam secundum carnem dictus est, quoniam is, qui præcessit primus Adam Christi Domini figura fuit. Nimirum lutum adumbravit figulum » (P. G. 65-6).

1. Anastasius Sinaita idem habetur cum Anastasio qui (561) episcopus antiochenus fuit, et altero Anastasio in episcopatu succedente. Sed rectius ab utroque horum distinguitur Anastasius Sinaita. (Fabrici Bibliotheca græca, ed Harlen, t. X, p. 571).

S. Isidorus, *Thess.* (Serm. in Annunt. B. M. V., XXI). « Et quum Deus hominem crearet, *propter hanc* (Virginem) arbitror,... pronuntiavit illud : Faciamus hominem, etc... » A fortiori ergo *propter Christum.* (P. G., 139).

Missale mixtum sec. reg. Beati Isodori (Pars 1ª in VI Dom. Paschæ. Inlatio) : « Dignum et justum est... quem hominis effigie misisti in sæculo: ut amares in nobis quod dilegebas in Filio ». (P. L., 85, 596).

S Eugenii, *Episc. Tolet. opuscula* (Dracontii Hexam. a S. Eugenio emendatum) :

Limus adhuc deformis erat, membratur in artus
Corporea species hominis cœlestis imago...
Ut similis qui factus erat de pulvere Christi.

(P. L, 87, 375 et 379)

S. Joannes Damascenus : « Quando autem caro Verbum Dei factum est... imaginem ostendit veram, ipse hoc fiens quod erat imago ejus. » P. G. 95.

Petrus Alphonsus *ex Judæo Christianus* (Dialog) : « Sed per imaginem Dei...formam humanam necesse est intelligere quam assumpsit Dei Filius incarnatus. » (P. L. 157, 619)

S. Bruno, *Episc. Signiensis* (Expos. in Gen. cap. 1) : « Ad imaginem., sic etiam intelligi potest ut talem corporaliter quoque homini imaginem daret, qualem Filium quandoque suscepturum ante tempora disposuerat. » (P. L., 164, 158.)

Rupertus abbas (De gloria Trinit. lib. III, cap. II) « *Faciamus hominem ad imaginem.* Gen. I, 26.. Fodiens hic in altum, ut fundamenta ponam, qualem invenio petram, nisi ipsam Beatæ Trinitatis intentionem dicentis : *Faciamus*, etc. Quænam erat intentio, vel qui erat in intentione ejus, nisi is, qui nunc sedet ad dexteram Patris, mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus ?... Numquid enim cum hæc diceret B. Trinitas : *Faciamus hominem*, etc. de homine isto nihil cogitaverat, aut pro-

posuerat, sed postquam peccavit Adam, tunc demum istud cogitavit Deus ut homo fieret ? » (P. L. 169-75.)

Ernaldus, *Bonæ Vallis abbas* (Lib. de Card. op. Christi, cap. 1) : « Cum spiritus repræsentaret imaginem, et caro nostra Christi corporis similitudinem. » (P. L., 189, 1619.)

S[a] Hildegardis (Liber divinorum operum simplicis hominis, Pars 1, visio IV) : « Et mundus per ipsum factus est, » ita ut mundus ab ipso, non ipse a mundo exortus sit, quoniam creatura per Verbum Dei processit, scilicet quidquid creaturarum, tam invisibilium quam visibilium est, quia quædam sunt quæ nec videri nec tangi possunt, quædam autem videntur et tanguntur. Sed homo utrumque in se habet, animam scilicet et corpus, quoniam ad imaginem et similitudinem Dei factus est. Unde et verbo jubet ac manibus operatur. Sic Deus hominem secundum se ordinavit, quia Filium suum de homine incarnari voluit...

« Nam Deus mundum creavit quem homini tabernaculum præparare voluit ; et quia hominem induere voluit idcirco eum ad imaginem et similitudinem suam fecit. » (P. L. 197 895-896).

Solutiones quæstionum xxxviii. Quæstio i — solutio) «... In primo namque fiat, angeli de prædicta lucida materia cum eorum habitaculo processerunt; et quia Deus, Deus et homo est, ad faciem Patris creavit ; et hominem, de quo tunica induendus erat, ad imaginem et similitudinem suam formavit ». (Ibid. col. 1041).

Petrus de Riga (Fragmenta ex Aurora. Incipiunt Recapitulationes, 1[a] dist. sine A) : « Exprimit hic (primus homo) Christum. » (P. L., 212, 32.)

S. Martinus Legionensis (Serm. 6 in Septuag.) : « Post hæc fecit hominem... id est carnem hominis ad imaginem corporis J. C. D. N., et animam ad similitudinem divinitatis. »(P. L., 208, 556.)

Traditio Judaica (In Bereschit-Rabba id est expositione antiqua lib. Gen. super illud Gen. I, cap. dictum) :

« Faciamus hominem, etc., sic ad verbum legitur : Dixit Rabbi Simeon... Quando veniet Deus... ad judicandum in die judicii, totus mundus expavescet. Dicentque: O David, Rex noster, ora Deum pro nobis... Et ipse respondebit... Non sufficio. » (Ita et Moses et Jacob et Abraham.) « Cum ergo neminem invenerint, qui pro ipsis precetur, dicent : Eamus ad primum hominem... qui est absque peccato et macula.. »

Hoc dici nequit, ut ait Galatinus, de Adam, quum ipse peccato suo universum mundum infecit. (De arcanis Catholicæ veritatis lib 7, cap. IV.)

Ergo hic primus homo est Christus, archetypus nostri parentis Adam.

CONCLUSIO.

Cum ex prædictis Patribus Adam ad imaginem Christi creatus fuerit, Christus non fuit decretus post prævisum Adami peccatum. Ergo fuit principium creationis.

CAPUT III

Christus præfiguratus fuit in statu innocentiæ.

Prob. ex Script. « Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave ; lignum etiam vitæ in medio Paradisi. Et ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem. » (Gen., II, 9, 22) (Et alii textus de statu innocentiæ.)

S. JUSTINUS *martyr et philos.* (Dialog. cum Tryphone, n° 86) : «... Illius (Christi) symbolum fuisse tum lignum vitæ, audite... » (P. G., 6-679.)

S. MELITO, *Episc. Sard.* (Clavis. § V, 1) : « Adam *homo* sive *terrigena*, Christi figuram gerens, de cujus latere Ecclesiæ sacramenta prolata sunt. » (Spicil. Solesm., Paris, 1885, t. 3, p. 301.)

S. HIPPOLYTUS EP. PORTUENS. (Frag. in Proverb.) « Fructus justitiæ et arbor vitæ, Christus est ». (P. G. 10, 619).

PAPIAS HIERAPOLITANUS totum Hexameron intellexit de Christo et Ecclesia. Etenim S. Anastasius Sinaïta : « Freti ore sancti Spiritus : Pauli, inquam, linguâ, quæ dicit quod quæcumque sunt in lege, prius scripta sunt in figuram Christi et ipsius Ecclesiæ, accepta, si vere dicere oportet, occasione ex Papia viro clarissimo Hierapolitano, qui dixit in Epistethio, Clemente et Pantheno Alexandrino sacerdote, et Ammonio sapientissimo interpretibus, veterum et primorum conventione, qui totum Hexameron intellexerunt de Christo et Ecclesia. » (P. G. 89, 860.)

ORIGENES : « Origenes quoque in omnibus libris suis Christum hominem factum anima præditum esse agnos-

cit. Sed specialiter in nono tomo commentariorum quos scripsit in Genesim hujus rei sacramentum exponit : quo loco Adamum quidem Christi, Evam autem Ecclesiæ typum gerere pluribus verbis asseruit. » Ita Socrates lib. III, Hist. Eccles., cap. 7, monitum ad Exegetica Origenis in Genesim (P. G. 12. 43).

S. HILARIUS (in Gen. VII) : « Magis falsitati, id est diabolo, quam veritati, hoc est Christo, erat Eva credîtura. » (Spicil. Solesm. a Dom J. B. Pitra, t. I, p. 161.)

Idem (in Epist. ad Ephes. cap. XLV, V. 32) : « Illud quod dictum est in principium opificationis de mulieribus et maritis, hoc mystice in Christo et in Ecclesia adimpletum est. » (Spicil Solesm. t. I, p. 123.)

S. AMBROSIUS (Exp. Evang. sec. Lucam, lib IV, 66) : « Nec quisquam incongruum putet esse, si Adam atque Eva in typo animæ et corporis æstimentur, cum in typo Ecclesiæ æstimentur et Christi. » (P. L., 15, 1632.)

Idem (De Paradiso, cap. III) : « Erat fons qui irrigaret Paradisum. Qui fons, nisi D. Jesus Christus ? » (P. L., 14. 279.)

Idem (in Ps. XXXIX, II) : « In capite libri scriptum est: Os de ossibus meis... Quis est iste qui locutus est ? Aut de quo istud sit sacramentum ? Audi dicentem : Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia. » (P. L., 14, 1061.)

S. GREGORIUS NAZIANZENUS (Eum sic Hieronymus Com. in epist. ad Ephes. lib. III, cap. V, locutum fuisse testatur.) « Hoc sacramentum magnum... Ego autem pro pusillitate sensus mei, in Christo interius illud et in Ecclesia intelligendum puto. » (P. L., 26, 535.)

S. ATHANASIUS (Exp. in Ps. I-3) : « Lignum vitæ Christus, rami Apostoli, fructus sanguis et aqua. » (P. G., 27, 62.)

S. METHODIUS, *Episc. et Martyr* (Conv. decem Virg. Orat. III. c. 8) : « Apostolus recte ad Christum direxit, quæ de Adamo (innocente) dicta erant. » (P. G., 18. 72.)

Idem. conv. oratio IX cap. III. « Lignum enim vitæ est omnium primogenita sapientia ». (ibid. 183.)

Idem. « Qui non credidit Christo neque eum esse principium et lignum vitæ ». (ibid.)

S. EPIPHANIUS (Adv. Hæres. lib. III, t. 2, hæres. 78, 79) : « Quippe ex Maria sumpta illa Scripturæ sententia est quam ad Ecclesiam accommodare possumus: Propter hoc relinquet... etc. » (P. G., 42-730.)

S. J. CHRYSOSTOMUS (De mutatione hominum, II, n° 3.) « Propterea Edem illam (terram) appellavit, quod terram virginem significat. Hæc virgo figura illius virginis fuit... nam et illa nullo viri suscepto Christum nobis germinavit.» (P. G., 51. 129.)

S. HIERONYMUS (Com. in Epist. ad Ephes. lib. I, cap. I, 10) : « Recapitulari omnia in Christo... Dispensatio, quæ ante mundum, et postea, esse cœpit in mundo... adventum Dei Filii pollicebatur. » (P.L., t. 26, p. 454.)

S. AUGUSTINUS (De Gen. ad litt. lib. VIII, cap. IV) : « Erat ergo et lignum vitæ, quemadmodum petra, Christus. » (P. L., 34, 375.)

Idem (Ibid., cap. V) : « Sic et sapientia, idem ipse Christus, lignum vitæ est in paradiso spiritali... Mirum est autem et vix ferendum quemadmodum velint homines paradisum figurate dictum et nolint etiam figuratè factum. Quod si concedunt, sicut de Agar et Sara, sicut de Ismael et Isaac, hæc quoque et facta et tamen etiam figurata ; cur non admittant etiam lignum vitæ et vere aliquod lignum fuisse et tamen Sapientiam figurasse non video. » (376-377.)

Idem (Contra Faustum, lib. XII, cap. VIII) : « Omnia quæ illic (Gen. II) leguntur enucleate tractata, Christum Ecclesiamque præloquuntur. » P. L., 42, 258.)

S. ANASTASIUS SINAITA (In Hexam. lib. I) : « Postulandum est a superna Sapientia... ut nobis revelet mysticum sensum.. nempe quomodo per sex dierum creationem prius præfiguravit figuram Ecclesiæ Christi. » (P.G., 89, 861.)

Idem (In Hexam. lib. VII) : « Hæc... (de sex diebus) sunt symbola... et ipsius Christi apparitionis hominisque susceptionis.» (P. G., 89. 940)

Idem (Ibid., lib. IX)» « Sed hæc (interpretationes mysticas) non intelligunt Judæi... Tu autem, o divinissime et a Deo plantatæ Ecclesiæ paradise, ingredere certam et non errantem viam cum Paulo paradisi spectatore, paradisi cive, audiens eum dicentem quod omnes creaturæ quæ sunt in cœlo et in terrâ describunt ac figurant Christum et Ecclesiam.» (P. G., 89, 995.)

Idem : « Qui autem tanquam hæreticus et invidus adversus ea quæ dicuntur contradicit, sed contra Spiritum Sanctum et Christum, qui per os Pauli quæcumque dicuntur de Adamo et Eva refert ad Christum et Ecclesiam. » (*Ibid* 999.)

Gregorius Elviriensis (Tract. cantic., I, 1-2): « Audistis epitalamium carmen, quod Spiritus Sanctus per vatem integrum Salomonem ex voce Sponsi et Sponsæ, id est Christi et Ecclesiæ, pro cœlestium nuptiarum allegorica decantatione prædixit, quando Christus sponsus et Ecclesia sponsa obpigneraverunt sibi invicem castam conjunctionem et facti sunt duo in carne una (Ephes., V, 31 ; Gen., II, 24), id est Deus et homo. » (Bulletin de Littérature ecclésiastique. Institut catholique de Toulouse. Oct.-Nov. 1906, p. 237.)

S. Eucherius Lugdunensis Episc. (Com. in Genes., lib. I, cap. II, 9): « Lignum vitæ quamvis significaret Christum, tamen erat corporaliter et evidentissime lignum.

» *Plantaverat autem Dominus hoc paradisum a principio.* Paradisus Ecclesia est. A principio autem paradisus plantatur, quia Ecclesia catholica a Christo, principio omnium, condita esse cognoscitur. » (P. L., 50, 907.)

Joannes Cassianus (De Inc. Christi lib. 5, c. 12) : Propterea relinquet, etc. (Gen. I, Matth. XIX) : « Qui fuerunt ergo in carne una, Deus scilicet atque anima. » (P. L., 50; 13.)

S. Prosper Aquitanus (Appendix lib. de promission. Pars I, cap. I) : « Hoc nunc os de ossibus... Hoc itaque factum esse ut rem gereret et figuram, Apostolus testis est. Sacramentum hoc magnum est... Sacramentum quippe magnum quod promissum speravit Adam. » (P. L., 51, 735.)

S. Gelasius Papa I (Epistolæ et decreta adversus Pelagianam hæresim) : « Constat in ipso primo homine Christum et Ecclesiam figuratam, beato Paulo apostolo nos docente, cum de fœdere sancti conjugii loqueretur : *sacramentum hoc magnum est*, etc. » (P. L., 59, 118.)

Idem (ibidem, 136).

S. Avitus Viennensis (Opusc. fragmenta IV. Ex serm. Pass. Dom.): « Apostolus... in ipso mundi principio, ædificationem mulieris de costa... nascentis Ecclesiæ dicit signasse compagem. » (P. L., 59, 311.)

Primasius Adrumetanus *Episc.* (In Ep. ad Rom.): « Christi forma fuit Adam, quia sicut Adam sine commercio conjugali Dei manibus est factus, ita et Christus ex Virgine. » (P. L., 68, 441.)

S. Leander Hisp. *Episcop.* (Homilia laud. Eccles. oratio habita in Conc. Tolet. III) : « Ille (Christus) igitur caput et ista (Ecclesia) corpus, de quibus in principio Genesis dicitur : *Erunt duo in carne una.* Quod apostolus in Christo intelligit et in Ecclesia. » (P. L., 72, 896.)

Idem (*De Universo*, liber II, cap. unic) : « Hic (Adam) figuram Christi gestavit. Nam sicut sexta etc. »

S. Isidorus Hisp. (In Gen., cap. III) : « *Plantaverat autem Dominus Deus*, etc. Paradisus Ecclesia est... A principio autem paradisus plantatur, quia Ecclesia catholica a Christo, principio omnium, condita esse cognoscitur. Fluvius de paradiso exiens imaginem portat Christi, de paterno fonte fluentis... Lignum vitæ sanctus sanctorum ubique Christus. » (P. L., 83.)

Idem (alleg. ex Vet. Test.) : « Adam figuram Christi gessit... Eva designat Ecclesiam factam per mysterium

lavacri quæ de latere... in cruce morientis Christi fluxit.» (P. L., 83, 99.)

Idem. (In Gen. c. III, 10) : « Ergo quod per historiam completum est in Adam, per prophetiam significatur in Christo. » (*ibid. col.* 217.)

S. Beda (Hexam. lib. I) : « Et quidem lignum vitæ... hoc itaque corporaliter factum est ut sacramenti quoque esset figura spiritalis, i. e. Dei et Domini nostri Jesu Christi. » (P. L., 91, 44.)

Idem (de 6 dierum Creatione liber) : »Lignum vitæ... utique Christus. » (P. L., 93, 226.)

S. Hildefonsus Tolet. (Lib. de Cognit. Baptismi) : « Adam ergo Christi, Eva Ecclesiæ figura fuere. » (P. L., 96, 114.)

Wicbodus (Lib. Quæst. sup. Lib. Gen. : De Plantatione paradisi) citat S. Augustinum in Hexameron : « Sic et Sapientia idem ipse Christus, lignum vitæ etiam in paradiso spiritali, quo misit de cruce latronem. Creatum est autem quod eam significaret lignum etiam vitæ in paradiso corporali, nec sine mysteriis rerum spiritalium corporaliter præsentatis, voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem sacramentum, quid significans nisi Sapientiam. » (P. L., 96, 1146.)

S. Ephrem : « Ut mysterium ac Typus esset rei futuræ costa ex illo (Adamo) desumpta est, » (Passaglia de Im. Conceptu. Pars III[a], section VI[a], n° 1.300.)

S. Andreas Cretensis (In Annunt. B. M.) : « Hodie manifestum efficitur sacramentum a sæculis absconditum, omniaque pariter in Christo velut capite repetuntur ac instaurantur. Hodie creatrix universorum suprema auctoritate decernens potentia præconceptum olim creationis rerum consilium ad finem perducit, illud in nos a principio excogitatum malorum submotura consilium»(1).

1. In his verbis Combifisius suæ sententiæ confirmationem reperit : nam, ut ait, Deus inter alia humanam salutem velut absolute decrevit, et aliqua futura quasi vage, ante etiam decretam Incarnationem « ut Christu ex illo

S. JOAN. DAMASCENSUS (In Ep. ad Ephes. cap. V. 32): « Sacramentum hoc magnum est... cum nempe sumpta ex viro muliere eaque cum viro copulata Christus et Ecclesia figurarentur. » (P. G., 95, 854)

FRECULPHUS LEXOVIENSIS *Episcopus* (Chron. t. I, lib. I, c. IV) : « Erat utique in Paradiso corporaliter lignum vitæ... quamvis significaverit mystice Christum. In isto erat sacramentum. » (P. L., 106, 94.)

B. RABANUS MAURUS *Arch. Mogunt.* (Com. in Gen. lib. I, cap. XII) : « Sed hoc ita corporaliter factum est (lignum vitæ) ut sacramenti quoque esset figura spiritualis, i. e. Dei et Domini nostri Jesu Christi. » (P. L., 107, 476.)

ANGELOMUS LUXOVIENSIS *mon.* (Com. in Gen. c. II, v. 9) : « Vera petra fuit ita et lignum vitæ, quamvis eumdem significaret Christum. » (P. L., 105, 119.)

HAYMO HALBERS. *Ep.* (Com. in. Ap. cap. XXII): « Quod scilicet lignum (vitæ) Dominum nostrum Jesum Christum significat. » (P. L., 117, 1214.)

S. PASCHASIUS. RADBERTUS ab. Corbeien. (Exp. in Math. Lib. IV, cap. VI.) : « Lignum autem vitæ Christum debere intelligi, nemo qui Scripturas Sacras legit dubitare poterit. » (P. L., 120, 291.)

Idem. (Lib. de Corp. et Sang. Dom. cap. VII, 2) : « Arbor ligni vitæ Christus... cujus imago in Paradiso arbor illa fuit. » (P. L., 120, 1285.)

S. REMIGIUS LUGDUN. *Episc.* (De gen. per Adam damnatione) : « De Christo et Ecclesia verius intelligitur : Erunt duo in carne una. » (P. L. 121, 1081.)

S. ADO *Archiep. Vienn.* (Chronic. 1ª ætas) : « Et in formatione Adam, et de costa lateris ejus mulieris Evæ, sacramentum Ecclesiæ Christi. » (P. L., 123, 26.)

velut nostri amore, quanquam alioqui primus prædestinatorum, ac ne homo periret, quem Deus creasset salvandum, prædestinatus sit. » (P. G., 97, 883)

Quæ conclusio nullatenus videtur juxta mentem S. Andreæ Cret., quod evidentius patet hæc ipsius verba consideranti asserentis « Mariam esse scopum excogitatum ante sæcula ; electam fuisse ante omnes generationes naturæ totius ».

Remigius Antissiodor. *Mon.* (Com. in Gen., cap. II, v. 12) : « Lignum vitæ in medio paradisi Christus est. » (P. L., 131, 61.)

Idem. (Ibid. v. 20) : « Mystice Adam Christum significat. » (Ibid. col. 63.)

S. P. Damianus (Op. LX. Exp. Lib. Gen. cap. VIII) : « Per Adam Christus, per Evam designatur Ecclesia. » (P. L., 145, 845.)

B. Lanfrancus (In Epist. ad Rom. v. 11) : « Adam forma fuit Christi, quia sicut ille pater omnium secundum carnem, sic Christus pater fidelium secundum fidem. Et sicut ex latere Adæ formata est Eva, sic ex latere Christi profluxerunt sacramenta. » (P. L., 150, 121.)

S. Bruno Cartusian. *Instit.* (In Epist. ad Ephes. cap. V) : « Hoc Sacramentum magnum est... In hoc verbo mittit nos ad primam creationem... Ego dico rem hujus sacramenti existere in Christo et in Ecclesia. » (P. L., 153, 346.)

Theophylactus Bulgariæ *Archiep.* (Expos. in Ep. ad Ephes. V. 32) : « Sacramentum hoc magnum est... interim tamen ad Christum, inquit, ego hoc refero, tanquam prophetice de eo dictum est. » (P. G., 124, 1118.)

Ven. Guibertus ab S^æ Mariæ de Novigento (Moralium in Gen., lib. I, cap. I, v. 14). « *Fiant luminaria...* Duo ista luminaria Christum et Ecclesiam interpretari satis idoneum est. » (P. L., 156, 46.)

Wernerus abbas S. Blasii (Deflorationes SS. Patrum, lib. II, Dominica XX^a) : « Institutio conjugii duplex est una ante peccatum ad officium, alia post peccatum ad remedium... Prima institutio conjugium proposuit in fœdere dilectionis ut in eo esset sacramentum societatis quæ in spiritu constat inter Deum et animam. Officium autem conjugii in commistione carnis proposuit ut in eo sacramentum esset societatis quod in carne futura erat inter Christum et Ecclesiam. » (P. L., 157, 1196.)

Div. Yvo Carnot. *Episcop.* (Serm. I de Sacram.) :

« Ad ejus rei consonantiam eadem (prima) ætate de latere Adæ, qui erat forma Christi futuri, Eva formata est. » (P. L., 162, 506.)

Honorius Augustod. (Libellus oct. quæst. cap. II.) « Denique provida Scriptura ante peccatum hominis promittit Christum dicens: Relinquet homo etc... Ecce adhuc nullum peccatum ab homine committitur et Christi et Ecclesiæ conjunctio in una carne prædicatur ». (P. L., 172, 1187.)

S. Bruno *Episc. Signiensis* (in Gen. cap. II) : « Quod autem lignum vitæ nisi Christus ? » (P. L., 164, 164.)

Hugo de S. Victore (Alleg. in. Vet. Test. lib. I, cap. VI) : « Fons... Christum significat... lignum quoque vitæ Christum significat. » (P. L., 175, 639.)

Idem (De sac. lib. II, pars X, I) : « Prima institutio conjugii... Officium conjugii in carnis commixtione proposuit ut in eo esset sacramentum societatis quæ in carne futura erat inter Christum et Ecclesiam. » (P. L., 176, 481.)

Idem. (Sum. Sent. tract. III, cap. III) : « In quo facto (costa Adæ) mysterium Christi et Ecclesiæ figuratum est. » (Ibid., col. 92.) Vide etiam col. 314.

Ven. Herveus Burgidol. *mon.* (In Epist. ad Rom.): « *Forma futuri...* a simili, quia sicut Adam sine patre a Deo, ita Christus ex Virgine Maria sine semine a Deo creatus est. » (P. L., 181, 664.)

B. Amedeus *Episc. Lausann.* (Hom. III de Inc. Verbi): « Ibi (in utero Virginis) carni nostræ copulatum (Verbum) implevit sacratissimum sacramentum ut essent duo in una carne. » (Gen. II.) (P. L., 188, 1317.)

Petrus Lombardus (Sent. lib. IV, dist. XXVI) : « ...Conjugium... sacrum signum est et sacræ rei, scilicet, conjunctionis Christi et Ecclesiæ. » (P. L., 192, 909.)

Magister Bandinus (Sent. Lib. II de mundi creatione, dist. XVIII) : « Quod autem facta est mulier sopore misso in Adam, sacramentum Christi et Ecclesiæ.» (P. L., 192, 1046.)

Hugo Rothomagensis *Episc.* (Dial. lib. II, cap. xiii): « Quem (Christum) primus Adam præfiguravit. » (P. L., 192, 1162.)

Arnulfus Lexoviens. *Episcop.* (Serm. Synod. III): « Fœdus hoc (erunt duo in carne una, Gen. II) in persona Christi celebratum est quando, scilicet, cum divinitate humanitas et cum humanitate convenit divinitas. » (P. L., 201, 163.)

Henricus S. R. E. *Cardinalis* (De pereg. Civit. Dei Tract. XI) : « Incarnationis Christi mysterium in prima cœli et abyssi creatione Deus mox figuravit. » (P. L., 204, 335.)

S. Martinus *Legion.* (Serm. IV, in Nat. Dom., § XXII) : « Sancta Ecclesia ab initio mundi figuris... fuit præostensa, videlicet in Adæ costa. » (P. L., 208, 363.)

Idem. (Ibid. § XXXIII) : « Cum igitur conjugium sacramentum sit, signum est sacræ rei, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesiæ. » (P. L. 208, 484.)

Idem (Vide serm. IV in Septuag., col. 557, et serm. VII in Septuag.) : « Fons qui est in paradiso, Christum significat... lignum etiam vitæ Christum significat. » Ibid., 591-592.)

Innocentius III (De quadripartita specie nuptiarum) : « Ad sacramentale ergo conjugium quod... contrahitur inter Christum et sanctam Ecclesiam, spectat illud... *Hoc nunc os de ossibus.* Gen. » (P. L., 217, 931.)

Petrus Capuanus (Ad. litt. XII ex art. 38, lignum) : « Primum lignum Paradisi, scilicet Christus, plantatum est in Ecclesia. » (Spicil. Solesm., t. 2, p. 349, Paris, 1855.)

Idem. (Distinct. monasticarum lib. IV) : « Lignum vitæ Christus est. » (Ibid.)

Hermanus Werdinensis (Hortus deliciar. lib. II, v. 2960, 61) :

Hoc lignum vitæ, Deus, es, animas quia pascis,
Et satias vultus lumine, Christe, tuo.

(Spicil. Solesm., t. 2, p. 352. Edit. 1855.)

PETRUS DE RIGA (Aurora in Cant. v. 175) :

Est Christus lignum vitæ, de Virgine nascens,
Nos verbis, nos exemplis, nos nectare pascens.

(Spicil. Solesm., t. 2, p. 374.)

B. GEORGIUS (De B. V. Maria) : « In prima matre nostra hujus (Mariæ) imago fuit... Ut enim Eva ex latere protoparentis, sine semine prodiit, ita hæc seminis expers pariet Dominum. » Anal. sac. Spicil. Solesm. par., t. I p. 278.)

MISSÆ PROPRIÆ DIŒCESIS AURELIANENSIS.

(Sequentia-Dedicatio om. Eccl. Galliæ.)

Hanc (Ecclesiam) sanguinis et aquæ munere
Dum penderet in crucis arbore,
De proprio produxit latere
Deus homo.

Formaretur ut sic Ecclesia,
Figuratur in prima femina
Qu e de costis Adæ est edita
Mater Heva.

Ab æterno fons Sapientiæ
Intuitu solius gratiæ
Sic prævidit in rerum serie
Hæc futura.

CONCLUSIO

Ergo in statu innocentiæ Christus fuit præfiguratus. Sed si Incarnatio propter Redemptionem tantum, Adamo non peccante (et non erat prædeterminatus ad peccandum), stetisset figura sine præfigurato.

CAPUT IV

Adam innocens Christum prophetizavit.

Si Adamo innocenti mysterium Incarnationis revelatum fuit, jam non ab ipsius peccato dependebat (1). Atqui ita. Probatur.

« Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. » (Gen., II, v. 23 et 24.)

Divus Polycarpus Smyrn. *Episc. et Mart.* (Responsionum fragmenta) : « Adam... inspiratione divina prophetavit. Deus vero qui per inspirationem divinam in corde Adam ista verba formavit, ipse Pater a Domino recte locutus fuisse refertur. Nam et Adam hanc prophetiam protulit (os de ossibus). » (P. G. 5, 1026.)

S. Clemens ? (Recognit. Lib.I., 47) : « Memini, Petre, dixisse te de primo homine, quia propheta fuit... Petrus : certum est eum prophetam fuisse. » (P. G. 1. 1234-1235.)

S. Theophilus Episc. Ant. (Ad Autol. lib. II, nº 28.) « Dixit ergo Adam ad Evam : « Hoc nunc os etc. » Præterea vaticinatus est in hæc verba : Propterea derelinquet, etc. » (P. G. 6, 1095.)

Tertullianus. (lib. de Anim, cap. II, XXI) : « Adam statim prophetavit magnum illud sacramentum... (os de

1. Etenim si ab ipsius peccato ut dependens, mysterium Incarnationis revelatum fuisset, quum jam in hoc casu finalis causa Incarnationis esset Redemptio, tunc luctuosissima fuisset hæc prophetia velut Simeonis prophetia ad Virginem Mariam.

ossibus), cecidit enim extasis super eum, Sancti Spiritus vis, operatrix prophetiæ. » (P. L., 2, 684.)

Clemens Alex. (1 Strom.) « Apud Hebræos autem Dei virtute et inspiratione (prophetæ exstitere), ante legem quidem Adam, qui et de muliere et de animantium nominatione futura prædixit. » (P. G. 8, 870.)

Origenes. (In Cant. cant. Lib. II.) « Inter prophetas autem numeratur et Adam quia magnum mysterium prophetavit in Christo et in Ecclesia dicens : *Propter hoc relinquet homo*, etc. » (P. G. 13, 134.)

Jam Περ' Αρχων,, lib. I, cap. III, 6-7 : « Sed et illud videndum est ne forte idem significet quod in Genesi scriptum est cum ait : « Et insufflavit in faciem ejus inspirationem vitæ. Et factus est homo in animam vivam »... Si vero hoc de Spiritu Dei dictum intelligendum est, quoniam et Adam prophetasse de nonnullis invenitur, ergo jam non generaliter de sanctis quibusque accipi potest. » (P. G. 11, 152.)

S. Hilarius (Tract. in Ps. 138, v. 29) (os de ossibus) : « Os Christi Ecclesiam esse et prophetica et apostolica auctoritas est. » (P. L., 9, 807.) (Hic agitur de Adami prophetia).

Epiphanius (lib. I, nº 5) : Fuit enim ille (Adam) propheta. »

Idem. (Hæres. 48, cap. III), dicit Adamum illis verbis vaticinatum fuisse de futuris. (P. G. 41, 863.)

Philo Carpathiorum Episcopus, ab Epiphanio ordinatus. (In Cant. cant. interpretatio, cap. IV ad fin.) *Talis est frater meus et talis est propinquus meus, filiæ Jerusalem*... « Quam nobilis facta est creatura rationalis, postquam summum Deum auctorem omnium suæ mortalitatis meruit habere participem, ut jure jam dicere possit, Deus homo et homo Deus. Quod Adam primus omnium parens futurum divinitus providit cum exclamavit : Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. » (Pat. Lugd., t 5, p. 686.)

S, Joan. Chrysostomus (In cap. I Genes. Hom. XV): « Et dixit Adam : Hoc nunc os ossibus meis... Vide hic, quæso, quomodo cum ineffabili illâ sapientiâ, sibi a Deo suppeditatâ... etiam propheticam gratiam accipit. » (P. G. 54, 122).

Idem. (In Epist. ad Gal. Hom. xx. nº 4) : *Hoc nunc os, etc. Sacramentum hoc magnum est...* Revera magnum est mysterium, arcanam quamdam habens sapientiam. Hoc multis retroactis sæculis Moyses prophetans dicit ; hoc et Paulus clamans profert : *In Christo et Ecclesia.* » (P. G. 62, 140.)

S. Hieronymus (Com. in Ep. ad Eph. lib. III, c. v) : « Propter hoc relinquet homo... Primus nam homo et primus vates Adam hoc de Christo et Ecclesia prophetavit. » (P. L., 26, 836.)

Ruffinus Palæstinus. (Lib. de Fide, XXVIII) : « Ergo Adam... in Spiritu Dei prophetando dicebat : Hoc nunc ex ossibus. » (P. L., 21, 1137.)

S. Proclus Archiep. Constantin. (Or. de Incarn. Dom.) : « Ne Dei ipsum partum curiose nimis perscrutari inciperet, immittit ei somnum... talia ad eum dicens...: Non potes perspicere animo, qua homo ratione generetur, divinæque Incarnationis mysterium rimari poteris ? » (P. G., 65, 698.)

S. Augustinus (De Gen. contra Manich., lib. II cap. xxiv-37) : « Dicit enim Apostolus sacramentum magnum esse, quod dictum est, *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una :* quod ipse interpretatur subjiciendo : *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* (Ephes. v, 31.) Ergo quod per historiam impletum est in Adam, per prophetiam significat Christum qui reliquit Patrem...» (P. L., 34, 215.)

Idem (De Genes. ad litt. lib. IX, cap. xix) : « Denique evigilans tamquam prophetiæ plenus... eructavit continuo quod magnum sacramentum commendat Apostolus... Ut intelligeremus propter extasim quæ præcesserat in

Adam hoc divinitus tamquam prophetam dicere potuisse. » (P. L., 34, 408.)

Idem (De nuptiis et concupisc. lib. II, cap. IV, 12) : « Deus utique per hominem dixit (relinquet homo, etc.) quod homo prophetando prædixit. » (P. L., 44, 445.)

S. EUCHERIUS *Episc. Lugd.* (Com. in Gen. lib. I, c. II, 19) ; « Ut... evigilans (Adam) tamquam prophetia plenus, sacramentum... eructaret. » (P. L., 50, 909.)

S. PROSPER AQUITANUS (Lib... de Promiss., c. I) : « Sacramentum igitur magnum quod promissum spectavit Adam. Sibi conjunctam vidit quam credidit conjugem. Nobis per fidem vivorum signavit futuram Ecclesiam. » (P. L., 51, 735 et 1635.)

S. LEO MAGNUS (Epist. LIX, cap. IV) : « Os de ossibus meis... ab ipso principio generis humani, omnibus hominibus Christus est denuntiatus in carne venturus. » (P. L., 54, 871.)

PROCOPIUS GAZÆUS (Com. in Gen., cap. II, v. 18) : « At Adam ista hæc omnia (os de ossibus) prolocutus est divino et prophetico inspiratus spiritu. » (P. G., 87, 175).

S. ISIDORUS : « Propter hoc relinquet homo, etc., prophetia est ad sacramentum Christi et Ecclesiæ referenda.» (Glossa ordinaria.)

S. JUSTUS URGELLENSIS (In Cant. cant. cap. II n° 52) « *Dilectus meus mihi et ego illi.* Dicit Apostolus : *Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia*... Habet igitur Christus Ecclesiam in suo corpore et Ecclesia Christum in capite : quæ connexio quia dissociari non potest, merito dixit : Dilectus meus mihi. » (P. L., 67, 973.)

Ergo Ecclesia in primordiis innocentiæ ; ergo et caput ipsius, Christus.

S. BEDA (Hexamer. lib. I) : « Ut intelligeremus propter extasim quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitus tamquam prophetam dicere potuisse. » (P. L., 91, 52.)

Idem (In Pentat. Com. cap. II, tom. 91, p. 209) hæc eadem verba.

Idem. (De sex dierum Creat. lib.) : « Quomodo ergo misit Deus soporem in Adam ?... Id intelligendum est ut particeps esset curiæ angelorum, intrans in sanctuarium et intelligens in novissimis eorum, statim eructavit dicens : « Hoc nunc os, etc. » (P. L., 93, 227, 228.)

B. RABANUS MAURUS (In Epist. S. Pauli lib. XVIII, cap. V) verba S. Hieronymi supra citata transcripsit. (P. L., 112, 461.)

Idem (Com. in Gen. lib. I. cap. XIV) : « Denique evigilans (Adam) tamquam prophetia plenus. » (P. L., 107, 486.)

ANGELOMUS LUXOV. *monach.* (Com. in Gen. c. II, v. 24) : « Hic primum Adam prophetavit de Christo et Ecclesia. » (P. L., 115, 135.)

HAYMO HALBERSTAT. *Episc.* (Exp. in Epist. ad Eph. V. 25) : « Hæc autem (propter hoc relinquet homo, etc.) primo vates Adam de Christo et Ecclesia prophetavit. » (P. L., 117, 730.)

S. PASCHASIUS RADBERTUS AB. CORBEIEN. (Exp. in S. Mat. lib. IX, c. XIX) : « Nos tamen de hac re, quidquid Adam probatur dixisse, in prophetia vere dictum accepimus. » (P. L., 120, 647.)

REMIGIUS ANTISSIOD. *monachus* (Com. in Gen., II, v. 23) : « B. Augustinus dicit factum Adam in extasi mentis et prophetiæ spiritu afflatum. » (P. L., 131, 63.)

S. BRUNO *Episc, Signiensis* (Exp. in Gen.) ; « Quis neget... Adam spiritu prophetiæ repletum fuisse ? » (P. L., 164, 165.)

RUPERTUS (De Trinit. in Gen. XXXIV) : « Sopor utique quem Deus immisit, non vigilias rationis claudere debuit, sed... sensum mentis liberum reliquit. » (P. L., 167, 282.)

VEN. GODFRIDUS *Ab. Admontensis* (Hom. Dom. III) : « Quisnam iste propheta fuit qui... Redemptionis futuræ mysterium præcinuit ? Utique ille protoplastes... » (P. L., 174, 34.)

Idem (ibid. p. 1091.)

Honorius Augustodunensis (Libel. octo quæstionum, caput II) : « Denique provida Scriptura ante peccatum hominis promittit Christum, dicens : « Relinquet homo patrem et matrem... Ecce adhuc nullum peccatum ab homine committitur et Christi et Ecclesiæ conjunctio in una carne prædicatur... » (P. L., 172, 1187.)

Moses Bar Cepha Syrus *Episc.* (Com. de Parad. p. I, c. XXVIII) : « Prophetam fuisse Adamum vel hinc constat quod per vaticinium dixerit : Hæc jam caro de carne... »

Theophylactus Bulgariæ Archiepisc (Expositio in Epist. ad Ephesios V, 32) : *Sacramentum hoc magnum est*... ad Christum refero tanquam prophetice de eo dictum est. » (P. G., 124, 1118.)

Ven. Herveus Burgidol. *mon.* (Com. in Ep. ad Eph.) : « Quia ipse (Christus dilexit) Ecclesiam ab initio, fuit prophetatum de eo quia : « Relinquet homo, etc. » (P. L., 181, 1269.)

Idem (Com. in Ep. ad Heb. X) : « In primis partibus lib. Gen. legitur prophetatum quia « relinquet homo », etc., i. e. Dei Filius hominem induens, venit a sede paterna. » (P. L., 181, 1628.)

S. Bernardus *Ab.* (Serm. 6 de Vigil. Nat. Dom.) : « Primus homo... magnum eructans sacramentum quod in Christo et in Ecclesia Apostolus... commendavit. » (P. L., 183, 110.)

Idem (Serm. II Sept.) : « Qualis ille sopor dicendus sit fuisse ? Mihi non nisi incommutabilis veritatis intuitu et abysso divinæ sapientiæ corporeis excedens sensibus obdormisse videtur... Rediens indicat quo abiisset dum tamquam ebrius de illa cella vinaria veniens et eructans illud magnum sacramentum : « Hoc nunc os ex ossibus, etc. » (P. L., 183, 166.)

Ernaldus Bonævallis *ab.* (De donis Spir. Sancti) : « Propter hoc relinquet... ostendit hoc jam ab initio sæculi per hanc sententiam propheta, Christi scilicet Incarnationem. » (P. L., 189, 1604.)

Petrus Lombardus (collect. in Epist. ad. Eph. V) : « Ut scias per extasim soporis qui præcessit in Adam... hoc eum divinitus tamquam prophetam dicere potuisse. » (P. L., 192, 216.)

Petrus Comestor (Hist Scholastica. Lib. Gen. cap. XII) : « Alii spiraculum vitæ... homini tunc datum asserunt ad prophetandum. » (P. L., 198, 1066.)

Idem (ibidem, cap. XVI) : « Unde et evigilans (Adam) prophetavit de conjunctione Christi et Ecclesiæ. » (P. L., 198, 1070.)

Alanus de Insulis (Serm. de Art. prædic. cap. VI) : « Sunt tres species somnii. Primum est contemplationis per quod rapitur homo ad videndum cœlestia.. De primo dicitur : « Immisit Dominus soporem in Adam. » (P. L., 210, 125.)

Petrus de Riga (frag. ex. Aurora ex Gen.) :

In qua (extasi) perspicue causas vidisse supernas
Fertur et evigilans inde propheta fuit.
Judicium per quam, per flammam vidit, et ortum
Christi prædidicit, Ecclesiæque fidem (V. L. 217-21.)

S. Hildegardis (Lib. comp. medicinæ) : « Cum Deus soporem in Adam misit, anima ejus in vera prophetia interim multa vidit. » (Anal. sac. Spicil. Soles. parata. J. B. Card. Pitra, t. 8, p. 476, Paris, 1882.)

Traditio judaica confirmat quod Adam nondum lapsus Incarnationis mysterium cognoverit.

In Midras Kohelet, i. e. in expositione Eccles. super illud 7 cap. vide opus Dei... sic ad litteram legitur : « Dixit R. Azdrias : In hora qua Deus creavit primum Adam, tulit eum et duxit eum atque reduxit per omnes arbores paradisi, dixitque ei : Vide opera mea quam pulchra et quam laudabilia sint, et quidquid creavi propter te creavi. Præbe mentem tuam ut non corrumpas vel destruas mundum meum ; si enim destruxeris, non erit post te qui reparet. Et non solum hoc sed etiam ipsi *Justo* (Messiæ) causabis

mortem. » (Galatinus, De Arca. Cathol. veritatis lib. VI, cap. x, p 356.)

OBJICITUR

Incarnatio, occasionata hominis lapsu, fuit Adamo revelata quin manifestaretur peccatum futurum et proinde Redemptio.

Resp. — Incarnatio sic revelata vel est majus bonum quam Redemptio, et sic nequit occasionari Redemptione, et convenit cum nostra thesi ; vel Redemptio est majus bonum, et tunc non videtur concedendum quod in revelatione homini facta taceatur quod est maximum hominis bonum.

Neque dicas Adamum *inscium* prophetavisse ; jam non fuisset propheta. Etenim prophetam intelligere quod prophetizat asserunt permulti, inter quos :

1° HIPPOLYTUS PORT. EP. (De Christo et Antichristo II). « Nam qua ratione propheta, propheta vocaretur, nisi quæ sunt futura spiritu prævideret » (P. G, 6. 730).

2° Origenes, Com. in Joann. t. VI. Quod bis affirmat. (P. G., t. II, p. 108.)

3° Tertullianus, lib. III cont. Marcion. XXII, et Apolog. XVIII.

4° S. Epiphanius, Hæres. XLVIII, n° 3.

Præcipue vero (S. Epiphanius) hunc illius (Montani) errorem arguit, quod propheticum Spiritum cum ecstasi, id est, *amentia* conjunctum esse dicebat, ut quæ ipse loqueretur, propheta nesciret [Hær. XLVIII., n° 11. (Petavius. De Trinit Lib. I, Cap. XIV, § 4).

5° S. Hieronymus, procem. in Nahum, et procem. in Isaiam.

6° S. Augustinus, in Ps. CXXXI et cont. Adamant. c. 28.

7° S. Joann. Chrysostomus, in Ps. XLIV, § 1, etc., etc., etc.

8° S. Thomas, IIa IIæ, q. 173, art. 2, in corp.

CONCLUSIO

Adamo innocenti revelata fuit Incarnatio Verbi ut magnum mysterium et maximum hominis bonum ; ergo nullatenus a peccato primi parentis dependens. — Ergo Incarnatio fuit præcipuum opus Dei, primo ab illo intentum.

CAPUT V

Christus creatus seu possessus fuit a Deo ut initium operum suorum (1).

Quod probatur ex cap. VIII, 22, Proverbiorum : « Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio. » Sic VULGATA.

TRANSLATIO AUTEM GRÆCA : « Dominus creavit me, εκτισε με initium. »

TRANSLATIO ARABICA : « Dominus creavit me initium viarum. »

TRANSLATIO SYRIACA : « Dominus creavit me initio creaturæ suæ. »

PARAPHRASIS CHALDAICA : « Dominus creavit me in principio creaturæ. »

Creari nequit convenire Verbo, sed convenit Christo. Ergo hic agitur de Christo (quod probabimus ex Patribus). — Ergo Incarnatio est fundamentum et ratio creationis.

Neque objicias quod fert Vulgata « possedit », quæ vox utique Verbo convenire posset. — Etenim Hieronymus

1. Ne citentur quadraginta sex auctores qui Christum Creatorem dicunt, hic transcribenda tantum quæ in Sequentia, die XIV Januarii in festo Triumphi SS. Nominis Jesu, legere est (Missale Romano Seraphicum) :

Cœlum fecit, terræ molem
Jesu nomen, atque solem,
Et cœleste gaudium ;
Angelorum ingens cœtus
Protoplastesque perfectus
Fuit Jesu nomine.

qui ita vertit, hæc in commentariis : « Dominus possedit etc... hæc vox Christi. »

Ad hoc faciunt verba Joannis I. 15. « Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat, dicens : Hic erat, quem dixi : Qui post me venturus est, ante me factus est quia prior me erat. »

« Secundum deitatem, ait Theophylactus, Ariani stulto interpretati sunt hoc dictum. Volentes enim demonstrare quod Filius Dei non sit genitus a Patre, sed factus sit sicut una aliarum creaturarum. » (Biblia sacra cum glossa ordinaria et post. Nic. de Lira T. V. p. 1024.)

Adverte tamen hoc « factus est » de humanitate Christi tantum dici posse. Si autem decretum Incarnationis occasionatur Adami lapsu, quomodo Christus prior dici potest Joanne Baptista *in intentione seu decreto Patris ?* et proin quomodo, « ante me (Joannem Baptistam) factus est ? »

N. B. Si hæc: « Dominus creavit seu possedit me initium viarum suarum » interpretanda sunt de Verbo incarnato et non de Verbo æterno, nemo non videt quantum et quam inconcussum argumentum eruatur ad propugnandum Primatum Christi ; imo hæc dicta sunt explicita hujus Primatûs affirmatio. Et ita intellexerunt hujus sententiæ impugnatores dum hæc verba, tum de Verbo increato, tum de Sapientia in abstracto interpretanda dictitaverint !

Quærendum ergo a Patribus et scriptoribus ecclesiasticis quisnam sit hujus textûs genuinus sensus.

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ (Lib. VII, caput XXXVI).

« Domine omnipotens, mundum creasti per Christum... et festos dies constituisti, in lætitiam animarum nostrarum, ut in recordationem veniremus Sapientiæ a te conditæ, quomodo propter nos nasci ex muliere sustinuit etc. » (P. G. I. 1031).

S. JUSTINUS, *Philos. et Martyr* (Dial. cum. Tryph. Judæo, nº 61) : « Alio etiam ex Scripturis testimonio

demonstrabo Deum ante omnes res creatas, initium genuisse ex seipso virtutem quamdam rationalem quæ vocatur nunc Filius, nunc Sapientia, nunc Angelus... » (Habet enim has omnes appellationes ex eo quod Patris voluntati ministret.) (P. G.. 6. 614)., « Hic, ut bene annotatur Otto, non agitur de æterna generatione. Dicendum quod hæc verba Christum indicent, seu decretum Incarnationis. »

Idem (ibid. n° 62). « Faciamus hominem, consentit cum Proverbiorum testimonio.... Sed hæc ipsa vere ex Patre prolata progenies, ante res omnes creatas una erat cum Patre et cum ea Pater colloquebatur : quemadmodum Scriptura per Salomonem declaravit hanc ipsam quæ sapientia a Salomone dicitur, et principium ante omnia opera et progeniem, a Deo genitam esse. » (P. G. 6. 618.) — Hic agitur de decreto Incarnationis.

ATHENAGORAS (Legatio pro Christianis, 10) : « Dicam brevissime (Filium) primam esse Patris progeniem, non quod *factus* sit (ab æterno enim Deus habet in seipso Verbum...), sed quod prodierit ut omnium materialium rerum... idea et actus ; hæc S. Spiritus confirmat : « Dominus creavit me. » — (Hæc non de Verbo ; ergo de Christo.) (P. G., t. 6. 910).

S. P. THEOPHILUS (Ad Autolycum lib. II, 22) : « Antequam quidquam fieret, eo (Verbo) utebatur (Deus) consiliario... cum autem voluit Deus facere ea quæ statuerat, hoc Verbum genuit prolatitium, primogenitum omnis creaturæ (1) ». Ergo hic agitur (ut supra in Justino) de decreto Incarnationis... (P. G., 6. 1087).

ORIGENES (com. in Joan. T. I. n° 34) :« Rursum idem

1. *P. Antonius Boucat* Ordin. Min. (Theologia Patrum scholastica-dogmatica Tomus II, Tractatus de Deo Trino); — Disputatio IVa, de persona Filii, probat quod Athenagoras, Irenæus, Theophilus Antiochenus etc., agnoverint et propugnaverint Verbi divinitatem. Satisfit objectionibus ex Verbo insito et prolato depromptis. -- Sic :

« Verbum est insitum in Corde Patris ut genitum et ab illo inseparabile, concedo; ut productum, nego. — Verbum solum nobis apparuit (fuit prolatum) quando condidit mundum et incarnatum est. »

principium est et finis ; sed secundum significationes non est idem. Nam principium est, quatenus sapientia est ut in Proverb. didicimus. Scriptum est ergo : Deus creavit me etc. Quatenus autem Verbum est, non est principium quia *in principio erat Verbum*...

» Apertius autem principium ac finis secundum communem loquendi consuetudinem de re continua et unita dici videntur ; ut domûs principium est fundamentum et finis fastigium. Et sane summo angulari lapide existente Christo (Eph. II. 20) toti corpori unito eorum qui servantur adaptandum est exemplum hoc : « *Omnia* enim et *in omnibus est Christus* unigenitus » (I. Cor. XV. 28), qui ut principium in homine est quem assumpsit... Est etiam principium quidem in Adam ; ut finis autem in adventu suo ». (P. G. 14. 83).

S. CYPRIANUS (De Testim., lib. II, cap. 1): « Christum primogenitum esse et ipsum esse Sapientiam Dei, per quem omnia facta sunt, apud Salomonem in Proverbiis : Dominus condidit me etc. » (P. L., 4, 696.)

S. ALEXANDER, Episc. Alex. (circa an. 312 Arium deposuit).—Epistola n° I. « Qui (hæretici)...Servatoris nostri deitatem negantes... collectisque omnibus locis in quibus sermo est de salutari ejus dispensatione et de abjectione nostrî causâ ab eo susceptâ, impietatis suæ doctrinam eorum auctoritate confirmare nituntur, loca quibus æterna ejusdem divinitas et inexplicabilis apud Patrem gloria astruitur aversantes ». (P. G. 18. 558).

Et ibid. (n° VIII). « Qui (Ariani) salutaris passionis et abjectionis atque exinanitionis et paupertatis quam vocant, eorum denique omnium quæ Servator nostrî causâ suscepit, ascititias voces memoria retinentes eas ad supremam æternamque illius divinitatem repellendam afferunt » — (Col. 562).

Hâc usi sunt distinctione omnes postea defensores veritatis christianæ adversus Arianos.

S. EUSTATHIUS, *Episc. Antioch.* (Com. in Psal. 92) : « Quando igitur ait Dominus : « Creavit me initium »,

etc., claro demonstrat argumento bonorum principium immutabile nobis exstitisse hominem Christum... Quid mirum quod antea homo Christus notus a Deo fuerit et in divina mente certo modo dispositus ? » (Anal. sac. Spicil. Solesm. parata, t. 4, p. 443. Paris, 1883.)

Idem (Scholiatria in Prov. VIII, 22) : « Dominus creavit me... Principium enim pulcherrimum viarum justitiæ factus est nobis homo Christus. » (Anal. sac. Spicil. Solesm. parata, t. II, p. XXXIX, Tusculum, 1884.)

LACTANTIUS (Instit. div. Lib. IV, cap. VI) : « Ipse est Dei Filius (Verbum prolatium i. e. Christus decretus) qui per Salomonem ...locutus est : Deus condidit me in initio etc. » (P. L. 6, 461.)

S. ATHANASIUS (De decretis Nicænæ Synodi Epist. n. XIV) : « Illi (Salvatori) quatenus Filius Dei est, optime convenit æternum esse..., ita homini facto recte congruunt hæc verba : « Dominus creavit me. » (P. G., 25, 447.)

Idem (Or. II, contra Ar. 66) : « Namque sicut dictum est, ob resurrectionem ex mortuis ipse principium appellatur : tunc autem facta est resurrectio, cum nostra indutus carne se ipse pro nobis morti tradidit : planum utique fuerit his ejus verbis : « Dominus creavit me... » non ipsius naturam sed corporeum adventum significari. » (P. G., 26, 286.)

Idem (De sententia Dionysii) : « Humano igitur more illa (creavit, etc.) de salvatore scripta sunt, nec aliter se res habet. » (P. G., 25, 495.)

B. VIGILIUS MARTYR. Creatus Episc. Tridentinus anno 385. Contra Eutychen lib. quintus. « Nunc illud est divinis edocendum testimoniis et creatum esse Christum secundum veritatem humanæ ejus naturæ et eumdem esse infactum, secundum proprietatem nihilominus divinæ ejusdem naturæ. » Et citatis pluribus textibus de ipsius natura humana addit : « Per Salomonem etiam creatum se hoc modo testatur : *Dominus creavit me initio viarum suarum.* Quod secundum humanitatis naturam, quam in temporis plenitudine suscepturus erat,

anticipans prolocutus est. » (Georg. Cassander. Opera, p. 557.)

CONCILIUM ANCYRANUM. Definitiones... « V. Si quis *condidit* vel *creavit me*, et *genuit me* ab eodem audiens, hoc *genuit me* non tam ex similitudine essentiæ intelligat ; sed idem esse dicat *genuit me* et *condidit me* : quasi non dicens Filium de Deo perfectum, ex duobus nominibus significatum Filium ; (sed per duo nomina hoc est, *condidit me* et *genuit me*, conditionem tantummodo dicens et nequaquam Filium) : sicut tradidit sapientia ex duobus pium intellectum ; anathema sit. »

(Harduini, Conc. gen., t. I, p. 707.)

Ergo ex Concilio Ancyrano *condidit vel creavit* dicit tantum *conditionem* scilicet incarnationem et *genuit me* generationem æternam.

CONCILIUM NICÆNUM, et *Eusebius Pamphili Episcopus Cæsareæ Palestinæ*. Gelasius Cyzicenus (Hist. Concilii Nicæni, lib. II, Cap. XVIII.) Citat hanc responsionem episcoporum Concilii per Eusebium contradictioni Philosophi de hâc sententiâ *Dominus condidit* : « Majores nostri multa tradiderunt et de dispensatione apparitionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem quomodo explicaverint nostis omnino traditiones. »

(P. G., 85, 1266.)

MARCELLUS ANCYRANUS EPISC. (Dicitur Arianum fuisse. — Revera fuit amicus S. Athanasii) : « Verbum ἔκτισε i. e. creavit seu possedit, ad carnem pertinere aiebat. » Ita Eusebius de Eccles. Theol. (P. G., 24, 980.)

S. GREGORIUS NAZ. (Oratio, XXIX. Theolog., III, n° XVIII) : « Tu mihi contra, illas ingrati animi tui voces enumera, has videlicet : Deus meus et Deus vester (Joan. XX, 17)... creavit (Prov., VIII, 22)... Horum enim unumquodque sigillatim persequi, pioque sensu explicare minime difficile est... Ut autem rem summatim contraham hoc tibi faciendum est, ut sublimiores voces Divinitati... attribuas ; humiliores vero, composito, et tuâ causâ inanito atque incarnato... » (P. G., 36, 98.)

Idem (Orat. XXX[a], Theolog. IV, nº 11) : « *Dominus creavit*... Nùm Salomonem accusamus ? Nùm ipsius sapientiæ... artificisque rationis secundum quam omnia condita sunt hunc sermonem esse dicemus ? Horum nihil proferre libet, etiamsi alioqui a nonnullis eorum qui ante nos exstiterunt pro firmis et validis allata sunt. Sed demus hoc sane Salvatoris ipsius i. e. veræ Sapientiæ verba esse... Ergo quoniam hic aperte et *creavit* et *gignit me* reperimus, hoc clarè dictum. Quod enim cum causâ conjunctum invenimus, id humanitati assignandum est ; quod autem simplex causæque expers, divinitati ascribendum. » (Ibid. Col. 106.)

S. DYDIMUS ALEX. (Lib. III de Trinit., col. 3) : « Allatum sane proverbium referre necesse est, si non ad sapientiam, quæ in nostris disciplinis inest, saltem ad Dominicam peccati expertem Incarnationem ; minime vero ad ineffabilis divinæ naturæ Filium Verbum. » (P. G., 39, 822.)

Idem (Fragm. in Proverb., cap. VIII, 22, 23) : « Si enim qui ante creaturas existit, utpote Sapientia, Dei Filius etiamsi dicit : « Dominus creavit me » id non de substantia intelligendum est sed de relatione erga creaturas... » (Ibid. 1631.)

S. CÆSARIUS, Gregorii Nazianz., frater. (Dialogus I, Interrog. 9[a].) « Petimus uti de Filio quædam adjicias. Quod enim sacris in litteris perscriptum legimus : *Dominus me creavit, initium viarum suarum* = id de Filio plerique dictum volunt. Resp : « Etiam ipse de Filio dictum illud accipio, non tamen de ipsius divinitate, sed de carne quam ex Maria sumpsit. Increatus enim respectu divinitatis, ejus ratione creatur quod assumpsit. » (P. G., 38, 866.)

Idem (Interrog. 35) : « Sed et Salomon inquit in persona Christi... « Dominus creavit, etc. » *Resp*... Creavit me, de carne intelligi puto... videtur mihi significare adventum uniti cum Deo hominis... Increatum quidem divinitate, creatum vero humanitate... » (Ibid. 898.)

Idem « Ait ergo Salomon quasi ex persona humanæ sapientiæ, quæ in divina intentione ante mundum exstitit : « Dominus condidit me... » humanam sapientiam ac rationalem homini ad imaginem Dei facto præparatam, hæc pronuntiantem induxit. Hoc igitur erat : « Dominus condidit. » De illo enim, qui in divina intentione ante mundum fuit hoc exposuit. » (Ibid. 1270.)

S. Hilarius, *Episc.* (De Trinitate, lib. XII, 44) : « Creatam se dicit Sapientia, spectans quæ post sæculum gessit... memorem itaque se ad dicenda ea quæ a sæculo sunt, professa Sapientia ait : « Dominus creavit me », dispensationis a sæculo initæ doctrina est. »

(Et cap. 45) : « Sed creationis hujus quæ a sæculo est, ratio quærenda est, nam ultimæ dispensationis sacramentum est quo etiam creatus in corpore viam se Dei operum est professus. » (P. L., 10, 460-462.)

S. Basilius Cæsariensis (Cont. Eunom. lib. IV, cap. XV) : « Accipiendum igitur est illud « genuit » de Deo Filio : illud vero « creavit » de eo qui formam servi suscepit. » (P. G., 29, 703.)

Idem. Jam superius lib. II-20 multiplici modo responderat Arianis : « Nam quoniam ex personâ Sapientiæ dictum est « Dominus creavit me » licere arbitrati sunt Dominum creaturam dicere. Ego vero cum multa de hac voce dicere habeam, primum quod semel in tota scriptura usurpata sit, deinde quod in libro adhibita est, cujus sensus non parum reconditur... Interim tamen neque illud silentio prætereamus interpretes alios qui convenientius hebraicarum vocum sententiam assecuti sunt, *possedit me*, pro *creavit*, edidisse. » (P. G., 29, 615.)

S. Gregorius Nyssenus (Cont. Eunom. lib. III) : « Haud igitur hæc vox « creavit me » de eo quod divinum est... sed... de eo quod per Incarnationem contemperatum est ex creata natura nostra. » (P. G., 45, 582.)

S. Ambrosius : « Nec mirum si ante sæcula fundatum se esse dicit, cum legeris prædestinatum ante tempora sæcularia. Quam vere de Incarnatione id videtur expres-

sum « Dominis creavit », declarant sequentia. » P. L., 16, 550.)

Idem. (De Fide lib. I, cap. 15, n° 96) : « Facessat igitur et illud, de quo calumniari solent, et discant quemadmodum dictum sit : Dominus creavit me (Prov. VIII). Non dixit : Pater creavit, sed *Dominus creavit me.* Caro Dominum agnoscit, gloria Patrem significat ; creatura nostra Dominum confitetur, charitas Patrem novit. Itaque quis ignoret quia ob causam incorporationis hoc dicitur ? » (P. L., 16, 551.)

Idem. (De Spir. Sancto lib. II, Cap. VI, 59.) « Etenim sicut legimus quia creavit Pater dominicæ Incarnationis sacramentum, creavit et spiritus ; creavit enim Pater secundum quod scriptum est : *Dominus creavit me* (Prov. VIII, 22). » (P. L., 16, 755.)

S. EPIPHANUS (Adv. Hæres. lib. II. Hæres. 69-12 : « Dominus creavit, etc.. Hinc erroris sui introducendi occasione nactus est (Arius)... Nec illum puduit Verbum... creaturam dicere. » (P. G. 42, 222.)

Idem (Adv. Hæres. lib. II, t. II, Hær. 69, 24) : « Nonnulli orthodoxorum Patrum locum illum Salomonis de Incarnatione Christi interpretati sunt : *Dominus possedit me et fundavit me.* Estque hic demum sensus pietati consentaneus, cum ita, ut dixi, magni quidam Patres intellexerint. Quibus si quis hac in parte assentiri minime velit, cogi nullo modo potest. » (P. G., 42, 239.)

Idem (Ancoratus, XLIII) : « Creavit me, etc... Si de Christo quæ in illo loco dicuntur accipienda sunt,ad illius Incarnationem deferuntur. » (Ibid. 43, 95.)

In Ancorato multipliciter respondet hæreticis :

1° XLII. « Sed vanissimi homines primum omnium libri inscriptionem ac nomen ignorant. Nam liber iste *Proverbia Salomonis* inscribitur. Quidquid vero proverbii more dicitur non idem est cum vi et proprietate verborum. (Ibid., 91.)

2° XLIII. Quamobrem si de Christo, etc., *ut supra.*

3° XLIV. « Imo vero proprie loqui si velimus, apud

interpretes non ita lectio ista concipitur. Nam Aquila sic reddidit : Dominus *acquisivit me*. Quandoquidem in Hebræo sic legitur : *Adonai Canani*. Quod ita uti diximus interpretari possumus. Sed et nos cum de susceptis liberis agimus acquisitos ab aliquo esse dicere solemus. Qui quidem sensus loci illius sententiam non sic obsignavit, ut alius accommodari nequeat. Quippe eadem illa « Adonai Canani » explicari hoc modo possunt : « Dominus quasi pullum genuit me ». Hinc Petrus disertè his verbis illud expressit : « Hunc Jesum quem vos crucifixistis. » Non dixit Deum Verbum, sed eum qui carne constat. » (Ibid. 95.)

ZACHÆUS, *Christianus* (Consult. lib. II, c. XVI, cont. Arian.) : Sed his verbis : « Ante luciferum genui te », confestim illa substituunt (Ariani) quæ... in persona assumpti hominis proferuntur... : « Dominus creavit me (Prov.). » (P. L., 20, 1137.)

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS (In Hebr. cap. I, Hom. III) : « Atqui licebat sic dicere differentiam : ad Angelos quidem suos dicit : « Qui facit angelos suos spiritus ; » ad Filium autem : « Dominus creavit me ; » et rursus « Dominum ipsum et Christum Deus fecit ». Sed neque illud dictum est de Christo Domino Filio, neque hoc (i. e. Dominus creavit, et : Christum Deus fecit) de Deo Verbo, sed de eo quod carnem suscepit. » (P. G., 63-28.)

Idem (De S. Trinitate) : « *Dominus creavit*... Intellige quod secundum carnem fecerit eum et non secundum divinitatem...; propter unionem carnis dicit Dominum et Christum Deus enim fecit. » (Pat. Lug. op. S. J. Chrys. Tom. 3 p. 380.

Idem (Fragmenta in Salom. Proverbia Caput, vers. 21.) « Sapientia cum sit Filius Dei, factus homo, ipse sibi construxit domum, id est ex Virgine Carnem. » (P. G. 64-679.)

S. HIERONYMUS (Com. in. Prov. lib. I.) : « Quod de Incarnatione Dominica dictum (Dominus creavit me)

Patres intelligunt dicentes : quia certi gratia mysterii : « Dominus creavit » et non « Pater creavit ». Et caro, inquiunt, Dominum agnoscit. »

Idem (In Epist. ad Eph. Lib I, cap. II.) « Et quia...Sapientia in Proverbiis Salomonis dicit se creatum initium viarum Dei... nos libere proclamamus, non esse periculum eum dicere creaturam... ; ad Incarnationis mysterium, non ad naturam Dei referenda sunt quæ sequuntur : *Dominus creavit me.* » (P. L., 26-471.)

S. AUGUSTINUS (lib. de Trinit. cap. XII) : Secundum formam servi dictum est : « Dominus creavit me. » (P. L., 42, 837.)

Idem(De Fide et Symbolo, cap. IV, 6) : « Sed quoniam Verbum caro factum est... eadem Sapientia quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari. Quo pertinet et illud : « Dominus creavit me. » (P. L., 40,184.)

FAUSTINUS PRESBYTER (1) (De professione impia Arianorum, lib. VI.) « Tangamus et illam in ultimo quæstionem ; *Dominus creavit*, etc. Dicit hæreticus : « Vides creaturam esse Sapientiam ! »... Non ergo Sapientia, quasi non esset, creata est ad hoc, ut esset, sed cum substantialiter semper fuerit, tunc creata est secundum dispensationem, *initium viarum Domini* creata est, et in opera Domini creata est. *Initium* ergo *viarum Domini* creata est, et in opera Domini creata est Sapientia ; non tamen, quia substantialiter ante non erat, ideo creata est Sapientia. » P. L., 13, 74.)

CONCILIUM HISPALENSE II (Tertiadecima actione ad refutationem hæreticorum qui duas naturas Christi post unionem delirantes confundunt, subnectitur sententias sanctorum Patrum qui in sacris litteris ingenti gloria refulserunt) : « Sanctus quoque Basilius in IV lib. contra Eunomium, ita scribit : *Quid est*, Dominus creavit me et

1. Una cum Marcellino Presbytero acerrimè tutatus est schisma Ursicini adversùs Damasum, Rom. Pontificem... In opere isto contra Arianos sensus catholicæ fidei concordes præ se fert. (Nota Editoris Pat. Lugd., t. V, p. 637.)

ante omnes colles genuit me ? *Ubi intelligendum est hoc quod dicit*, genuit : *de Dei Filio ; hoc autem quod dicit*, creavit : *de ea parte qua in forma servi est.* (Concil. Gen. Harduini, t. III, p. 566.)

IDACIUS SIVE ITHACIUS CLARUS *Episc. Hispanus* (Contra Varimadum Arianum liber) : « Si tibi dixerint illud Salomonis testimonium : Dominus creavit me initium, responde : Paulus quippe apost. qui secundum Deitatis naturam Christum increatum insinuat, sed secundum humanæ naturæ substantiam eumdem creatum affirmat. » (P. Lugd., t. V, p. 728.)

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS (Frag. in Prov., VIII, 22) : « Creavit me si de deitate intelligas erit instar « constituit me »..... Ergo constituit me et prævisarum et factarum rerum principium. » (P. G., 69, 1278.)

Idem (Thesaurus, assertio XV^e^ — adhuc in illud : Dominus creavit me) : « Si ergo sapientia est Verbum Dei, ædificatque sibi ipsi domum, quonam illud « creavit me » pertineat meritò quæri potest. Christus itaque est qui hoc dicit utpote jam natus et factus homo. De quo ut homine illud « creavit me » citra blasphemiam dici potest. » (P. G., 75, 262.)

Idem (Thesaurus, in illud « Dominus creavit me » per reductionem ad absurdum): «*Creavit* non de essentia Verbi Dei interpretandum est, sed pie a nobis explicandum et ad Incarnationis rationem referendum. » (P. G., 75, 270.)

S. FULGENTIUS (De Fide ad Petrum Diac. lib. I, c. XIII) : « Firmissime tene... Verbum carnem factum... qui ait de Patre : « Ante sæcula fundavit me. » (P. L, 65, 697.)

Idem (Contra Arian. Object. 3) : « Propter formam igitur servi dixit : Dominus creavit me. » (*Ibidem*, 208.)

Ibidem (cont. serm. Fastid. lib. I, c. VIII) : « Ipse igitur per Salomonem generationis creationisque suæ insinuans veritatem dixit : « Dominus creavit. » (*Ibidem*, 516.)

S. GREGORIUS (Moral. lib. XXIII, Job, cap. XL) : « Sapientia sibi domum condidit cum Unigenitus Dei Filius... humanum corpus creavit. »

B. MARCUS DIADOCUS (Serm. cont. Arianos) : « Ita ut illud : Dominus creavit me, ad Incarnationem Verbi... pertineat. » (P. G., 65, 1153.)

Idem. « Alii autem ac propemodum omnes illud : *Dominus creavit*, etc., ad eversionem veritatis jugiter allegantes non erubescunt. Ego autem et hanc orationem fidam mei patronam in Deo adjiciam... Creatus enim est is qui est increatus, carnis assumptione, ab approbante Patre... » (Ibid., 1155.)

S. MAXIMUS (Dial. de Trinit. I) : « Illud itaque : Dominus condidit me, etc., de ipsius dicta sunt Incarnatione. » (P. G., 28, 1131.)

S. MAXIMUS TAURINENSIS (Tractatus V contra Judæos) : « In principio ergo fecit Deus cœlum et terram, Principium Christus est, qui dicebat per Salomonem : Dominus creavit me principium viarum suarum. » (P. L., 57, 794.)

Idem (Tract. V contra Judæos, n. 447) : « Creavit me principium viarum suarum, »... et iterum ex persona Sapientiæ ipse de se Christus dicit per Prophetam : « Ego ex ore Altissimi prodivi (Eccli. XXIV). » (*Ibid.* 804.)

PROCOPIUS GAZŒUS (Com. in Prov. VIII, 22) : « Dominus creavit me.... Scito ergo quia Patri meo, omnium Domino placuit me increatum fieri carnem... » (P. G., 87, 1293.)

Idem (ibid., 23) : « Ab æterno fundavit me » : ab omni æternitate habuit optimum meæ incarnationis consilium, ut tanquam illius præconstitutum fundamentum. » (Ibid., 1295.)

VIGILIUS TAPSENSIS (Cont. Varidamum lib. I. cap. IV) : « *Objectio.* Si tibi dixerint illud Salomonis : « Dominus creavit me », etc. *Responsio* : Paulus quippe non secundum Deitatis naturam Christum creatum insinuat, sed

secundum humanæ naturæ substantiam eumdem creatum affirmat. » (P. L., 62, 358.)

PRIMASIUS *Episc.* (Com. in Apoc. lib. I, c. III) : « In initium quippe creaturæ Dei, Christum Dominum propter Incarnationis mysterium convenienter decet intelligi, ex cujus persona scriptum legimus : « Dominus creavit me. » (P.L., 68, 811-812.)

S. BEDA (Sup. Parab. Salom. Alleg. expos. lib. I) : « Dominus creavit... quod de Incarnatione Dominica dictum Patres intelligunt. » (P. L., 91, 966.)

Idem (In Hipapanti Domini Homilia in illud : Dominus possedit me...) : « Viæ Domini opera ejus sunt..., sunt ipsius illuminationes per quas se et Angelicis spiritibus et mentibus humanis in quarum initio Sapientiam possedit... sed aliter legimus : « Dominus creavit me. » Quod Incarnatione Christi intelligatur. » (Spicil. Liberianum, p. 60.)

COSMAS HIEROSOLYMITANUS (Hymni pro magna V feria Acrostichis) : « Opificem Pater ante sæcula Sapientiam generat me principium viarum, ad opera autem creavit nunc quæ mystice perficiuntur. » (P. G., 98. 482). Hæc generatio ut principium viarum est decretum incarnationis.

BREVIARIUM GOTHICUM (Dom. ante Epiph. in Laudibus): « Dominus possedit me in initio viarum suarum .. Unctus sum a sæculo, etc. » (Ergo hic agitur de Christo et non de Verbo, seu de Sapientia increata.) (P. L., 86, 149.)

S. HILDEPHONSUS TOLET. (De cognitione Baptism cap. 39) : « Quoniam Verbum caro factum est, eadem Sapientia quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari ; quo pertinet illud : « Dominus creavit me in principio viarum suarum » (Prov., VIII, 22). Viarum enim ejus principium caput Ecclesiæ quod est Christus homine indutus, per quem vivendi exemplum nobis daretur, hoc est via certa, qua perveniremus ad Deum. » (P. L., 96, 128.)

HETERIUS ET S. BEATUS (Epist. ad Elipandum, lib. I, cap. CXVI) : « Liber intus et foris scriptus est Christus... Foris (i. e. de humanitate) scriptus est, cum ipse per Salomonem dicit : « Dominus creavit me, etc.» (P. L., 96, 967.)

B. RABANUS MAURUS (Exposit. in Prov. lib. I, cap. VIII). « Dominus creavit me » etc. Quod de Incarnatione Dominica dictum Patres intelligunt. » (P. L., t. III, p. 709.)

WALAFRIDUS STRABUS, *Fuld. Monachus* (Theol. Gloss. ord. in Prov. VIII, 22) : « Dominus possedit me, etc. Quasi incidenter ostendit et commendat eam (Sapientiam) secundum utramque naturam, i. e. divinam et humanam.» (P. L., 113, 1091.)

Idem (In Eccli. XXIV, 14) : « Ab initio creata sum : sacramentum Incarnationis ante sæcula præscitum... permanet in sæcula sæculi. » (*Ibid.*, 1208.)

S. ANSELMUS (Homiliæ et Exhort., hom. I): « Ab initio ante sæcula creata sum. » *Ab initio* mundi et *ante sæcula*, prædestinando secundum humanitatem creata est hæc Sapientia. » (P. L., 158, 587.)

RUPERTUS (De Gloria Trinit. et Proc. S. Spir. lib. III, cap. XX) : « Dum dicit : « Dominus possedit me », ac si dixisset : antequam quidquam Deus faceret a principio... hoc erat in proposito ut ego Verbum Dei caro fierem. » (P. L., 169, 72.)

Idem (Lib. XIII, De Gloria et honore Filii hominis): « Ipse est enim Sapientia Dei, quæ de isto suo proposito (ut homo fieret ex hominibus) dicit : « Dominus possedit me, etc. » (P. L., 169, 1628.)

VEN. PETRUS *Abbas. Clun.* (Tract. cont. Judæos, II) : « Juxta verba sapientiæ... « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum (Prov. VIII) », Sapientia Dei, carne induta, conversata est cum filiis hominum. » (P. L., 189, 525.)

PETRUS BLESENSIS (In Nativit. B. Mariæ Serm. 38): « Sapientia ædificavit sibi domum... hic est Christus, Dei virtus et sapientia. » (P. L., 207, 673.)

NICETAS CHONIATES (Thesaurus, lib. V. cap. LVI n° 22) : Hæc Theologi testimonia affert in medium ad probandum contra Arianos quod Christus mera non sit creatura. Inter alia SS. Patrum argumenta citat etiam hæc verba S. Cyrilli Alex. : « Si tanquam Deus dixisset : « Dominus creavit me », potius dixisset : « Pater creavit me. » (P. G., 139, 1424).

Idem (Ibidem, n° 27) Theologi verba refert. « Trium ergo (SS^{mæ} Trinitatis) nulla creatura est, neque quod eo deterius est, propter me facta ne solum creatura sit, verum etiam nobis abjectior. Nam si ego in honorem Dei factus sum, illa vero propter me, certe orbita propter currum et sera propter ostium facta est. Vinco causa. Quanto enim creaturis excellentior est Deus, tanto id me ipso, qui propter Deum subsisto, ignobilius esse oportet, quod propter me factum est. » (*Ibid.*, 1425.)

GERMANUS II C. P. *Patriarcha* (In Annunt. B. Mariæ, XXV) : « E qua (Maria) vivens Dei sapientia ædificavit sibi domum (Prov., IX, I). » Ergo superius « Dominus possedit me » dicitur de Sapientia incarnata. (P. G., 140, 706).

TRADITIO JUDAICA (In lib. Haghiga, cap. in dorsin) : Sic ad litteram legitur : « Væ ! creaturis quæ vident et ignorant quod vident ; quæ stant et nesciunt super quo stant. Terra enim super quo stat ?... Rabbi vero Eliezer dixit super unam columnam stare terram : *Tsadic*, i. e. Justus (Messias) est nomen ejus. » (Galatinus, De Arcanis Cathol. veritatis, lib. III, cap. XXIII, p. 160.)

CONCLUSIO

Dicendum ergo cum Tournely : « Patres unanimiter hunc locum intelligunt de Sapientia Incarnata. » Ergo Patres unanimiter dicunt Christum decretum fuisse ante omnes creaturas, cum fuerit initium viarum Domini.

Obj. — Multi ex Patribus citatis affirmant quod Verbum Incarnatum non fuisset si Adam non peccasset. Ergo non fuit Incarnatio initium viarum Domini.

Resp. — Negant vel Incarnationem in carne passibili, vel Incarnationem absolute. Si primum, nullatenus contra nos. Si secundum, eorum testimonia de hoc loco majoris sunt ponderis. Etenim contra suam sententiam ut tuerentur veritatem catholicam adversus Arianos qui his verbis: « Dominus creavit me, » etc., abutebantur ad affirmandum Verbum esse creatum, prædicti Patres hæc de Christo prædicanda asserunt ; manet ergo conclusio et firmior ex contradictione Patrum, si qua adsit.

APPENDIX

Dissertatio de textu VIII Proverb. 22.

Textûs Proverbiorum disquisitionem, in Primatûs Christi thesi, maximi esse momenti, nemo non videt. Ut autem veritas omne fugans dubium effulgeat dissertatiunculam hâc de re instituere liceat.

Occasione Arianæ hæresis Patres, si SS. Meletium et Phæbadium excipias, *unanimiter*, ut videbimus, hunc textum de Verbo incarnato intelligi posse dixerunt et proinde uno ore Primatum Christi prædicavere.

Sed quid dicendum de Patribus antenicenis ? Agitur præcipue de S. Ignatio Antiocheno, Herma, S. Irenæo S. Justino, Athenagora, S. Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, Tatiano, etc.

Adverte quod theologi multùm laborant ut Patres et scriptores antenicenos a doctrina erronea de Verbo depurgent. Distinguunt enim hi Patres inter Verbum insitum (Λογον ἐνδιαθετόν) et Verbum prolatum, seu prolatitium (Λογον προφορικόν). Dicunt Verbum Pontificem, natura pontificem, ab æterno pontificem. Quæ nullo modo de Verbo unigenito prædicari possunt ; etenim nequit esse sive pontifex, sive mediator nisi incarnatum, quia mediatio et sacerdotium dicunt dependentiam a Patre. De mediatore non est dubium nec de pontifice.

Sacerdotium enim non competit Verbo, sed tantum Verbo incarnato. « Omnis enim pontifex ad offerenda munera et hostias constituitur (Heb. VIII, 3), » quod non potest de Verbo prædicari.

Præcipuum autem sacerdotii officium est reddere Deo quæ Dei sunt : « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum (Heb. V. 1.) » In statu innocentiæ constituebatur pontifex pro hominibus in iis quæ sunt ad Deum.

Sacerdotium autem in hominibus imperfectum dum perfectum et æternum in Christo : « Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt ; hic autem (Christus) cum jurejurando per eum qui dixit ad illum : Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum... Alii quidem plures facti sunt sacerdotes idcirco quod morte prohiberentur permanere ; hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium... Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens. » (Heb VII, 20, 21, 23, 24, 26,)

Ergo Patres qui dicunt Verbum Pontificem vel Christum pontificem ab æterno asserunt Deum intendisse Incarnationem Verbi ut fieret Pontifex sempiternus et perfectus, qui esset fons et origo omnis sacerdotii inter homines.

Non tantum apud Græcos sed et apud Tertullianum reperitur quæ distinctio Verbi insiti et prolatitii (1). Etenim (Lib. advers. Prax. cap. VI : « Nam ut primum Deus voluit ea quæ cum Sophiæ ratione et Sermone disposuerat intra se in substantias et species suas edere ipsum primo protulit Sermonem habentem in se individuas suas, rationem et sophiam. » (P. L. 2, 161).

Semper agitur de Verbo ab æterno genito et de Verbo producto ante creaturas. Hic non mediocriter hærent quidam theologi, utque de re sese expediant crassissimum errorem primævis his apostolicæ traditionis testibus adscribunt, videlicet quod Verbum genitum fuerit immediatè ante creationem mundi (2).

1. Théophile d'Antioche est le premier qui ait appliqué cette distinction au Verbe divin. (Tixeront. Hist. des dogmes, p. 234, Paris, 1905).

2. *Histoire de la Théologie positive*, par l'Abbé Turmel, 1904, page 32, note 4. — L'auteur est d'autant plus inexcusable que Scheeben (*Histoire des Dogmes*, I, p. 211) dit expressément : « Si quelques Pères d'avant le concile de Nicée ont parlé d'une προφυρα du Fils lors de la création pour expliquer la révélation temporelle du Verbe dans le monde fini, le Verbe ne laissait pas d'être aussi selon eux le Λόγος ἐνδιάθετος.

Il avait déjà dit p. 100 : « Sans doute l'idée d'une seconde génération du

Attamen obvia et plana est explicatio, dato quod ὁ Λογος ἐνδιάθετος significat Verbum æternum et ὁ Λογος προφορικος Verbum in decreto incarnationis sive incarnandum et expressius, ut dicit Nachiantes : « Verbum æterno decreto humanitate vestitum et ob id ante divinos oculos hominem factum. »

Nonne ergo iste Λογος προφορικός qui immediate præcedit creationem est Christus, primogenitus omnis creaturæ, i. e. decretus et prædestinatus prior omnibus creaturis ? Nonne est ipse et Pontifex et Revelator et mediator ?

Concludendum ergo quod scriptores anteniceni qui hoc Verbum *insitum* et *prolatitium* usurpant sint Primatûs Christi propugnatores.

Expresse tamen de quo Primatu agendum fuit Patribus, qui hæresim arianam insecuti sunt. Hæretici enim solemne faciebant hoc dictum Proverbiorum : *Dominus creavit seu possedit*, etc., ut suum stabilirent errorem. S. Alexander, Alexandriæ episcopus, qui Arium deposuit, omnes aditus hæreticis occlusit his verbis : « Qui (hæretici) Servatoris nostri deitatem negantes .. collectis omnibus locis in quibus sermo est de salutari ejus dispensatione et de abjectione nostri causâ ab eo susceptâ, impietatis suæ doctrinam eorum auctoritate confirmare nituntur, loca quibus æterna ejusdem divinitas et inexplicabilis apud Patrem gloria astruitur aversantes. » (P. G. 18, 558).

Viam apertam unanimiter ingressi sunt defensores fidei et de SS Meletio et Phæbadio, qui hunc textum de generatione æternâ iuterpretari conati sunt, S. Hilarius dicit quod loquantur « etsi *indocte*, *tamen non impie*. » (De Trin. XII, 50) (1).

Fils, lors de la Création, pouvait aisément engendrer ces malentendus ; aussi les Pères subséquents la négligent complètement ou ils remarquent avec S. Augustin que si l'on veut parler d'un Λογος προφορικός il faut appeler ainsi le Verbe Incarné. » (La Royauté du Christ p. 114.)

1. Sic S. Phæbadius (Lib. cont. Arian. cap. XVI) : « Invenimus dixisse

Quidam tamen theologi, ut vim probandi textûs Proverbiorum enervarent, dixerunt quod hebraica verba non significent ἔκτισε, ut in Græco, sed *possedit* ut legitur in Vulgata. Eusebius Cæsariensis, S. Basilius, S. Epiphanius, S. Gregorius Nyssenus et S. Hieronymus ita intellexerunt (1). Quærendum est, ut objectioni respondeatur, an prædicti Patres Primatum Christi impugnaverint et idcirco hanc translationem emendandam censuerint... Contrarium patet.

Ut primo dicam de Eusebio, neminem latet cum ei mandavissent Patres Synodi Nicenæ ut nomine omnium responderet Arianis qui præseferebant textum Proverbiorum ipsum ita dixisse : « Majores nostri multa tradiderunt et de dispensatione apparationis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem quomodo explicaverint nostis omnino traditionem » (2).

Ergo S. Athanasius erat vox traditionis quum legeret hunc textum, ut fertur in Græco, et cum diceret intelligendum esse de *Sapientia incarnata.* Non ergo sentit Eusebius cum Primatum Christi impugnantibus, etsi ut

Salomonem ex persona Sapientiæ (quam Christum defendimus) : *Dominus condidit me,* etc. Prov. Sed non ideo credendum est Deum factum. Nam si factus est, non fuit ; si non fuit, non erit. Et quomodo Deus, cui, ne Deus sit utraque conditio præscribitur ? » (P. L. 20-25).

Indocte ergo, ex Hilario, locutus est Phœbadius quia hæc Verbo attribuit ; attamen *non impiè* fatur quia Arianos impugnans ait : « Sed non ideo credendum est Deum factum. »

Est aliud S. Phæbadii commentarium in eodem Libro in quo « etsi indoctè, tamen non impiè locutus est. »

Hæc enim verba evangelica quæ tribuuntur naturæ humanæ in Christo : « Pater major me est » (Joan. X.) sic exponit : « Merito major, quia solus hic author sine authore est ».

Attamen si tractatus *de divinitate Filii* Phæbadio est tribuendus, ut revera a nonnullis tribuitur, in hoc opusculo reperire est expressum testimonium de Primatu Christi : Etenim cap. II : « Creata est ergo Sapientia (de qua Prov. VIII, 22), immo genita non sibi quæ semper erat, sed his quæ ab eo fieri oportebat. Quod confirmans apostolus... ut per quem a principio omnia facta sunt per ipsum et in fine omnia *salventur* ». Ergo Christus mediator ad creandum, ad gratificandum et redimendum.

1. Turmel, op. cit, p. 41-42.

2. *Hist. Con. Nicæni,* Gelas. Cyzicenus P. G, 85-1266).

facilius responderet Marcello Ancyrano cui Verbum creatum dixisse imputaverat, *Dominus possedit me* loco *Dominus creavit me* scribendum putaverit. Hæc enim de Verbo, (de Eccles. theolog. lib. III, cap. II)(1) scripsit :

« His ad hunc modum apparatis... consequens est hoc *Dominus condidit me principium viarum suarum*, e persona ejus usurpari. Quod si dicat conditum illum fuisse, non ita dixit quasi vellet intelligi eum de non ente ad esse processisse... sed quod præexistens præsubsistens, ante omnem mundi conditionem erat, quoque a Domino suo Patre constitutus est omnium Dominator, posito illo, *condidit*, hoc in loco, pro *constituit*, vel *ordinavit.* »

Ex Eusebio ergo, Verbum quod ab æterno erat, constitutum fuit *Dominator omnium*. Sed hic jam notatur inferioritas ; ergo nequit agi nisi de Verbo Incarnato et semper occurrit differentia præfata, videlicet Verbum *insitum* et Verbum *prolatum*.

Quod ut manifestius pateat lege ipsius Eusebii dicta (2) :

« Itaque omnium quæcumque sunt, fetum suum subministrat, primogenitam videlicet sapientiam... ; necnon si quid ipsum pulchrum, ipsumque bonum excogitare in iis quæ genita sunt fas est, id primum ipse ex seipso eorum quæ posthac futura erant fundamentum præfert perfectum perfecti opificium ; sapientis sapientem fabricationem, boni parentis bonam sobolem ; et quidnam aliud fuerit prælaturus, quam illum ipsum eorum quæ posthac per ipsum id quod sunt acceperint, perfectum, curatorem, conservatorem, *medicum*, gubernatorem, eum videlicet qui creationis universi gubernacula comprehensa teneret.

Ibid. Cap. IV. « Quare jam diximus, illum (Unigenitum ac dilectum Filium) omnium primum a Patre, quasi quoddam singulare *instrumentum* omnis essentiæ

1. P. G. 24-974.

2. Demonst. Evang. lib. IV, cap. II et IV (P. G. 22-258),

et naturæ productum esse : instrumentum, inquam, animatum et vivens, ac potius divinum, vitalemque vim in se habens et sapientissimum ; quod bona omnia gigneret, quod lumen præberet, quod cœlum moliretur, quod mundum construeret, quod angelos efficeret, quod spiritibus imperaret ; instrumentum quod animas conservaret, quod corpora augeret, quod omnia provideret, gubernaret, curaret, quod vim haberet regnandi, quod judicandi, quod Patris cultum et reverentiam denuntiandi. »

Eusebius enim duplicem generationem de Verbo prædicat, ut patet ex ejus Psalm. Commentariis. Etenim Ps. II, vers. 7. — « Cur igitur ait illi Dominus : *Ego hodie genui te* ? id videlicet de temporali generatione dictum quæ per œconomiam facta. De illa namque quæ sine principio est, ait ipse David. Ex utero ante Luciferum genuit te (1). » (Adversus Sabell. Lib. I). « Non potest sine gubernatore salvari. Non potest mundus stare si recesserit Unigenitus. Sed forte dicis : Non sufficit enim Pater ? — Non quia non sufficiebat Pater, ideo genuit filium ; sed quia non sufficiebant ea, quæ facta sunt, sufferre non nati virtutem, ideo per mediatorem loquitur. Quare, qui non poteramus propinquare non nato, per viam igitur hortatur et per januam vocat et per lumen adducit. Mediator autem Filius et ponitur lux ; mediator filius et loquuntur prophetæ ; mediator filius et prædicatur novum testamentum et impletur vetus ; mediator filius et fiunt angeli... »

— Ergo, Eusebio teste, est in Verbo generatio *sine principio et generatio temporalis per œconomiam facta* quæ et Incarnatio est. De hâc tantum generatione temporali prædicta verba intelligi possunt. De Verbo incarnato solum dici potest quod sit *instrumentum ;* ipsius solius est *Patris cultum et reverentiam denuntiare ;* solus *mediator est hominum* et *angelorum.* Numerandus est ergo Eusebius inter propugnatores acerrimos Primatûs Christi.

1. P. G. 23-87,

Quærendum est quænam fuerit de Primatu Christi mens S. Basilii qui, ut dicitur, in sententiam Eusebii in Commentariis textûs Proverbiorum ivit. — Revera S. Doctor, Lib. II, cap. 20 adversus Eunomium, respondet dicendo quod in Hebræo legitur « possedit » loco « creavit. » Attamen sequitur etiam S. Athanasium. Ita enim infra, Lib. IV, cap. 15 : « Accipiendum igitur est illud « genuit » de Deo Filio ; illud vero « creavit » de eo qui formam servi suscepit. »

Immo ut infra videbimus ex S. Doctore, Christus sanctificavit Angelos sicut et homines, *causa fuit ut creatura e nihilo ad esse producta sit* etc. Propugnat ergo Primatum Christi.

Non patet de mente S. Epiphanii. — Etenim : « Nonnulli orthodoxorum Patrum, inquit, locum illum de Incarnatione Christi interpretati sunt. Estque hic demum sensus pietati consentaneus cum ita, ut dixi, magni quidam Patres intellexerint. Quibus si quis hâc in parte assentiri minime velit cogi nullo modo potest ». Nequit ergo adnumerari his qui *intellexerunt legendum « possedit », ut in Vulgata, et non « creavit*-ἔκτισε *» ut in græco.* » — Et jam S. Epiphanius Primatum Christi propugnat aliis in locis suorum operum.

Idem dicendum videtur de Nysseno. Etenim postquam Lib. I, adv. Eunomium (1) dixisset quod ex Hebræo legendum sit « Dominus possedit me » et non « creavit me », Lib. III (2) sic : « Haud igitur hæc vox *creavit me* de eo quod divinum est... sed... de eo quod per Incarnationem contemperatum est ex creata natura nostra. »

De his ergo tribus Doctoribus maneat hæc conclusio : duplici argumento et Eusebii et S. Athanasii utuntur ut hæreticorum objectionibus satisfiant, dum in suis operibus propugnent Primatum Christi.

Expressis verbis S. Hieronymus de hâc quæstione mentem suam aperuit. Secundum hebræum enim lectio-

1. P. G., 45, 314.
2. P. G., 45, 582.

nem italam « Dominus condidit me » correxit et in Vulgata legitur « Dominus possedit me.» Sed lege ipsius com. in Epist. ad Ephes — (Lib. I, Cap. II, V. 10) : « Cum autem sæcula Christus fecerit et quæ deinceps loquitur, ea sint quæ post sæcula dicturum se esse promiserit, ad Incarnationis mysterium, non ad naturam Dei referenda sunt, quæ sequuntur licet in codicibus Hebræis non habeatur : « Dominus creavit me, etc. (1). »

Si dicas autem quod S. Doctor junior hanc Epistolam explanaverit, dum ætate provectior sententiam Eusebii S. Athanasii sententiæ anteponendam duxerit (2), respondetur : non textus ad hanc interpretationem coegit S. Doctorem dum expresse dicat quod hæc verba in codicibus Hebræis non habeantur. — Adde etiam com. in Micheam (Lib. II, Cap. IV, 819) quod edidit matura jam ætate : « Venit autem ad hanc turrim prima potestas sive principatus primus, ille qui dixerat : Ego Alpha et Ω, principium et finis, primus et novissimus (Apoc. XXII, 13) ; et qui ex persona assumpti hominis ait in Proverbiis : « Dominus creavit me » ; canani enim non *creavit me*, sed *possedit me* habuitque significat (3). »

Ergo Hieronymus Vers. 22, Prov. VIII, interpretatur de Christo.

Confer quæ jam dicta sunt et quæ dicenda sunt ex hoc Doctore de Primatu Christi. Christus fuit fundamentum creationis : *In Principio Deus creavit* etc. « In principio, ait Doctor, magis secundum sensum quam secundum verbi translationem de Christo accipi potest. » (Lib. Heb. quæst. in Gen. Cap. I) ;

Plenitudine Christi indiguerunt angeli et homines :

Omnis dispensatio... tam visibilium quam invisibilium creaturarum adventum Filii Dei pollicebatur... etc.

Concludendum ergo :

1. P. L., 26, 475.
2. L'abbé Turmel *opus. cit.* p. 41, note 5.
3. P. L., 25, 1291.

1° Patres anteniceni Primatum Christi prædicaverunt per vulgatam distinctionem Verbum *insitum* inter et Verbum *prolatum* : Verbum insitum ab æterno et Verbum prolatum autem ante creationem.

2° Ariana grassante hæresi, omnes Patres et Scriptores Ecclesiastici si duos tantum excipias SS. Melitium scilicet et Phæbadium qui, ex S. Hilaro, locuti sunt « etsi indoctè, tamen non impie », Proverbiorum textum « Dominus creavit, seu condidit, seu possedit me » de Christo interpretati sunt.

3° Citantur 3 vel 4 Patres qui, Eusebio duce, respondent hæreticis dicendo quod hic textus non interpretandus est de creatione Verbi, cum apud Hebræum non legitur *creavit* sed possedit.

Attamen hæc verba de Christo dicta affirmant et pluries ipsius Primatum prædicant.

CAPUT VI

Christus, ut homo, est Primogenitus omnis creaturæ.

« Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenitus ante omnem creaturam. » (Eccli. XXIV, 5.)

« Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt universa. » (Col. I, 15.)

Textus iste « primogenitus omnis creaturæ » Primatum Christi prædicat si de ipsius humanitate interpretandus est. — Etenim ut ipsius vim probativam enervent Primatûs adversarii hunc multipliciter explicandum ducunt. Vel interpretantur hæc verba de Verbo æterno vel de prioritate non intentionis sed excellentiæ.

Quod agatur de Christo et non de Verbo æterno dicta fere omnium Patrum probant. — Hæc apostoli « in ipso condita sunt universa » prioritatem dicunt intentionis.

Agendum de Patribus.

Concilium Sardicense in littera encyclica ad universos fideles : « Confitemur Unigenitum et Primogenitum ; sed Unigenitum Verbum quod semper fuit et est in Patre: Primogenitum autem propter naturam humanam.» (Theodorus, Hist. Eccl. lib. II, cap. VIII.) (P. G., 82, 1014.)

En habes authenticam interpretationem. Hìc ergo non agitur de Verbo tantum sed de Verbo Incarnato.

Animadverte etiam quod Primogenitus dicat *postgenitos* i. e. adoptivos filios et omnes adoptivi ordinantur

non ad Verbum tantum ut Unigenitum sed ad Verbum Incarnatum i. e. primogenitum. In ipso enim condita sunt omnia.

CONCILIUM TOLETANUM XI (In expositione Fidei art. 23) : « Unigenitus propter Deitatis substantiam. Primogenitus propter assumptæ carnis naturam. » (1).

MISSALE MIXTUM sec. Reg. B. Isidori, Pars I in V° dominico post Octaves Epiphaniæ. — Post sanctus. Vere sanctus: vere benedictus Dominus noster Jesus Christus unigenitus tuus, primogenitus noster. Primogenitus in gratia ; unigenitus in natura. Primogenitus quia nemo ante ipsum ; unigenitus quia nemo post ipsum. » (P. Lat. 83, 267.)

S. IGNATIUS MARTYR (Ep. ad Smyrn. 78, 79.) « Quod (sacerdotium) si quis dehonoraverit, Deum dehonorat et D. N. Jesum Christum primogenitum totius creaturæ et solum natura pontificem.» (Polyc. et Ignatii Epist. p. 119, Oxoniæ MDCLIV.)

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ (Lib. VII, cap. XXXVI.) « Supra omnia eminet Dominicus dies utpote qui repræsentet ipsum mediatorem, provisorem, legislatorem, auctorem resurrectionis, primogenitum omnis creaturæ ; Deum Verbum ac hominem. » (P. G., I, 1031.)

TATIANUS ASSYRIUS (Oratio adv. Græcos 5): « Deus erat in principio : principium autem Verbi potentiam accepimus... Voluntate autem simplicitatis ejus prosilit Verbum ; Verbum autem non in vacuum progressum, fit opus primogenitum Patris. Hoc scimus esse principium mundi. » (P, G., 6, 814.)

1. Objici potest Concilium Hispalense II (Tertia decima actio) : « Paulus quoque apostolus in uno eodemque Christo naturam divinitatis exprimit, dum dicit : « Primogenitus omnis creaturæ, etc. » Naturam humanitatis declarat dum dicit : Ipse est caput corporis Ecclesiæ. »(Colos. I.) (Acta conc. Harduini, Tome III, p. 565.)

Hæc revera verba si contraria videntur prædictis verbis, validum tamen præbent argumentum pro nostra thesi. Nam Christus, ut homo, est caput Ecclesiæ ; Ecclesia autem constat et angelis et hominibus. Adde quod Concilium verba Proverb. VIII-22 de Christo interpretatum fuerit.

S. JUSTINUS PHIL. ET MARTYR (Dial. cum Tryph. Jud. 138): «Christus enim cum esset primogenitus omnis creaturæ (scilicet ut ex Patre prolata progenies ante res omnes creatas ut declarat Salomon in Proverb. Cfr. supra, nº 627) « rursus etiam factus est principium alterius generis ab ipso regenerati. » (P. G., 6, 794.)

Ergo ut principium creationis Christus est primogenitus omnis creaturæ ; ut principium generis regenerati est Redemptor.

S. THEOPHILUS ANTIOCHENUS EPISCOPUS (Ad Antolyc. lib. II, nº 10.) «Nihil Deo coævum ; sed et cum ipse sibi locus sit, nec ulla re egeat ac sæculis sit antiquior, hominem facere voluit cui innotesceret. Habens igitur Deus suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum, genuit illud cum sua sapientia, proferens ante hoc universum...nº 22. Ante enim quam quidquam fieret, illud Verbum habuit consors consiliorum, utpote quod est mens ejus, et intelligentia. Quando autem Deus voluit facere quæ statuerat, hoc verbum genuit prolatitium *Primogenitum omnis creaturæ.* Eccl. XXII ». (P. G., 6, 1063, 1087.)

ORIGENES (in Joan. I, XIX-5) : « Simul autem observabis quod illic (Joan. III, § 1, § 2) non dixerit : Qui est e cœlo, e cœlo est et e cœlo loquitur : nam fortassis Servator non erat e cœlo ; non erat præsertim in quantum est primogenitus omnis creaturæ. » (P. G., 14, 563.)

Id. (In Ps. 109,16.) « *Dixit Dominus Domino...* Primogenitum (Christum) secundum carnem, unigenitum vero secundum divinitatem... Jubetur autem sedere... ut primogenitus et hæres. » (Anal. spicil. solum. t. III, p. 227.)

S. CYPRIANUS (De Testimoniis, lib. II, cap. I.) « Christum primogenitum esse... apud Salomonem in Proverbiis: « Dominus condidit me. » (P. L., 4, 696.)

S. ATHANASIUS (Orat. II Contra Arianos, nº 62) : « Primogenitus creaturæ dicitur... ob singularem Verbi erga res creatas benignitatem, qua etiam multorum factus est frater... Si quidem is Unigenitus dicitur, cui nulli alii sunt fratres ; is autem dicitur primogenitus cui alii

sunt fratres. Dictione autem *creavit* significatur gratia quam in opera contulit : namque in illa creatur... ita ut Unigenitus quidem dicatur, quatenus ex Patre genitus est... Primogenitus vero quatenus singulari erga creatam naturam benignitate usus est multosque sibi fratres reddidit.. Cum primogenitus dicitur, causa connectitur, creata nempe natura, ut Paulus ipse his indicat verbis : quia in ipso creata sunt omnia. » (P. G., 26, 278-279.) *Idem*, sermo III cont. Ar.

Idem (Ibid., n° 64) : « Alia autem ratio est quod ejusdem Verbi benignitatis, res creatæ filiorum dignitatem per ipsum consequuntur, ut illarum, sicuti diximus, modis omnibus primogenitus fieret, tum cum eas creat, tum cum ipse in orbem terrarum, omnium causa, introducitur... Quocirca Patris quidem Unigenitus est Filius quoniam solus ipse ex illo est : est autem rerum creatarum primogenitus quia omnes adoptione filii efficiuntur. » (P. G., 26, 283.)

Ergo primogenitus est Christus ex cujus plenitudine omnes accepimus, ut filii Dei nominemur et simus.

Idem (Ibidem, sermo III contra Arianos).

S. Basilius Cæsar. (Adv. Eun., lib. IV. — In illud : primogenitus omnis creaturæ) : « Si vero primogenitus mortuorum ex eo dictus est quod causa est resurrectionis e mortuis, ita et primogenitus creaturæ ex eo quod causa est ut creatura e nihilo ad esse productus sit. » (P. G., 29, 702.)

S. Gregorius Neocæsariensis seu Thaumaturgus (alia expositio fidei, in principio) : « Inimicissimi et alieni a confessione apostolica sunt... qui nomen Filii cum servis commune faciunt, qui sic dicunt eum primogenitum creaturæ ac si esset similiter factus, cum non esset, et tanquam primus factus, et non confitentur unigenitum Filium qui solus sit Patri Filius, qui dedit, ut adnumeraretur mortalibus atque ita esset numeratus primogenitus. » (P. G., 10, 1106.)

Didymus Alexandrinus (In Ep. Petri I Enarrat.,

cap. I). Duplicem admittit adventum Christi. Nam : « Duo adventus sunt Christi. Unus quidem intelligibilis secundum quem recipitur tanquam Deus Verbum. Alter vero sensibilis secundum quem videtur ex Maria progressus. Sed divinior intelligibilis quam sensibilis, qui etiam pravis hominibus est collatus. » (P. Lugd., III, 322.)

Hic adventus intelligibilis Verbi nonne idem ac Verbum prolatitium ?

Et cap. III : « Sicut per Filium Dei quod Verbum est, essentiam cuncta rationalia et ut essent habuerunt ; sic per eum omnium eorum salus effecta est. » (P. G., 39, 325.)

S. Didymus Alexandrinus (Lib. III de Trinit., cap. IV) : « Dictus est ergo prædicatusque Unigenitus quidem utpote non habens... alterum, qui secundum naturam sit frater ejus ; prototocus vero (id est primogenitus) omnis creaturæ non quod ante ipsam creatus sit : alioquin vocatus fuisset protoctistus, i. e. primocreatus : sed quia per præscientiam ante omnem creaturam ex sancta Virgine natus est. » (P. G., 39, 831.)

S. Gregorius Nazianzenus (Oratio 41) : « Primogenitus Christus secundum humanitatem : unigenitus secundum divinitatem. »

S. Gregorius Nyssenus (Lib. IV contra Eunom.) : « Quod enim non secundum ante æternam existentiam Filio primogeniti nomen applicatur, Unigeniti appellatio testatur. Nam qui vere Unigenitus est fratres non habet : quomodo enim quis esset unigenitus qui cum fratribus annumeratur ? Sed ut dicitur Deus et homo, Filius Dei et Filius hominis... sic etiam Unigenitus Deus cum sit, Primogenitus omnis creaturæ efficitur. » (P. G., 45, 638.)

Quod autem doctor non intendat hic primogeniem honoris testatur quod supra dixit quod Christus fuerit prototypus spiritualis Adæ.

S. Eusebius Vercellensis (De Trinitate confessio XV) : « Hic enim qui ante sæcula unigenitus est vocatus spiritualiter, primogenitus est factus. Unigenitus propter

divinitatis substantiam ; Primogenitus propter assumptæ carnis naturam. » (P. L., 12, 967.)

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS (In Epist. ad Roman. Homil. XV) :« *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus :* « ...Hæc porro omnia de incarnatione dicta existimato : nam secundum divinitatem unigenitus est. » (P. G., 60, 541.)

S. AUGUSTINUS (contra Secundinium, cap. 5) : « Cum unigenitum et primogenitum Filium Dei testantur eloquia... unigenitum eum accipiens secundum id quod scriptum est in principio erat Verbum... Primogenitum autem universæ creaturæ secundum id quod apostolus ait ut sit primogenitus in multis fratribus... Ex illo igitur quod Unigenitus est, non ex carne... sed ex Deo natus est ; ex illo autem quod primogenitus in Ecclesia fratribus factus, Verbo caro factum est. » (P. L., 42, 581.)

Idem (quarumdam proposit. ex Epist. ad Rom. Expositio, caput LVI) : « Primogenitus omnis creaturæ... Secundum susceptionem autem hominis et Incarnationis dispensationem, per quam nos etiam non naturaliter filios in adoptionem filiorum vocare dignatus est. Primogenitus dicitur cum adjectione fratrum. » (P. L., 35, 2077.)

SEVERIANUS, *Gabalorum Episcopus* (De mundi creatione, oratio IV, n° 8 ; inter opera S. J. Chrysostomi.) : « Secundum hæreticos hæc duo inter se pugnant. Nam si *primogenitus* non *unigenitus* est... Primogenitorum illorum (qui conscripti sunt in cœlis, Heb., XII, 22) unus est secundum carnem Christus, secundum divinitatem Unigenitus. » (P. G., 56, 468.)

S. CYRILLUS ALEX. (Thesaurus Assert. XXV) in illud : « Primogenitus omnis creaturæ. Quando igitur factus est frater noster, nisi quando carnem nostram assumpsit. Idcirco tunc dicitur Primogenitus quando per gratiam multos Dei Filios effecit. » (P. G., 75, 402.)

S. ISIDORUS PELUSIOTA (Epist., lib. III. Ep. XXXI.) « Quomodo dictum sit illud : « *Primogenitus omnis creaturæ.* » Impugnat hæreticos qui Verbum creaturam esse

asserebant ; et sua prolata explicatione, addit : « Cur ergo eos rejiciunt, qui eum divinitatis ratione unigenitum dictum esse aiunt, humanæ autem naturæ respectu primogenitus esse omnis creaturæ ? » P. G., 78, 751.)

THEODORETUS, EPISC. CYRENSIS (Interpret. Epist. ad Rom., cap. VIII, 29.) — « *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*» Hoc etiam testatur veritas doctrinæ. Nam primogenitus nominatur ut homo ; ut Deus enim Unigenitus est. Neque enim fratres habet quâtenus est Deus.» (P. G., 82, 142.)

Idem (ad Heb., cap. I, vers. 6) : « Quomodo autem Primogenitus qui est unigenitus... Unigenitus est ut Deus ; et Primogenitus ut homo, in multis fratribus. » P. G., 82, 686.)

S. JOANNES DAMASCENUS (Orat. I, in Deiparæ nat. § II) : « Siquidem primogenitam oportebat in lucem edi, ex qua nasciturus esset omnis creaturæ primogenitus, in quo omnia constant. » (P. G., 96, 664.)

EUSEBIUS ALEXANDRINUS (Sermones, X, de Nativitate Christi) : « *Primogenitus* autem dicitur, non quod fratrem habuerit alium sed quod solus de Virgine natus sit. » (P. G., 86, 367.)

S. FULGENTIUS (Contra Arianos) : « Unigenitum ergo Christum cognoscimus ex Patre, primogenitus profiteamur ex Virgine ; in illâ quippe nativitate vere est unigenitus... ; in hâc autem nativitate primogenitus est totius creaturæ, id est, eorum quos in fratres sibi per fidem dignatus est adoptare. » (P. L., 65, 516.)

S. ISIDORUS HISPALENSIS (Differentiarum liber II, cap. VI, 14-15) : « Quid differt inter id quod Christus nunc *unigenitus*, nunc *primogenitus* esse prædicatur ?... Secundum divinitatis excellentiam Unigenitus est... At vero secundum fraternam societatem, primogenitus universæ creaturæ... Est ergo unigenitus in substantia deitatis, primogenitus in susceptione humanitatis : primogenitus in gratia ; unigenitus in natura... Frater, quia primogenitus : Dominus vero quia unigenitus. » (P. L., 83, 72.)

Heterius et S. Beatus (Epist. ad Elipandum lib. I, cap. cxvi) : « Liber intus et foris scriptus est Christus... Foris (i. e. ut homo) scriptus est cum apostolus dicit : Ut sit primogenitus in multis fratribus. Intus (i. e. ut Verbum) scriptus est, cum ipse Filius de se dicit : sic dilexit, Deus mundum ut Filium suum *Unigenitum* daret.» (P.L. 96, 967.)

Alcuinus (Adv. Elipandum, lib. I, cap. xxi): « Scimus beatum Isidorum dicere de Christo (Differ. lib. II, differ. 5): Unigenitus in divinitate, primogenitus in humanitate: non tamen legimus eum contradicere quod primogenitus quoque esset in divinitate, et unigenitus in humanitate, ne ipse aliquid contra Scripturas sanctas affirmare videretur. » (P. L., 101, 250.)

B. Rabanus Maurus (En. in Epp. Pauli, lib. V; In Ep. ad Rom., caput viii). — *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* : « Quod autem dicit, *Ut sit ipse*, etc., satis docet aliter intelligendum Deum nostrum, aliter primogenitum, nam uti unigenitus dicitur... naturaliter est Filius Dei... Secundum susceptionem autem hominis et incarnationis dispensationem... primogenitus dicitur cum adjunctione fratrum. » (P. L., 111, 1469.)

Idem (Expos. in Ep. ad Colos., cap. I, 15) : « Sic S. Ambrosius. Primogenitus omnis creaturæ : «Fides vero catholica, quæ inter creatorem et creaturam distinguit, nullam patitur in his duobus nominibus intelligendi difficultatem. Unigenitus eum accipiens secundum id, quod scriptum est : in principio erat Verbum... *Primogenitum autem omnis creaturæ* secundum id quod apostolus ait : ut *sit ipse primogenitus in multis fratribus*... ut Jesus Christus et Unigenitus sit secundum id quod Verbum Dei est... et *Primogenitus omnis creaturæ* secundum id quod in ipso condita sunt omnia in cœlis et in terra visibilia et invisibilia. » (P. L., 112, 509.)

Idem (Lib. I, de universo, c. II) : « Unigenitus vocatur per divinitatis excellentiam : quia sine fratribus. Primogenitus per susceptionem hominis in qua per adoptionem

gratiæ fratres habere dignatus est quibus esset primogenitus. » (P. L., III, 19.)

ALVARUS CORDUBENSIS (Epistolæ-Epist. III, nº 6.) : « Et quia unigenitus et primogenitus duæ naturæ sunt, divina et humana. Nam et diversitas harum naturarum in elocutione Evangeliorum ostenditur. » (P. L., 121, 424)

ATTO VERCELL., Episc. (Expos. in Epist. ad Rom.) « Ut sit ipse primogenitus... Voluit quippe ostendere quia naturâ unigenitus erat Dei Filius; humanitate autem factus est primogenitus » .(P. L., 134, 211.)

HERVEUS BURGIDOLENSIS, monachus (In Epist. ad Coloss., cap. I) : « Nunc secundum formam subjungit, quia est *primogenitus omnis creaturæ*, nam secundum formam Dei non est primogenitus, sed unigenitus. In substantia divinitatis est unigenitus, in susceptione humanitatis primogenitus in gratia. » (P. L., 181, 1319.)

CONCLUSIO :

Ergo ex Patrologia latina et græca et ex conciliis Christus, ut homo, est *primogenitus omnis creaturæ* non dignitate tantum sed decreto creationis.

CAPUT VII

Deus homines et angelos prædestinavit in Christo.

Ita est : 1° Si Christus prædestinatus est ante omnes electos. 2° Si gratia angelorum et Adami innocentis e Christo procedit. Atqui ita probatur.

«Benedixit nos (Pater) in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. » (Ep. ad Ephes., 1, 3, 5).

Affirmare prædestinationem Christi fuisse priorem prædestinatione electorum, seu principium et fontem gratiæ angelorum et Adami innocentis est revera prædicare ipsius Primatum.

Ut autem effugiant vim probativam verborum Scripturæ et Patrum multifarie, ne dicam uno ore, asserentium Christum fuisse prædestinatum ante omnes electos et a Christo Adamum innocentem et angelos accepisse gratiam, impugnatores Primatûs reccurrunt ad distinctionem apud Patres inauditam dicentes : « Christus prior cæteris prædestinatus fuit, *sed ex prævisione peccati.* »

Sed hoc non est solidum, ait Salmeron. Nam si ex prævisione peccati Christus est prædestinatus, et peccatum non est nisi quia avertit a Deo et tollit gratiam, ergo ante prævisionem peccati fuit prævisio gratiæ, quæ est seminarium gloriæ ; ante peccatum ergo, Adam fuit ordinatus ad gloriam ; ergo Christus, in quo prædestinatus est Adam, ante peccatum prædestinatus est...

Adde quod si ex prævisione peccati Christus esset, et Adam prædestinatus fuisset, sequeretur gratiam datam esse antequam daretur ; quod implicat. Quod ita probatur : gratia datur ex prævisione peccati et est sermo de prima gratia Adæ, sed peccatum non est aliud quam aversio a Deo et gratiæ privatio ; ergo antequam prævideatur peccatum, prævidetur gratia, quod per peccatum tollitur. Ergo antequam gratia daretur, intelligeretur jam data...

His dictis, audiantur Patres de prædestinatione Christi.

§ I. Christus prædestinatus est ante omnes electos. (1)

ENOCH, XLVI. I. « J'en vis un dont la tête était chargée de jours... et près de lui était un autre (personnage) dont l'aspect était celui d'un homme et sa figure était pleine de grâce, comme celle d'un ange saint... »

XLVIII, 3-6. « Avant que le soleil et les astres fussent créés, avant que les étoiles du ciel fussent faites, son nom fut nommé devant le Seigneur des esprits. Et c'est pourquoi il a été choisi et caché devant lui avant que le monde ne fût créé et jusque dans l'éternité (2). »

S. CLEMENS (Epist. ad Cor. XIV). « Itaque, fratres, facientes voluntatem Dei patris nostri erimus ex Ecclesia

1. Cui objectioni quod Christus prædestinatus fuerit ut medium ad nostram prædestinationem et proinde quod hæc prioritas prædestinationis non probet Incarnationem in decretis divinis priorem creatione hominis fuisse, respondet S. Cyrillus Alex. cujus verba de creatione valent et de prædestinatione :

(Thesaurus, Assertio XV) « Si Pater propter nos Filium creavit de nobis primis deliberavit. Si vero ejus deliberatio circa nos primos versata est quamobrem ille ante nos creatur qui in consilio et deliberatione erat ultimus ? Aut cum illum primum creavit, non etiam primo de illo deliberavit ? »

2. Les chapitres I-XXXVI et LXXII-CV remontent aux années 133-100 avant Jésus-Christ, tandis que les chapitres XXXVII-LXXI ne sont pas plus anciens que l'an 37 avant Jésus-Christ. — (Théologie des dogmes, I, par J. Tixeront, p. 34, Paris, 1905).

rima spirituali, quæ ante solem et lunam condita est; sin autem voluntatem Dei non faciamus erimus ex Scriptura dicente : *Facta est domus mea spelunca latronum.* Quamobrem præferamus ex Ecclesia vitæ esse, ut salvi fiamus. Non autem vos ignorare puto quod Ecclesia *viva* est corpus Christi; dicit enim Scriptura : Fecit Deus hominem masculum et feminam ; mas est Christus, femina Ecclesia ; atque etiam Biblia et apostoli dicunt Ecclesiam non ex hoc demum tempore esse sed a principio. » (Op. Pat. Apost. vol. I, p. 161-163.— Tubingæ, MDCCCLXXXVII).

CONSTITUTIONES APOSTOL. (Libr. VIII, cap. XII) : « Per quem (Filium Pontificem tuum) ut essent (cuncta) donasti, per quem etiam ut bene essent dedisti... Tu namque, Deus omnipotens, per Christum in Edene ad Orientem plantasti paradisum. » (P. G., I, 1094).

EPISTOLA AD DIOGNETUM (Auctor ignotus) : « Postquam vero per dilectum Filium... patefecit (Deus) quæ inde ab initio erant præparata... Postquam omnium jam apud se cum Filio disposuit usque ad superius tempus scivit nos secundum arbitrium nostrum inordinatis motibus ferri... » — Hic ergo dicitur decretum Incarnationis prius et Redemptionis posterius fuisse. (Opera Pat. Apostolic., vol. I, p. 325. Tubingæ, 1887) (1).

S. JUSTINUS, *Philos et Mart.* (Dial. cum Tryph.n.138): «... Christus enim, cum primogenitus esset omnis creaturæ, rursus etiam factus est principium alterius generis

1. Les Pères apostoliques sont au nombre de 8 que l'on peut ranger, au point de vue géographique, dans l'ordre suivant : à Rome, la première épître de S. Clément (93-97) et le Pasteur d'Hermas (vers 140-155) ; à Rome ou à Corinthe, l'homélie appelée la deuxième épître de S. Clément (vers 150) ; à Antioche et le long des côtes de l'Asie Mineure, les sept épîtres de S. Ignace (107-117) ; à Smyrne, l'Epître de S. Polycarpe et son *martyrium* (ce dernier de 155-156) ; à Hiérapolis, en Phrygie, les fragments de Papias (vers 150) ; en Palestine peut-être, la *Doctrine des 12 Apôtres* (dans sa forme actuelle des années 131-160 suivant Harnack, mais, au moins dans son ensemble, de la fin du I^er siècle d'après Funk, Zahn et Batiffol) ; enfin, en Egypte probablement, l'épître (apocryphe) de S. Barnabé (130-131) d'après Harnack. — (Histoire des Dogmes, I, par J. Tixeront, p. 116, Paris, 1905).

ab ipso regenerati per aquam et fidem et lignum quo mysterium crucis continetur. » (P. G., 6. 794). — Ergo Christus duplex est principium : 1° creationis ; 2° regenerationis seu redemptionis. Ergo primus prædestinatus.

Idem (Apol. II pro Christ. n. 6) : « Hæc autem, Pater, Deus Conditor, Dominus, Herus, non sunt nomina sed ex beneficiis et operibus appellationes. Ejus autem Filius, qui solus proprie Filius dicitur, Verbum antequam mundus crearetur, quod est unacum eo, a derat et genitum est, cum per illud initio omnia condidit et ornavit ; hic, inquam, Filius eo quod unctus sit et per eum Deus omnia ornaverit, Christus vocatur... Jesus autem et Hominis et Salvatoris nomen et significationem habet(1) » (P. G., 6. 454).

TATIANUS (Oratio adv. Græcos, n° 5) : « Deus erat in principio : principium autem Verbi potentiam esse accepimus... Voluntate autem simplicitatis ejus prosilit Verbum ; Verbum autem non in vacuum progressum, fit opus primogenitum Patris. Hoc scimus esse principium mundi. » (P. G., 6, 814, 1815). Ex Tatiano ergo est Verbum insitum et prolatum seu progressum ; et hæc prolatio est prædestinatio Christi *principium mundi.*

S. CYPRIANUS (Oratio de nat. B. Virginis) : « Maria vas totius electionis. » — (Som. des grandeurs de Marie, ab. Jourdain, t. 1, p. 8). A fortiori Christus.

S. IRENÆUS *Episc. Lugdun.* (Analecta, XXVIII) : « Libri sancti docent de Christo eum esse Filium Dei... eum ut primitias creationis a Deo egressum, sicut genitus est ex Maria. » (Anal. sac. Spicil ; Solesm., t. 4, p. 300).

Idem (Lib. III adv. Hæres) : « Quid est quod sine consensu Mariæ non perficitur mysterium Incarnationis ? Quia nempe vult illam Deus omnium bonorum esse

1. « Hoc discrimen inter Christi et Jesu nomen a Justino ponitur, quod primum Verbo ante Incarnationem competere crederet, alterum post Incarnationem. » Ita annotator S. Martyris D. Prudentius Maranus, Cong. S. Mauri monachus. Sed rectius et planius dices ex his verbis Incarnationem seu Christum causam fuisse creationis et gratificationis creaturæ ; post lapsum autem nomen Jesu additum propter redemptionem.

principium. » (Somme des Grandeurs de Marie, Jourdain, t. I, p. 31) (1).

Tertullianus. Prædicat distinctionem Sermonis insiti et prolati et dicit Sermonem prolatum esse ante mundum conditum. Quæ prolatio Sermonis est decretum Incarnationis. Nam Advers. Prax., c. VI : « Ut primum Deus voluit ea quæ cum Sophiæ ratione et Sermone disposuerat intra se in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem... ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata, atque disposita, imo et facta jam quantum in Dei sensu. »

Et *ibidem*, cap. XII : « ... Erat autem ad cujus imaginem faciebat, ad Filii, scilicet, qui homo fururus certior et verior imaginem suam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habebat imago veri, et similitudo. Sed in antecedentibus operibus mundi quomodo scriptum est ? Primum quidem, nondum Filio apparente, et dixit Deus : fiat lux, et facta est ; ipse statim Sermo Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (J. I. 9) et per illum mundialis quoque lux. Exinde autem in *Sermone Christo* assistente et administrante, Deus voluit fieri et Deus fecit. (2) » Jam ergo Sermo homo factus erat in decreto Patris.

1. Sic Dom. Tixeront sententiam Irenæi de missione Filii summatim tradit : « Le du propre Fils est de révéler le Père : « Invisibile etenim Filii Pater, visibile autem Patris Filius » (IV, 6-3) ; c'est par le Fils que le Père est connu. Par lui il se manifeste d'abord aux anges et aux vertus célestes, dès le commencement et avant la création du monde, puis aux hommes (II, 30, 9 ; IV, 6, 7 ; IV, 7 ; 3 ; IV, 10,7). Tixeront, L'histoire des dogmes, p. 253. Paris, 1905.

« Pourquoi le Verbe, est-il incarné ? — Parce que nous ne pouvions parvenir à l'immortalité et à l'incorruptibilité qu'à la condition que celui qui est l'immortalité et l'incorruptibilité par essence s'unît à notre nature, et par là même à l'humanité entière dont nous sommes les membres et qu'il a récapitulée en lui. C'est la doctrine de l'ἀνακεφαλαίωσις chère à notre auteur (III, 16, 6 ; III, 18, 1, 7 ; III, 19, 1 ; cf. III, 9, 3 ; 16, 7-9).

» Sa condition d'être créé empêchait l'homme d'être parfait, dès le principe ; c'est par l'obéissance qu'il devait se rapprocher de son créateur et parvenir peu à peu à la perfection et à l'immortalité (IV. 38, 1, 3) ». — (Idem, 76, 8).

2. Ne autem habeas quid dubii de significatione « Sermonis Christi »

Et in (de Resurrectione carnis, cap. VI) : « Recogita totum illic Deum occupatum, etc... Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus. »

CLEMENS ALEXANDRINUS (Fragmenta in Ep. I Petri): « *Præcogniti quidem*, inquit (Petrus, I, v. 20) *ante constitutionem mundi*. Primo quidem præcognitus ante omnem creaturam quod erat Christus. » (P. G., 9, 730.)

ORIGENES (In Ps. 109, 1, 6) : « *Dixit Dominus Domino*... Primogenitum (Christum) secundum carnem, unigenitum vero secundum divinitatem... Jubetur autem sedere... ut primogenitus et hæres. » (Anal. Spicil. Solesm., t. 3, p. 227.)

Idem (In Ps. 73, v. 12) : « Filius autem tuus Christus præfixus est ante sæcula rex per naturam, secundum humanæ carnis assumptionem. » (Anal. sac. Spicil. Solesm t. 3, p. 99.)

Idem Jesum prædicat multifarie prædestinatum priorem angelis et hominibus ut fontem gratiæ.

Idem (Lib. 3, n° 8 in Epist. ad Rom. super vers. 25, cap. III) : *Quem proposuit Deus propitiationem* dicit Christum præordinatum fuisse ut esset et propitiatorium et auctor gratiæ et scientiæ salutaris pro angelis et pro hominibus : « Sed et hoc ipsum quod dixit : *proposuit* : magis de anima Jesu, quam deitate ejus dictum sentitur. *Proposuit* enim intelligitur quasi *prius posuit*, hoc est priusquam esset. Quod enim est *ponitur* ; quod nondum est *proponitur*. Non ergo convenit de eo qui semper erat, id est de Verbo Dei dici, quia propositus est, sed de *anima ejus*, quæ licet inseparabilis sit a Verbo Dei, creata tamen est, et Unigeniti Deitate posterior ; nec inconvenienter videbitur de ea dictum, quod antequam esset, proposita et præordinata, ut esset propitiatorium. » (P. G., 14, 949.)

audi Tertullianum : « Ergo Jesus idem erit Christus, qui a Patre unctus est... et sive Jesus tantummodo positum est intelligitur et Christus, quia Jesus unctus est ; sive solummodo Christus, idem est Jesus, quia unctus est Jesus. »

S. ZENO, MARTYR, EPISCOPUS VERONENSIS. S. Martyr loquitur, plurimi ut Patres, de Verbo insito et prolatitio :

(Tract. IV, lib. II) : « Sicut sacra Scriptura testante erat ante omnia manens unus et idem alter ex semetipso in semetipsum Deus, secreti sui solus conscius, cujus ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, providit Unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus, exinde visibilis necessario effectus, quia orbem terræ erat ipse facturus, humanumque visitaturus genus, alias æqualis in omnibus Patri. » (P. L., 11 396.)

Tract. VIII, lib. II : « Prima itaque nativitas Domini nostri in Patris et Filii tantum conscientia manet, nec quidquam habet interjectum, neque conscium, quod ex paterni oris affectu processit uno consensu. » (Ibid., col. 412.)

Et tract. III considerat Verbum generatum ad creationem : « Procedit in nativitatem qui erat antequam nasceretur in Patre æqualis in omnibus. » (Ibid., col. 394.)

Et tract. V : « Excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa Virtus, incomprehensibilisque Sapientia e regione cordis eructat Verbum (Ps. XLIV, 1) omnipotentia se propagat).(P. L., 11, 399.)

S. ROMANUS. (De Nativitate laudes, nº 59) : « Quod Patri ante sæcula præfixum est... in novissimis temporibus mysterium apparuit et Deus humanatus est.» (Anal. spicil. Soles. part. I, p. 225, Paris, 1876.)

LACTANTIUS (Institut. divin., lib. IV, cap. VI) : « Deus igitur machinator constitutorque rerum antequam præclarum hoc mundi opus adoriretur, sanctum et incorruptibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncuparet. » (Verbum prolatitium) Ergo prior Christus (in decreto) creatione mundi. — (P. L., 6, 461.)

MARIUS VICTORINUS (In Epist. ad Eph. lib. I, cap. I, 4) : « Hic tangitur quæ summa, quæ causa sit totius mysterii ; vel mundum factum esse, vel in Christo mundum, vel a Christo mundum factum... Elegit nos in

Christo... ergo et Christus ante. Et quid est ante ? Utique ex æterno. » (P. L., 8, 1238.)

Idem (Ibid. v. 9) « Et mundus et in mundo et liberatio nostra et causa omnium in Christo sunt et Christus sunt. »

VERECUNDUS JUNCENSIS AFER *Episc.* (In cant. Habacuc. Vers. II, XVII) « Ergo ab initio luna est : a constitutione quippe Ecclesia congregatur... Ille ab initio vel a principio intelligendus est qui primus est et novissimus et qui ait : Ego sum principium quod et loquor (Joan)... Super eo Ecclesia stetit... nec mota est quoniam fundamentum ejus est Christus. » (Spicil. Solesm., t. IV, p. 84. — Paris, 1858)

S. ATHANASIUS ALEX. (Com. in Psalm. 64, v 10 :« Præparasti, inquit (Psalmista), spiritualem cibum, quia ante constitutionem mundi definitum est mysterium Christi qui est panis de cœlo. » (Anal. Spicil. Solesm., t. 5, p. 18.)

Idem (Cont. Arian. sermo III) : « Unigenitus quidem habetur ob generationem ex Patre : primogenitus vero ob condescensum ad creaturas. »

S. GREGORIUS NAZIANZENUS. Ipsius enim factura creati in Christo Jesu in operibus bonis (Ephes., II, 10) : « Gregorius theologus istud *creati in operibus bonis*, non de creatione in baptismate, vermu de prima creatione interpretatus est. » Sic Theophilus.

Orat. XIV (De amore pauperum, n° 2) : « Pulchra est benevolentia erga homines ; ac testis est idem Jesus, qui non solum hominem propter opera bona creavit, ac imaginem, quæ ad optima quæque dux esset ac superna bona conciliaret, carni copulavit. » (P. G., 35, 859.)

Orat. XL in S. Baptisma n° 2 : « Triplex nativitatis genus agnoscit Scriptura : primum ex corporibus, alterum ex baptismo, tertium ex resurrectione. Has porro cunctas nativitates honore a Christo meo affectas fuisse constat. Prima quidem per primam illam ac vitalem insufflationem, Gen., II, 7 ; secunda vero per Incarnationem et baptismum, quo ipse baptizatus est ; tertia denique

per Resurrectionem quam ipse auspicatus est. » (P. G., 36, 362.)

Ergo Theologus expresse de Christi jam prædestinati interventione in Adami creatione loquitur.

S. GREGORIUS NYSSENUS (L. IV cont. Eunomium) : « Cum salva fuerit ovis cum superna illa centuria, nos autem omnes sumus humana natura hæc ovis, quam quia factus Primogenitus, bonus Pastor servavit... »

Ergo unum ovile, unus Pastor qui et servator seu salvator omnium.

EUSEBIUS — *Origenes (In Ps. 8, 5): « Quid est homo?* Tantum enim decus ab universorum Deo natura hominum recepit! Imo primitias nostras ipse Deus Verbum assumpsit. » (Ibidem, p. 389; Anal. Spicil. Solesm., t. 3.)

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS (In Psal. 103): « Sapientia in quâ omnia effecit Christus est. » (P. G. 55, 651.)

S. HIERONYMUS (Commentarioli in Ps., Ps. 71): « *In Salomonem.* Et hic Psalmus proprie ad Christum refertur. *Et permanet cum sole et ante lunam...* Si super Salomone iste Psalmus intelligitur, hoc penitus stare non potest. Salomon quippe nec cum sole, nec cum luna permansit. Si vero volumus intelligere de Christo, quærendum quomodo Christus non habeat finem : cum sol et luna et cœlum et omnia veterescere et transire dicantur. » (Anecdota Maredsolana, vol. III, pars I, p. 58.) — Ergo Christus est ante lunam evidenter in decreto Dei.

Idem (Ibidem, Ps. 35) : « In lumine tuo videbimus lumen. Lumen Patris Christus est: in Christo, Patris lumine, lumen Spiritum Sanctum videbimus. » (Anecdota Maredsolana, vol. III, pars I, p. 42. Maredsoli, 1895.) Si Christus est lumen gloriæ, ipsius prædestinatio prior est nostra.

Idem (In Psal. 103): « Omnia in Sapientia fecisti (Ps. 103, 24) in Domino Jesu Christo ; ipse enim est Sapientia secundum Apostolum dicentem quod in Ipso creata sunt omnia. »

S. CYRILLUS ALEX. (lib. de Fide ad Theodos.) : « Uni-

genitus quidem ut Deus, primogenitus quatenus secundum œconomicam unionem... homo versatus est, quo et nos quoque in ipso et per ipsum secundum naturam et gratiam Filii Dei efficeremur. »

Idem (Thesaurus, assert. XV) : « Deus ac Pater præsciens quæ humanæ naturæ conducibilia forent, neque ignorans quod omnino in corruptionem prolapsura esset rationem vero ac modum instaurationis reductionisque ad incorruptionem ei quærens, veluti radices ei quasdam ejusmodi spei egit in Filio suo, et in adoptionem prædestinat per ipsum, omnique benedictione spiritali dignatur, etiam nondum factos ; ut quando contingeret in mortem labi per prævaricationem veluti ex prisca illa radice rursus in vita natura repullularet et tanquam jam ante benedicta, non in universum maledictioni obnoxia fieret, cum audiret : « Terra es et in terram reverteris. » Antea itaque nobis fundamenti loco ponitur Christus, atque in ipso nos omnes superædificamur, et quidem ante creationem mundi juxta prænotionem Dei omnia præscientis, ut, quemadmodum modo diximus, antiquior in nobis sit benedictio quam maledictio, antiquior promissio ad vitam quam condemnatio ad mortem, antiquior adaptatio in libertatem quam diabolica servitus. » (P. G., 75, 294.)

RUFINUS PALÆSTINUS (Liber de Fide, XLIX) : « Nam propterea etiam virtutes cœlestes per solam fidem creantur in Christo, quia et istas quoque omnes in semetipso renovavit et propter hoc enim qui in Christo credunt, nova creatura dicuntur, quia Unigenitum Deum Verbum similiter cum servi forma quam habet venerantur et colunt. Quod autem creatæ sunt cœlestes virtutes in Christo testis est beatus Paulus : « Instaurare omnia in Christo. » Rursus etiam sicut caput Ecclesiæ dicitur, sic etiam cœlestium virtutum omnium caput esse monstratur. Quid enim dicit beatus Paulus ? « Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis... qui est caput omnis principatus. » (P. L., 21, 1148-1149.)

S. AUGUSTINUS (Tract. VIII in Joan.): « Antequam Filius de ea natus est, in prædestinatione noverat Matrem... quemadmodum ipsam noverat ut matrem suam, ita elegit ipsam in matrem totius mundi. » (Somme des Grandeurs de Marie, Jourdain, t. I, p. 23.)

Idem (Serm. XXX ad Fratres in eremo): « Si ergo mater esse debuit in mente Dei prædestinantis, per hoc ipsum quod Salvatoris Mater esset, tunç etiam in prædestinatione omnes præcedere debuit. » (Ibidem.)

S. FULGENTIUS, *Episc. Ruspensis* (De verit. prædest. lib. III, c. IV): « Non ergo quos eligeret, aut sanctos immaculatos invenit aut inveniendos esse præscivit ; sed ut sanctos faceret ante mundi constitutionem elegit. » (P. L., 65, p. 654,) Ibid., p. 722: « Christus est alimentum nostrum, Christus erit præmium nostrum. (Sermo I de Dispensat. Domini, n. III.)— Ergo decretus ante homines Chritus qui hominum est præmium.

S. MAXIMUS, *Græcorum theologus.* (Quæst. ad Thalassium. — Quæst. XXII) : « Qui omnium rerum creatarum... solo voluntatis nutu substantiam condidit, ante omnia sæcula ipsamque rerum conditarum substantiam editam... benignum de iis consilium habuit, in eo scilicet positum ut et ipse immutabiliter per veram in persona unionem, naturæ humanæ commisceretur. » (P. L. 46, p. 103.)

S. PROCLUS, *Archiep, Const.* (Serm. de Circumc. Dom.): « Prævisus est enim et præcognitus ante mundum conditum Christus. » (P. G., 65,838.)

S. JOAN. DAMASCENUS (Orat. I de Virgin. Mar. Nativitate, circa principium): « Si quidem oportebat eam primogenitam (Mariam) in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum in quo omnia coagmentata sunt paritura erat. »

Idem (Homil. I in Dormit. B. V. Mariæ, 1): « Si igitur justorum omnium memoria cum laude recolitur ecquisnam est qui justitiæ fonti et sanctitatis thesauro laudem non exhibeat ?... » (P. G., 96,699.) Fons justitiæ justificatis prior.

S. Beda (In Joan. Exp. cap. XVIII) : « Quomodo ipse clarificatus quia priusquam mundus esset nec nos eramus nec ipse.. homo Jesus ?... Profecto secundum id quod mediator Dei et hominum homo est, ante mundi constitutionem pro nobis Deus Pater glorificavit ipsum, sicut tunc elegit etiam nos in ipso. » (P. L., 92, 875.)

S. Andreas Cretensis (Oratio de Assump. Mariæ) : « Virgo est declaratio profundorum divinæ incomprehensibilitatis, hic est scopus qui excogitatus est ante sæcula. » (P. G., 97.)

Idem (Can. Exalt. S. Crucis) : « Eam prædestinatam esse in Matrem vitæ omnium. » (P. G., 97.)

Idem (In Nat. B. Mariæ I) : « Quî vero ea res (Incarnatio) ad finem deduceretur, nisi prius munda intactaque Virgo ministraret mysterio... Quænam autem alia Virgo hæc possit intelligi nisi quam ante omnes generationes naturæ totius Creator elegit ? » (P. G., 97.814.)

Idem (In Annunt. B. M.) : « Ave, Deo electa antequam aliqua nascerentur. » (Ibidem, 895.)

Idem (In Dormit. S. Mariæ, III, Canticum Angelorum ad corpus Mariæ) : « Hæ primitiæ communionis necessitudinisque omnium conditoris Dei ad proprium figmentum. » (Ibidem. 1091.)

S. Josephus Hymnographus (Mariale ex canone in festo S. Philippi apostoli, die 11 oct.) : « Qui ex iis quæ non sunt universa creavit habuit te, o Dei mater inviolata, tanquam Incarnationis suæ causam. » (P. G., 105, 1207), Ergo Incarnationi peccatum Adæ occasionem non dedit. »

Anepigrapha LXXXIII (De Virgine Maria, II, 2) : « Tanquam sublimior universis creaturis, a Deo prædestinata et præelecta est. » A fortiori Christus (Anal. sac. Spicil. Solesm. parata, t. I, p. 659.)

S. Petrus Damianus (Serm. XLV ; II de Nativ. V. Mariæ) : « Ante constitutionem mundi in consilio æternæ Sapientiæ electa et præelecta (Maria.) » Ergo hominibus prior. (P. L., 164, p. 747.)

Germanus II *C. P. Patriarcha.* (In Annunt. B.

Mariæ, XLVI) : « Et vere Incarnationis Verbi Dei mysterium ante mundi constitutionem prædestinatum fuit, atque in illo exercitûs duce (Gabriel) velut in tabula quadam incorporea, antea per Spiritum ad vivum fuit expressum. Vox enim Gabriel ex hebrea in græcam linguam conversa, *theandricum* quid sonat, i. e. *Angelus theandricus.* » (P. G., LXI, 1273.) Sine textu græco.

Prosa Ecclesiæ Bituricensis (in Concept. B. Mariæ) :

Nondum erat mundus iste,
Cum hanc placet tibi, Christe,
In matrem eligere.
Lapsus quo mundus ruit
Quam lædi non decuit
Nec te sic negligere.

(Analecta liturgica, pars II, p. 149. Insulis et Brugis, 1892.)

FLORUS, DIACONUS LUGDUNENSIS (De Exposit. Missæ, 24) : « *Per quem majestatem tuam laudant Angeli :* Hæc est enim ineffabilis gloria Salvatoris et mediatoris nostri... *Propter quod et Deus illum exaltavit et donavit illi nomen quod est super omne nomen, in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum ;* quatenus per eumdem mediatorem laudet, adoret et contremiscat majestatem Dei Patris non solum Ecclesia hominum in terris, sed etiam Ecclesia angelorum in cœlis.

» Sic enim (ait Aug. : Serm. CCCXL, 11) Ecclesia tota et una accipienda est, non solum ex ea parte quæ peregrinatur in terris à solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini..., verum etiam ex illâ quæ in cœlis semper ex quo condita est cohæsit Deo, nec ullum malum sui casus experta est. Hæc in sanctis angelis beata persistit. » (P. L, 119, 34.)

Idem (ibid. : « Omnes ergo qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent (Col. 351).

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS (Libel. octo quæstionum, cap. II) : « Christus est Deus homo in quo Deus ante

mundi constitutionem prædestinatos ad vitam elegit, quia in Christo nos deificari constituit. » (P. L., 172, 1187.)

Petrus Cellensis (Serm. vii, in Annunt.) : « Ab initio æternitatis, radius beneplaciti sui in te directus donec veniret tempus miserendi, te (Mariam) sibi fabricare distulit. » (P. L., 202, p. 722.)

D. Garnerius Claræ vallis abbas et postea Lingon. Epis. (Sermo I) : « In omnibus vel ab æternitate prolatis vel ad æternitatem relatis, quæcumque gesta sunt vel hujus creationis (i. e. ut inferius dicit — Incarnationis), dispensationem prætendunt vel ipsa sunt ipsa creatio (Incarnatio.) » (P. L. 205, 661.)

S. Martinus Legionensis (Sermo xxx in Ascens. Dom.) : « *Et in lumine tuo*, hoc est in Christo. videbimus lumen... te scilicet Deum Patrem, plenariam videlicet tui cognitionem post hanc vitam. » (P. L., 208, 1102). Si in Christo electi fruuntur gloria et in Christo adepti sunt gratiam.

Missale mixtum sec. Reg. B. Isidori. (Pars I. in quinto Dominico post octaves Epiphaniæ.—Post sanctus.)

« Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus unigenitus tuus primogenitus noster. Primogenitus in gratia : Unigenitus in natura. Primogenitus quia nemo ante ipsum : unigenitus quia nemo post ipsum... » (P. L., 85, 267.)

CONCLUSIO

Ergo Christus prædestinatus est prior universis creaturis.

§ II. Gratia angelorum et Adami innocentis e Christo procedit.

S. Clemens (Clementina Homil., iii-xx) : « Si illi homini qui Dei manibus productus fuit nolit quis concedere ut sanctum Christi spiritum habuerit, quo pacto alteri ex impura stirpe nato ?... »

Ergo Adam innocens gratiam seu spiritum Christi habebat. (P. G., 2, 123.)

HERMAS (Pastoralis lib. III, simil. IX, cap. XII) : « Vidisti, inquit, lapides illos qui per portam translati sunt in structuram turris collocatos, eos vero qui non erant translati per portam abjectos in locum suum ? — Et dixi : Vidi. — Sic nemo intrabit in regnum Dei nisi qui acceperit nomen Filii Dei... Vidisti, inquit, illos sex viros, et in medio, præcelsum virum ac magnum qui circa turrim ambulavit ? — Vidi. — Ille præcelsus Filius Dei est ; et illi sex nuntii (Angeli) dignitate conspicui... Ex his nuntiis nemo sine eo intrabit ad Deum. » Ergo per Christum solum Angeli et homines intrant in regnum Dei. (P. G., 2, 991.)

ENOCH : « Je vis le Fils de l'homme, il était invoqué des esprits et son nom était en présence de l'Ancien des jours ; avant que le soleil et les astres fusssent créés, avant que les étoiles du ciel fussent formées, son nom était invoqué en la présence du Seigneur des Esprits. » (Christologie, tome II, p. 208.)

S. IGNATIUS, *Martyr* (quæ copto-hebraice supersunt fragm. Epist. II, n. VI) « Nullus erret, sive supercœlestia, sive gloria angelorum, et principes visibiles et invisibiles, si non credant in Dominum nostrum Jesum Christum... etiam ipsi judicabuntur. » (Anal. sac. Spicil. Soles. par., tom. IV, p. 279.)

S. JUSTINUS, *martyr* : « Verbum antequam mundus crearetur cum eo aderat, et genitum est cum per illud initio omnia condidit et ornavit. » Per Christum ergo gratia quæ Adamum et Angelos ornavit. — Nam post lapsum : « Christus rursus factus est principium alterius generis ab ipso regenerati. » (Dialog. cum Tryphone, nº 138.)

S. HIPPOLYTUS EPIS. PORTUENSIS, martyr (Contra Beron. et Helic. Serm.) : « Propter hoc enim factus est homo universorum Dominus ut carne nostrum...redimeret genus..., atque sanctos intellectualium substantiarum cœ-

li ordines ad inconvertibilitatem, mysterio suæ stabiliret incorporationis. Cujus opus omnium in eum recapitulatio est. » Ergo Christus Salvator Angelorum. (P. G., 6, 834.)

Idem (Contra Hæresim Noeti, X) : « Nihil erat præter ipsum (Deum) ; ipse solus, multus erat. Nec enim erat sine ratione, sine sapientia, sine potentia, sine consilio... Quando voluit et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis : per quod omnia fecit... Eorum autem quæ facta sunt ducem, consiliarium et operarium generabat Verbum ; quod Verbum cum in se haberet, essetque mundo creato inaspectabile, fecit aspectabile, emittens priorem vocem... ; et qui prius ipsi tantum erat visibilis, mundo autem invisibilis ; hunc visibilem facit, ut mundus, cum eum qui apparuit videret, salvus fieri posset. » (P. G., 10, 818).

Clemens Alexandrinus : « L'œuvre de Jésus-Christ est *surtout* une œuvre de révélation et d'enseignement. Jésus-Christ est notre docteur et notre Maître et notre vrai Pédagogue. » Cohort., XI, 229, 232 ; XII, 240. — Pæd. I, 6. col. 280 ; — Strom., VII, 10, col. 480. — (Tixeront. — Histoire des dogmes.) — Sed doctore et pædagoga opus fuisset homini innocenti.

Origenes (Homil. I in Levit.) : « Nisi forte hoc intelligi voluit quod sanguis Jesu Christi non solum in Jerusalem effusus est... sed et quod supernum altare quod est in cœlis ubi et Ecclesia primitivorum est, idem ipse sanguis asperserit .. si ergo duo intelliguntur velamina, quæ velut pontifex ingressus est Jesus, consequenter et sacrificium duplex intelligendum est per quod et terrestria salvaverit et cœlestia. » (P. G., 12, 403, 409.)

Idem (in Levit., Hom. II, n° 3.) : « Vide ergo ne forte Jesus quem Paulus dicit pacificasse per sanguinem suum non solum quæ in terris sed et quæ in cœlis sunt, idem ipse sit vitulus qui in cœlis quidem non pro peccato, sed pro munere oblatus est, in terris autem... oblatus sit pro peccato. » (P. G., 12, 416.)

Idem (in Cant. Cant., Lib. II, vers. 10) : « Non enim tu mihi ex adventu Salvatoris in carne sponsam dici, aut Ecclesiam putes, sed ab initio humani generis, et ab ipsa constitutione mundi, imo, ut Paulo duce altius mysterii hujus originem repetam, ante etiam mundi constitutionem. Sic enim dicit ipse : *Sicut elegit nos in Christo ante constitutionem mundi*... Prima etenim fundamenta congregationis Ecclesiæ statim ab initio sunt posita, inde et Apostolus dicit ædificari Ecclesiam non solum super Apostolorum fundamentum, sed etiam prophetarum.

» Inter prophetas autem numeratur et Adam, quia magnum mysterium prophetavit in Christo et in Ecclesia. » (P. G., 13, 134.)

Idem (In Evang. Joannis, t. I, n° 40.) « Hic (Christus)... magnus est pontifex non solum pro hominibus sed etiam pro omni quod rationis capax hostiam... offerens. » (P.G. 14, 94.)

Idem (In Psalm. 88, v. 7, 8) : « Sed nullus ex filiis Dei (Angelis) similis illi est (Christo ; aiunt quippe : Ex plenitudine ejus omnia nos accepimus. » (Anal. sac. Spicil. Solesm. parata, t. III, p. 159, Paris 1883.)

Idem (In Psalm. 118, v. 160) : « Principium verborum tuarum veritas... Christus ergo est principium eloquiorum Domini. Hic vero initium dicit tanquam causam. » Ibidem, 308.)

Idem (Com. in Joan. t. XX, n° 22) : « Sed dignum qnæsitu est quomodo dicatur : « Veritas in eo (diabolo) non est. » Utrumne...an potius quia particeps Christi non est... tria sane videbuntur habere rationem : aliquo dicturo propter hoc dictum fuisse : « Veritas, » etc., quoniam particeps non sit Christi, quippe cui inferat bellum. » (P. G., 14, 638.)

Idem (Super v. 25, cap. III ad Romanos) : « Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus, » dicit Origenes, quod apostolus alludit ad propitiatorium Legis (Exod., XXV, 10) : « Apostolus de Mediatore disserens evidentem distinctionem signavit dicens : « Me-

diator Dei et hominum, homo Christus Jesus (I Tim., II, 5), » quo scilicet Mediatorem, non ad Deitatem Christi sed ad humanitatem, quæ est ejus anima referendum doceret... Hæc ergo intelligi potest Propitiatorium... Ubi autem superponitur hæc anima Deo plena, *in quâ complacuit inhabitare omnem plenitudinem Deitatis?* (Col. I, 19.) — *Super Arcam*, inquit, *Testamenti* (Exod., XXV, 21.) Potest Arca Testamenti sancta ejus caro, in quâ beata hæc anima collocatur intelligi... Possunt etiam virtutes cœlestes intelligi arca Dei, quæ et ipsæ capaces quidem sunt Verbi Dei et Spiritus Sancti : sed præponitur eis anima Jesu et ipsa quodam modo Mediatrice, gratiam divinæ largitionis accipiunt. » (P. G.. 14, 949.)

Ergo secundum Originem Christus fuit fons et origo vitæ supernaturalis pro hominibus et pro angelis.

Idem (Scholia in Luc., cap. IV) : « Tuque (Lucifer) propterea cecidisti de cœlo, quia te tibi esse sufficientem arbitratus es, nec indigere auxilio Jesu. » (P. G., 17, 331.)

TERTULLIANUS (Adv. Mar., lib.V, c. 19 ; ad Col., I, 15, 19) « : Si non est Christus primogenitus conditionis (i. e. creationis) ut Sermo creatoris, per quem omnia facta sunt et sine quo nihil factum est, si non in illo condita sunt universa in cœlis et in terris visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, si non cuncta per illum et in illo sunt condita, non utique tam nude posuisset apostolus : et ipse ante omnes. Quomodo enim ante omnes si non ante omnia ? Quomodo ante omnia si non Primogenitus conditionis, si non Sermo creatoris ? Unde ante omnia probabitur fuisse, qui post omnia apparuit ? Quomodo item boni duxit (complacuit ?) omnem plenitudinem in ipso habitare ? Primo enim quæ est ista plenitudo nisi ex illis, quæ Marcion detraxit, conditis in Christo in cœlis et in terris angelis et hominibus, nisi ex illis visibilibus et invisibilibus... ? »
Christus ergo gratificator seu salvator angelorum.

S. HILARIUS, *Episc.* (DeTrinitate lib. VIII, 50) « Ut

cui spiritalia debent in primogenito creata quod maneant, ei et humana debent quod in primogenito ex mortuis renascantur æterna » (P. L., 10, 273-274.)

Idem (in Ephes., XV) : « Et instaurare in Christo... hanc ergo capitulationem omnium vocavit... eo quod hanc intentionem olim opifex habuit et ad hoc omnia a principio construxit... Hoc autem in futuro sæculo erit, quando homines... et rationabiles virtutes ad illum inspicient... » (Spic. Solesm., t. I, p. 103.)

Idem (In Math., c. XVIII, n° 6) : « Ovis una homo intelligendus est et sub homine uno universitas sentienda est...ergo nonaginta novem non errantes multitudo angelorum opinanda est, quibus in cœlo est lætitia et cura salutis humanæ. . » — Ergo Christus Pastor angelorum. (P. L., q. 1020.)

Et in Psal CXVIII, litt. 22, n° 7, vers. 176 : *Erravi sicut ovis quæ periit* : « Referri enim se errabundam ac perditam ovem Pastoris sui humeris festinat ut per Salvatorem suum æternumque Pastorem in cœlo Angelis æterna gaudia præbeat, se recepto. » (P. L., 9, 642.)

Unum est ergo ovile et unus Pastor hominum et angelorum.

Idem (Ps. XIV, n° 5) : « Mons autem ejus est illud quod ex homine corpus assumpsit, in quo nunc habitat et sublimis et excelsus super omnem principatum... Super hunc montem ædificata est civitas quæ abscondi non possit... Ergo quia in Christi corpore ante constitutionem mundi electi sunt et Ecclesia corpus est Christi et fundamentum ædificationis nostræ est Christus... Montem non aliud possumus intelligere quam corpus quod suscepit (Christus) ex nobis... Ad illud enim post habitationem Ecclesiæ scanditur... in illo cum angelorum choris, cum et nos simus Dei civitas, sociabimur, » (Ibid. 302.)

S. Gregorius neocæs. seu Thaumaturgus (Sermo in S. Theophania) : « Seque ovibus perditis conjungit Pastor bonus qui propter ovem errantem e cœlis descenderat et cœlos non reliquerat. »

Ergo juxta Gregorium angeli et homines unius ovilis sunt oves et unus Pastor Christus. — (Pat. Lugd. bibliot. Patrum sæc. III, p. 44.)

S. ROMANUS (De Nativitate Laudes, n. 63) : « Psallite ore claro, quoniam hodie Creator qui cum Patre omnia condidit (sic Angelorum agmina et magi communi aiebant voce), hodie Christus ex Virgine nascitur ut *noster* sit Salvator. » (Anal. sac. Spicil. Solesm. parata, t. I, p. 234. Paris, 1876.)

MARIUS VICTORINUS AFER (Adv. Arium lib. I) « Confitemur Filium unigenitum Jesum Christum... primogenitum ante constitutionem mundi et primogenitum ante omnem creaturam, hoc est, et ante substantiam veniendi et generationis et revivendi... Ut fons aquarum immutabilis impassibilis, extra omnem motionem, cum fluit et in flumen advenit, juxta alveum et genera et qualitates terræ creditur pati, semper servans potentiam aquæ suam... sic Christus ille est fluvius de quo Propheta : « Qui irrigat et infundit totam terram »; sed Christus totus omne irrigat et visibilia et invisibilia, flumine vitæ omnium eorum quæ sunt substantia irrigat. » (Pat. Lugd. IV, p. 267.)

S. ATHANASIUS (Or. II, cont. Ari. 76) « Quomodo ergo nos elegit ante quam essemus nisi, ut ipse dicit, in ipso fuissemus præsignati ? Quî verò fieri potuit, ut nos, priusquam homines crearentur, in adoptionem prædestinaverit, nisi ipse Filius ante ævum fundatus esset, suscepta nostri gratiâ dispensatione ? Quomodo item nos, qui nondum eramus, sed tempore exstitimus, ante tempora æterna accepimus, nisi gratia, quæ ad nos pervenit in Domino fuisset reposita ?... Itaque jure merito Verbum in nostram veniens carnem, in eaque *principium viarum in opera sua creatum*, hâc ratione, ut erat in ipso Patris voluntas fundatur... ante ævum et antequam terra fieret... ne scilicet cum terra, montes, rerumque apparentium figuræ, in fine præsentis ævi præterierint, nos similiter ut illa, vetustate conficeremur, sed potius ut etiam postea vivere valeremus,

utpote qui nobis ante res illas præparatam in ipso Verbo habeamus secundum electionem et benedictionem spiritualem. » (P. G., 26, 307.)

Idem (Ibidem) : « Sic enim vitam minime fluxam licebit consequi, constanterque in Christo vivemus, quoniam ante illa omnia (ante ævum et antequam terra fieret) vita nostra in Christo Jesu fundata et parata fuerit. » (P. G., 26, 310.)

Idem (Or. II cont. Ar. 77) : « Quemadmodum si quis sapiens architectus domum statueret ædificare, simulque in animo haberet eamdem, si forte postea destrueretur, reficere : ille utique prius præpararet daretque artifici ea quæ ad instaurationem essent necessaria, itaque fieret ante domum ipsam ejus instaurationis præparatio ; haud aliter nostra salutis innovatio in Christo ante nos fundata est, ut in ipso quoque refici possemus. » (P. G., 26, 310.)

Idem. (Epist. ad Serapionem nº 31) : « Verbum in Spiritu sibi ipsi corpus formavit et aptavit, res creatas per seipsum Patri conjungere et offerre, omniaque illi reconciliare cupiens. » (P. G., 26, 606.)

Si primarius finis Incarnationis fuisset redemptio S. Dr a reconciliatione incepisset. — Angeli ut homines Patri habent conjungi et offerri.

Idem (In Psal. LXXXVIII, v. 3) : « *Quoniam dixisti : in æternum misericordia ædificabitur.* — Tu, o Domine, dignatus es polliceri in æternum misericordiam magnam et mirabilem assidue ædificandam in cœlis, i. e. præparandam sive excitandam. Nam quod ædificatur, quodammodo excitatur et erigitur. Est autem illud salus et gratia per Christum data. Misericordia autem Dei homines ædificat : veritas autem præparat sanctas Virtutes. Quemadmodum salus Christi misericordia et gratia vocatur, ita quoque vocatur veritas, quæ usque ad cœlos, ait, excitata est per sanguinem sive in terra, sive in cœlo. » (P. G., 27, 383.)

(Per sanguinem dicitur, quia merita Christi in ipsius

morte consummata sunt.) Ps. CXLVI, 3 ; « Supernam Jerusalem ipse (Dominus) ædificat ; et multitudo angelorum dicitur Jerusalem et omnibus manifestum est quod ipse eos ædificat, quemadmodum inquit apostolus (I Pet., II, 5). » — Ergo est Christus fundamentum ædificationis angelorum, i. e. Jerusalem.

S. Basilius Cæsariensis (Homilia in Ps. XLV, n° 4, vers. 5) : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei... Et nunc justus bibit aquam vivam, atque postea copiosius bibet cum civitati Dei adscriptus fuerit... Quis autem fuerit fluvius iste Dei nisi Spiritus sanctus qui dignis illabitur secundum fidem eorum qui in Christum crediderunt ?... Hic itaque fluvius omnem simul Dei civitatem lætificat, nempe cœtum eorum qui suam in cœlis conversationem habent, aut omnem creaturam intellectu præditam a virtutibus cœlestibus usque ad animas humanas civitatem intelligi oportet Spiritus Sancti inundatione lætificatam. » (P. G., 29, 422.)

Sed sanctus D[r] expressis verbis affirmat angelos etiam a Christo sanctificatos fuisse.

Nam in eadem Homil. in Ps. XLV, n° 5, vers. 6 : « Sensibilis quidem sol matutinum tempus apud nos efficit, postquam supra nostrum horizontem eminuerit : matutinum vero, sol justitiæ in anima perficit ortu lucis spiritualis producens diem in eo, qui ipsum suscepit... » (*Ibid* 423.)

Et Homil. in Ps. XXXII, v. 6, n. 4 : « Non enim infantes creati sunt angeli, deinde paulatim exercitio perfecti, sic facti sunt digni, qui spiritum reciperent, sed in prima constitutione et una cum substantiæ suæ quasi mixtione infusam habuere sanctitatem. » (*Ibid.*, 334.)

Idem (Homil. in Ps. XLV, n. 4, v. 5) : Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus : « Quippe carnem dicit deiferam ex conjutncione cum Deo sanctificatam. Ex quo intelligis Tabernaculum Altissimi ipsum Dei adventum qui est per carnem... et quoniam Deus in medio civitatis est, eam stabilitate donabit primo lucis ortu opem ei affe-

rens. Sive igitur illi quæ sursum est Jerusalem (Gal., IV, 26), sive Ecclesiæ quæ infra est, civitatis nomen aptatum fuerit sanctificavit in ea Tabernaculum suum Altissimus. Atque per hoc Tabernaculum, in quo inhabitavit Deus, in medio ipsius fuit, id ei largiens ut non commoveatur. » (Ibid., 422.)

Ergo homines et angeli a Christo receperunt gratiam perseverantiæ.

Idem (Lib. V, ad Eun.) « Itaque statim ad imaginem tuam voluit hominem facere... Imago quidem Dei est Christus, *qui est imago Dei invisibilis* (Col., I, 145): imago vero Filii Spiritus, et qui fiunt hujus participes filii conformes efficiuntur, secundum id quod scriptum est : quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus. » (P. G., 29, 723)

Idem. (Liber de Spir. Sancto, cap. XXIX, nº 73) : « Jam vero et Origenem in multis Psalmorum expositionibus deprehendimus.., virum qui non omnino sanas habet in omnibus de Spiritu opiniones, nihilominus et hìc... pias voces emisit de Spiritu... constat... et ipsum ad hunc loqui modum : « Nos enim qui et illorum verborum modum didicimus nec ignoramus fidei gratiam, gratias agimus Patri, qui nobis suis creaturis præbuit *universorum* Salvatorem ac Dominum nostrum J. Ch. » (P. G., 32, 203.)

S. Cyrillus Hierosolym. (Catech. IX, nº 1) : « Ille autem ait : nemo videbit faciem meam et vivet (Ex. XXXIII, 2º). Propterea sane, quod Divinitatis faciem vivens nullus videre poterat, humanitatis faciem assumpsit, ut hanc videntes viveremus. » (P. G., 33, 638.)

(Catech., X, II, 1) « Ego sum ostium, ait Jesus. Si ostium negaveris præclusa tibi est ad Patrem (ducens) cognitio. Nemo novit Patrem nisi Filius et cui Filius revelaverit... » (P. G., 33, 659.)

(Catech., XII. n. 13) « Credamus in Jesum Christum qui in carnem advenit et inhumanatus est, quandoqui-

dem aliter capere non potuissemus. Cum enim nos, sicut ille est intueri, eoque frui non possemus, factus est id, quod nos sumus, ut sic eo frui digni efficeremur. (1) » — Ergo Adam innocens scientiam salutarem nec gratiam habere potuit nisi per Christum (Ibid., 738.)

(Catech., XV, n. 24) « Revolve animo qui ab Adamo usque in præsentem diem exstiterunt. Ingens quidem multitudo ; adhuc tamen parva : plures namque angeli. Hi sunt nonaginta novem illæ (Matt. XXVIII) cum una sit tantum genus humanum » (Ibid., 903.)

Ergo unum ovile et unus Pastor, unus Salvator.

S. Gregorius Nazianzenus, qui et Theologus nuncupatur (Oratio XLV in S. Pascha) : « Super custodiam meam stabo, inquit admirabundus Habacuc, II, 1. — Ego quoque cum ipso hodie, data mihi per Spiritum Sanctum potestate ac contemplatione, quasi e specula diligenter observabo et mecum ipse considerabo, quidnam mihi spectandum proponetur et quid dicetur. Et steti et speculatus sum ; et ecce vir sedens super nubes, atqui hic per quam sublimis et facies (ejus) angeli, et amictus ejus ut splendor fulguris discurrentis et extulit manum suam ad orientem et clamavit voce magna. Vox ejus ut vox buccinæ et in circuitu ejus quasi multitudo cœlestis exercitûs et dixit: Hodie salus mundo tam visibili quam invisibili.» (P. G., 36, 625.) — Ergo Christus Salvator hominum et angelorum.

(Oratio XIX, n° 16) : « Hos templi illius, præclari, inquam, Ecclesiæ cœtus, lapides, cujus fundamentum et lapis angularis est Christus. » (P. G., 35, 1063.)

(Orat. VIII in laude Gorgonæ, n° 6) : « Frequens ille cœtus, et Ecclesia primitivorum qui in cœlis, descripti sunt. » (P. G., 35, 795.)

(Oratio II Apolog., n° 116) : « Quid longiori oratione

1. « Hanc autem Dei fruitionem, notat Toutté Maurinus, cujus causa Dominum incarnatum ait, intelligit familiarem Dei cum hominibus versantis et eos docentis collocutionem. Alii intelligunt nostrum ad divina provectum. » — Sed hæc eodem recidunt ; nam scientia salutaris elevat hominem ad divina et provectio hominis ad divina fit per gratiam et gloriam

nobis opus est ?... Habes nos, o grex sancte, ac Christo principe pastorum digne.. » — (n° 117) : « Deus autem pacis... exhibeat sibi splendidum gregem et immaculatum ac cœlesti caula dignum in lætantium habitatione, in sanctorum splendore, ut in templo ejus omnes dicamus gloriam, grex simul et Pastores in Christo Jesu Domino nostro, » (P. G., 35, 514)

Ergo Christus est unicus Pastor, est lapis angularis hujus templi cujus lapides sunt et sancti et angeli.

S. Didymus Alexandrinus (In Ps. LXIV, 10) : « *Flumen Dei repletum est aquis.* Dei flumen et fons vitæ Verbum ejus. Apud Deum esse Verbum fontem declarat illud : *quoniam apud te est fons vitæ* (Ps. XXXV, 10) et cum *in ipso inhabitet plenitudo divinitatis* (Coloss., II,9) aquis repletus est, uti de eo dictum est : vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis (Joan., I, 14). His aquis, quibus repletum est flumen, potat omnis creatura mente prædita. » (P. G., 39, 1135.)

(In Ps. XXXV, 10) : « Fons vitæ Salvator, quod nihil ab exterioribus habet, sed præstat se rursum omnibus viventibus non hominibus tantum, sed et superioribus... ideoque fons sapientiæ dicitur. » (P. G, 39, 1335.)

Idem (In Ps. LXXXVIII, 7): « Quando igitur Dominus et Sancti in nubibus erunt, nec tunc ullus eorum, qui in nubibus rapientur similis ei qui veniet super nubes cœli cum virtute multâ et gloria... Sanctorum quilibet, nubes spiritualis spiritualem rorem stillans ; at nemo eorum similis Domino , qui et ipse nubes. Unaquæque enim illorum paucos vix rigat ; hæc autem non omnes tantum homines sed et omnia etiam entia ratione prædita. » (Ibid., 487.)

Idem (Ibid., 12) : « *Tui sunt cœli et tua est terra...* Hocce modo ista explicabis : cœli qui mirabilia ejus confitentur et terra, quæ semen Jesu accipiet, et fructus feret alia centum, alia sexaginta, alia triginta, hæc tua terra. Domini est quoque orbis terrarum, quem fundavit simul

cum plenitudine sua ; Ecclesiam exhibens, in qua habitant animæ veram doctrinam consecutæ et Virtutes sanctæ choro timentium eum admixtæ, in quâ, ait Paulus fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Jesus Christus. » (Ibid., 1490).

Idem (Ps. LXXXVIII, vers. 20): « Et exaltavit eum Pater donans nomen, quod est super omne nomen ei qui dicitur servus, et David, de cujus semine ortus est. Potens et idoneus manu, ut ab eo discant Deo servire omnes ratione præditæ creaturæ, ad quod munus unctus est etiam a Spiritu Sancto Summus Sacerdos et Rex omnium communis. » Ergo scopus Incarnationis fuit ut in Christo omnes creaturæ ratione præditæ (ergo angeli) possent habere exemplar virtutum. (Ibid., 1494.)

Idem (in Ep. I Petri, cap. III 22) : « Sicut per Filium Dei, quod Verbum est seu ratio, essentiam cuncta rationalia, et ut essent, habuerunt, sic per eum omnium eorum salus effecta est... sicut enim homines... subjecti sunt ita superiora et rationalia correcta... ei subjecta sunt completa dispensatione habita pro salute cunctorum. » (P. G., t. 39, 1970.)

S. Epiphanius (Exposit. Fidei cathol., n° 6). « Superest una nimirum sancta et catholica Ecclesia, quæ vere christiana religio dicitur ; quæque jam tum olim, et cum Adamo, imo et ante Adamum ipsum, adeoque ante omnia sæcula cum Christo floruit de Patris ac Filii et Spiritus Sancti voluntate, cui quidem eorum omnium qui in qualibet generatione Deo placuerunt tempore fides est habita, et adveniente in hunc mundum Christo Domino manifeste est patefacta. » (P. G., 42 783). — Ergo angeli in Christum fidem habuerunt ut placerent Deo, et Christus decretus ante omnia.

S. Gregorius Nyssenus (Tract. II in Ps. CVI) : « Tempus fuit quo unus chorus erat natura rationalis in unum chori coriphæum intentus, seseque explicans et revolvens ad illam quæ inde subministrabatur victoriæ per præceptum relatæ harmoniam et consonantiam. Postquam autem

ortus peccati divinum illum chori concentum dissolvit, pedibusque primorum parentum qui inter angelicas potestates degebant, lubrica deceptionis ratione substrata ruinam effecit, unde homo ab illa cum angelis societate avulsus est, casu connexionem dissolvente... » (P. G., 44, 507.) — Ergo unus chori coriphæus erat Christus.

Idem (Vita Moysis. — Exode, XXXIII, 21.) Est locus apud me et stabis supra petram... « Hæc autem gloria multis nuncupatus in scriptura nominibus ; una enim et eadem res, hic quidem lapidis capacitas appellatur, in aliis autem paradisi deliciæ, tabernaculum æternum, Hierusalem superior, Regnum cœlorum... Una ergo illius gloriæ hæc quoque appellatio est Moysi in lapidem ingressus. Nam quoniam Christus lapis est, ut Paulo placet (I Cor., X, 4) omnem autem bonorum spem in Christo firmiter esse credimus, qui bonum aliquod adeptus est, is in Christo est, qui omne bonum continet. » (P. G., 44, 407.)

S. Cyrillus Alexandrinus (Lib IX de Ador.) : « Est enim verax Joannes qui ait : ex plenitudine ejus nos omnes accepimus. Est enim Christi particeps universa non modo visibilis, sed etiam invisibilis creatura. Angeli namque et Archangeli, illæ etiam quæ supra nos sunt naturæ, ipsa denique cherubim non aliter quam per Christum in Sancto Spiritu sancta sunt. Ipse igitur est Altare, ipse Thymiama, summusque Sacerdos; ipse idem Sanguis purgationis peccatorum. » (P. G., 68, 626.)

Idem (Ibid. lib. V, c. 54) : « Per ipsum (Christum) omnis fructificatio spiritualis tum in sanctis Angelis tum in nobis ipsis insita est. » (P. G., 68.) .

Idem (Homil. Ephesi cont. Nest. dicta) : « Per quam (Mariam) dæmones fugantur, per quam tentator diabolus e cœlo decidit. » (Prologus editoris in B. V. Mariam operum div. Bernardini Senensis, div. Anselmi, a Francisco Martello. — (Officia propria Seminarii S. Sulpitii, in festo Vitæ interioris B. V. M., Lect. VI.)

Idem (Thesaurus, assertio XV) : « Cæterum necesse est ut accuratius investigemus quo pacto nobis Sapientia Dei ante sæcula præfundata fuerit. Quemadmodum si quis architectus, domus ædificationem incipiens, cogitans secum, ut par est, ne domus successu temporis aliquod vitium accipiat eorum, quæ domibus accidere solent, firmissimum fundamentum jacit, ac veluti radicem inconcussam operibus excogitat, ut, si vitium faciat, cum principium seu fundamentum salvum sit, aliam rursus domum ei superstruere possit : eadem ratione omnium creator Christum salutis nostræ fundamentum etiam ante mundi creationem jecit, ut cum eam per peccatum labefactari contigerit, iterum in ipso instauremur. Quantum igitur attinet ad consilium et propositum Patris, etiam ante sæcula fundatur Christus ; opus vero ipsum suo tempore effectum est, ita exigente rei necessitate. Instaurati enim sumus in Christo, adventûs sui in carnem tempore, ab æterno salutis nostræ fundamentum ipsum habentes. » (P. G., 75, 295.)

PAULUS, EPISC. EMESINUS (Homilia habita in magnâ Alexandriæ Ecclesiâ, præsente B. Cyrillo, archiep. Alex.) : « Nam hodie puerulus nobis natus est, in quo universa visibilis invisibilisque creatura solidam salutis spem obtinet. »

Post homiliam Pauli, sic B. Cyrillus de Paulo : « En igitur hausimus vobis aquam ex sacro fonte doctoris, inquam, qui ante nos disseruit ; qui Spiritûs sancti lumine illustratus, etc... » (Harduini Conc. Gen., I, p. 1694-1699.)

S. PHILASTER, Episc. Brixiensis. Incarnationem ad Deum revelandum dicit. Nam (De hæres. C. CLV) : « Quod invisibilis et incapabilis sit divinæ qualitatis natura et substantia in lege et prophetis ostenditur, Joanne dicente : Deum nemo vidit unquam... Caro autem quam accepit pro nostra salute, ipse eam formando assumpsit et induit nostræ causa incapacitatis. Ad eum visendum itaque res istæ in unum conjunctæ pro nostra salute, non muta-

tionem Verbi in carnem, sed assumptionem magis rei visibilis declarabant, ut invisibilis per visibilem carnem videri possit, credi atque cognosci et ab humano genere capaciter adorari. »

Considerat humanitatem tribus in ætatibus : 1ª in ætate sub mandato ; 2a sub lege ; 3ª sub gratia. Mandatum tenet ab Adamo innocente ad Moysen. « Lex admonitio est potius propter oblivionem mandati pristini, quod pater noster *Adam in primis a Deo acceperat in Paradiso* (cap. CXXXVI). » — Agitur ergo de Adam innocente : « Mandatum primum quod datum est, quod et spiritale potest intelligi, ut scriptum est, quod et Salvator non solvit sed confirmavit potius... Lex litteræ in medio est posita inter mandatum et gratiam, quæ si intelligatur de Christo, consentanea in multis accipitur; si autem in carnali justificatione qui salvari putaverit, abjicienda decernitur ; cum de Patre et Filio et Spiritu Sancto ante Legem... justi priores illi sub Mandato viventes, ac beatam Trinitatem colentes et suis filiis tradentes et cognatis et sæculis prædicabant, mysteriumque Christi Domini de ipso Mandato antiquissimo nuntiabatur. »

S. Episcopus multis argumentis probat gratiam Adami innocentis e Christo devenire.

Etenim (de Hæresibus, cap. XCVIII) : « Alia est hæresis quæ dicit, inspirationem animam esse, non inspirationem in animam datam fuisse... Cum non attendat, quod inspiratio divini Spiritus est quædam gratia et provectio dignitatis, ut possit homo capax legis existere. Et quod habenti animam Adæ patri nostro data est inspiratio, non anima inspirata in eum sit, ostendit Dominus in Evangelio : sicut ante enim in Adam inspiraverat Ipse, ita postea apostolis habentibus animam, post resurrectionem divini Spiritûs majorem gratiam inspiravit dicens : accipite Spiritum Sanctum ; et non dixit : animam accipite ; sed Spiritum Sanctum. Qui ergo inspiravit facto homini habenti animam Adæ, Ipse et postea inspiravit beatis Apostolis habentibus animam : ut

agnoscatur quod per Ipsum cuncta sint et sine ipso factum nihil sit. Inspiratio itaque, quæ non est anima sed gratia dignitatis, de divino Spiritu a DEO CHRISTO perveniens omnibus : quam habentes et custodientes adjectionem accipiunt gratiarum, ut apostoli et Prophetæ et justi, etc. » (P. L., 12, 1211-1212.)

Et cap. CXVI : « Sunt quidam hæretici, qui patrem nostrum Adam, et Evam matrem nostram æstimant cæcos ante fuisse quam gustarent de arbore, posteaque aperuisse suos oculos ac tunc, quod nudi essent, pervidisse... Est cæcitatis hoc ita intelligere cum modum non intelligant nuditatis ; hancque amissionem immortalitatis in prævaricatione mandati, non corporis docuit nuditatem. Quod nos Apostolus docuit dicens : « Et si induti Christum non nudi inveniamur (II Cor.,V,3),» Et iterum: « Induite Christum Jesum (Rom., XIII, 14) », et quod Dominus in Evangelio increpat dicens illi qui non indumentum nuptiale habuit (Matth., XXII) qui erat vocatus ad nuptias. » (Ibid., 12, 1239-1240.)

PETRUS ALEXANDRINUS (Analecta) : « Ipse est mediator Dei et hominum, resurrectio et salus omnium... auriga Cherubim, Angelorum antesignanus. » (Anal. sac. Spicil. Solesm. par., t. IV, p. 433.)

S. ZENO VERON., *Ep.* (Tract XIX, Lib. II) : « *Faciamus*.. non ergo carnale hoc domicilium imaginem Dei debemus accipere sed cœlestis hominis spiritalem quam in se credentibus Dominus ætherea nativitate renovatis plenitudinis suæ pio de fonte largitur per Dominum Jesum Christum. » — Ergo hæc imago est gratia et hæc 1ª gratia per D. J. Christum (P. L., 11, 456.)

Lib. II, Tract. XIII. (de somnio Jacob) concludit : « Unde dubium non est, unum esse iter aerei culminis angelis lucis et justis hominibus. » (Ibid., 432.)

S. AMBROSIUS (Epist., classis 1ª ; Ep. XXª ad sororem Marcellinam, nº 17) : « ...Et ideo ait ei Deus : *Adam, ubi es ?* hoc est, quid eras ante ? Ubi nunc esse cœpisti ?... Recedere a Domino Deo tuo propter unam

mulierem desiderasti, propterea fugis, quem videre quærebas. Cum una muliere te abscondere maluisti, relinquere speculum mundi, incolatum paradisi, gratiam Christi. » (P. L., 16, 999.)

Idem (Epist. 37) : « In quo (Christo) non solum sanctorum hominum, sed omnium credentium omnium etiam rationabilium virtutum et potestatum connexionem fidei spiritusque accipiendum arbitror. »

Idem (In Ps. CXVIII Exp., vers. 117) : « Omnis enim creatura quæcumque bona habet, accepit a Christo, qui totius est auctor creaturæ. » (P. L, 15, 1421.)

Idem (De virginitate, Lib., cap. XIV, 86-87) : « In hâc civitate vita est, et una est via quæ ducit ad vitam : via autem Christus est... fundamenta autem civitatis, apostoli et lapis angularis est Christus, in quo omnis structura consurgit... Sed tunc nobilitatem istam patriæ possidebitis si Christum intra civitatis hujus septa quæratis, ingressi per fidem actusque pretiosos, fundati super apostolos, versantes inter angelos. » (P. L., 16, 288.) — Ergo Christus via pro angelis et hominibus ; lapis angularis civitatis in qua versantur Angeli et homines.

Idem (De Paradiso lib. unic., cap. V, 29) : « Ergo in medio paradiso et vita erat et causa mortis... Erat autem *vita*, sicut Apostolus dixit, *abscondita cum Christo in Deo.* (Col., III, 3.) Homo ergo sive in umbra vitæ erat..., sive in quodam pignore vitæ erat. » (P. L., 14, 286.) Ergo Christus vita Adam innocentis.

Idem (in Psalm. 39) : « Qui cum Christo est timere non poterit ; Adam cum Christo non fuit quando deceptus est. Nam si cum Christo fuisset, in ejus perceptione permansisset et perire non potuisset (1). » (P. L., 14, 1065.)

1. S. Doctor (ibidem. 19) jam dixerat : « Cecidit caro in paradiso, antequam susciperetur a Christo. » — « Inde, ait P. Hilarius cap. (*Cur Deus homo*, P. III, art. IV, § I,) Thomassinus recte concludit (Theol. Dog. de Inc. Verbi, l. 2, c. 7, 8, 9, 10, 11) quod Verbi Incarnatio non habuisset locum sine lapsu Adami. Etenim, si Adamo perseverante, Verbum incarnaretur, Incarnationis decretum præcessisset culpam, et antea Christus fuisset

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS (in Ephes. cap. I. hom. I, 4) : « Hoc est, recapitulatio et reductio in summam. Est et aliud quod significatur. Quodnam hoc ? Unum omnibus posuit caput, nempe Christum secundum carnem et angelis et hominibus : hoc est, et angelis unum dedit principium et hominibus : his quidem id quod est secundum carnem, illis autem secundum spiritum, Verbum Deum (1). » (P. G., 62, 16.)

Idem (In Eph., c. II, v. 10 ; Hom. VI) : « Deinde dicit (apostolus) : Ipso summo angulari lapide Christo Jesu ; significans Christum omnia continere. Lapis enim angularis et parietes continet et fundamenta. In quo omnis ædificatio. Vide quomodo ipsum conjunxerit, ut qui aliquando quidem totum corpus superne contineat, ac compingat ; aliquando autem inferne totum portet ædificium et sit radix. Illud autem : condidit in semetipso

Adami caput, et gratia Adami fuisset ex Christo. Quomodo igitur sub Christo capite cecidisset Adam et cum Adamo totum genus humanum ? Vel genus humanum non cecidit, Christo capite invincibiliter triumphante, vel ipse Christus in omnibus suis membris, in toto corpore suo est victus ; et quo pacto gratia illius in infirmis nunc vinceret, quæ primo in Adamo forti succubuisset ? Hæc omnia pietati repugnant. »

Negatur quod, Adamo cadente, *Christus in toto suo corpore fuerit victus.* Etenim : « Ipse (Primogenitus omnis creaturæ) est caput Ecclesiæ. (Col. I, 18.) « Ecclesia autem constat Angelis et hominibus. Ait enim Apostolus (Col. II, 10) : « Et estis in illo (Christo) repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis. »

« Quo pacto gratia illius in infirmis nunc vinceret quæ primo in Adamo forti succubuisset ? » Sed quo pacto, Lucifer cecidit dum infimus Angelus salvus factus est ? Quo pacto Judas « suspensus crepuit medius » et latro pœnitens hæc audivit : « Hodie eris mecum in paradiso ? »

Ut autem pateat quam illogica sit conclusio Thomassini, audi S. Doctorem : « Non mansit in Christo, quia non in ejus sermone permansit... Vis scire quia cum Christo Adam non erat ? Dixit ei Dominus : Adam, ubi es ? Qui utique quasi absentem requirit non diceret : Ubi es ? si eum in se manere cognosceret. Sed quis eum absentem fecerit audiamus : Absconderunt se, inquit, ambo a facie Domini. Omnes videt Christus ; sed qui se abscondit, absconditur ; quoniam qui ignorat ignoratur. » Ergo ex S. Doctore agitur de gratia Christi in quà non stetit Adam.

1. *Dices.* Si Dominus angelis dedit Deum Verbum ut principium ergo Christus non est caput angelorum. *Resp.* Hæc conclusio non est ex præmissis « unum omnibus posuit caput nempe *Christum secundum carnem et angelis et hominibus.*» — Nec etiam hæc conclusio concordare potest cum doctrina S. Doctoris multis in locis manifeste tradita.

unum novum hominem ; significat, per seipsum conjunxit utrosque parietes *(angelos ergo et homines)*, et rursum quod in ipso sint creati, et Primogenitus omnis creaturæ, hoc est ipse portat omnia, in quo totum ædificium est constructum. Sive tectum dixeris, sive quidvis aliud, totum portat. Alibi autem ipsum dicit fundamentum ; fundamentum enim aliud, inquit, nemo potest ponere præter id quod est positum, quod est Jesus Christus, *in quo*, inquit, omnis ædificatio constructa. » (P. G., 62.)

Philo Carpathiorum episcopus (In Cant. Cant. Interpretatio, cap. vi ad finem.) *Viderunt eam filiæ Sion*... « Sol, Deus. Luna etiam potest intelligi et humana Christi Jesu caro... in hunc solem divinitatis qui non offendit, aliter de Trinitate sentiens quam revera debeat, neque in lunam per noctem : hoc est in Ecclesiæ unitate per humanitatem Jesu Christi fundata ejusque pretiosissimo sanguine redempta secus non ambulat quam fides orthodoxa decrevit... »

Distinguit ergo inter Ecclesiam humanitate Christi fundatam et sanguine redemptam (P. Lugd., t. v, p. 689.)

S. Asterus Amasenus : « Primus enim revera hic, ut grandis quidam ac durus lapis in mundi hujus cava demissus est... Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, Christus Jesus. » (Hom. viii in SS. Petr. et Paul. P. G., 40, 267.)

S. Methodius Phil. *Episc. Lyciæ et Mart.* (Serm. in Ascens. D. N. J. C.) : « Ita cœlos introiens, sanctos Angelos confirmavit. » (Anal. sac. Spicil. Solesm. parata, tom. iv, p. 449, Paris, 1883.)

Eusebius Pamphil. (Cont. Marcel. lib. I, cap. 1 :) « Ubi mediatorem dixit (Apostolus) non Dei et hominum sed Dei et Angelorum, non illum tunc hominum consignavit sed simpliciter mediatorem... non est ergo Deus mediator. Unus itaque Deus et unus mediator Dei atque hominum et omnium insuper generatorum. » (P. G., 24, 730.)

S. MACARIUS SENIOR (De finibus Incarnationis disserens) : « Atqui subtilius et profundius pro concessa mihi facultate disseram. Quapropter attente audite. Infinitus, inaccessus et increatus Deus corpus assumpsit propter immensam et ineffabilem bonitatem suam, et ut ita loquar, velut imminuit seipsum ab inaccessâ gloriâ, ut uniri posset visibilibus suis creaturis, velut animis sanctorum et angelorum ut possint vitæ divinæ participes fieri. » (P. Lugd., IV, 206.)

THEODORETUS, *Episc. Cyr.* (Interp. Epist. ad Heb. cap. II, 9) : « Eum autem qui paulo magis quam Angeli minoratus est... non natura divinitatis minor angelis fuit, sed perpessione humanitatis... Passionem utique sustinuit pro omnibus ; quæcumque enim creatam habent naturam eo remedio egebant... sola inquit (Paulus) divina natura nullius indigebat ; reliqua autem omnia opus habebant Incarnationis medicamento. » (P. G., 82, 694.)

HESYCHIUS *Presbyter* (in Levit. lib. II, v. 10, 11) : « Sanctificatione enim nostra, superna quoque creatura participata est. » (P. G., 49, 433, sine textu græco.)

S. HIERONYMUS (Com. in Ep. ad Ephes., I, 22) : « Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur, non solum hominum et etiam angelorum cunctarumque virtutum et rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest. » (P. L., 26, 464.)

(Et in cap. II, 10-21) : « Sed estis cives sanctorum... superædificati super fundamentum, etc. ; sic : potest autem omnis ædificatio super fundamentum apostolorum prophetarumque constructa non solum nos, sed et cœlestes significare virtutes ut universi pariter fiant habitaculum Dei in spiritu... *summus autem angularis lapis*, qui populum utrumque contineat (sive juxta secundam interpretationem, cœlestia jungat atque terrena) Christus est Dominus noster, lapis præcisus de monte sine manibus. » (P. L., 26, 476.)

(I. 23) : « Unde et crux Salvatoris non solum ea, quæ in terra, sed ea quæ in cœlis erant purgasse perhibetur. » (P. L., 26, 463.)

(Ibid., II) : « *Pacem faciens per sanguinem crucis*... Et hanc totam intelligentiam ad angelos virtutesque cœlestes et ad animas temperabit humanas... Atque ita fieri, ut crux Domini non solum terræ sed et cœ'o profuerit, non solum hominibus sed et angelis, et omnis creatura Domini sui cruore purgata sit. » (P. L., 26, 474.)

Ut autem mens Doctoris aperiatur appendenda sunt hæc ipsius verba : « In cruce itaque Domini et in passione ejus recapitulata sunt omnia, id est universa in hâc ανακεφαλαιωσι supputata. Quod ut manifestius fiat quotidianæ consuetudinis aliquod ponamus exemplum. Verbi causa : viginti denarios erogavi ; rursum quinque et alios quindecim triginta quoque, et ter decies per diversa tempora dedi. Hæc si in unum voluero supputare, centenarii mihi numeri summa succrescit, et in uno numero habebo omnia quæ ante descripsi. Sic itaque universa mysteria et omnis dispensatio vetustatis non solum quæ in terris sed etiam quæ in cœlis gesta est, in Christi passione completur. Cum enim semel mihi Christus passus fuerit et sepultus et resurrexerit et ad Patrem victor ascenderit, non necesse habeo veterem numerum, quia in uno omnia teneo. Diligenter attendite, quod non solum omnes historiæ Scripturarum quas in terra gestas Spiritus Sanctus commemorat, sed etiam in cœlestibus, quæ nobis occultæ sunt in Christo recapitulata passione teneantur. »

(In Ephes. lib. II, c. IV) : « Neque enim scire possumus quomodo et Angelis et his qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, et tamen quin profuerit nescire non possumus... sciendum quod antequam Christus descenderet et ascenderet, vacua fuerint omnia et plenitudine illius indiguerint. » (P. L., 26, 49.)

Idem (Exp. in Zachar. IV, 8, 10) : « Lætabuntur et videbunt auxilium Salvatoris... Sicut enim stannum ab igne alia metalla defendit, et quum sit naturâ æs, ferrum-

que durissimum, si absque stanno fuerit, uritur et crematur, sic omnis angelorum et hominum fortitudo, si non habuerit auxilium Salvatoris imbecilla probatur et fragilis. » (P. L., 25, 1445.)

S. AUGUSTINUS (De Gen. ad litt., lib. V, cap. XIX, 38) : « Sic ergo fuit hoc absconditum a sæculis in Deo (mysterium Incarnationis) ut tamen innotesceret principibus et potestatibus... Illis ergo a sæculis innotuit, quia omnis creatura non ante sæcula sed a sæculis. » Jam cap. XVII dixerat : « A sæculo ea dicimus ex quo cœpit sæculum, in sæculo autem quæ nascuntur in mundo. » (P. L., 34, 335 et 333.) — Ergo sæculum exortum est ab angelis et mysterium illis innotuit a sæculis, i. e. ex primo instanti existentiæ.

Idem (Lib. imperfectus de Gen. ad. litt., cap. III) : « Ipsa etiam prima creatura intellectualis potest dici principium in quibus caput est, quæ fecit Deus. Cum enim recte appelletur principium caput... virum dixit (Apostolus) caput mulieris et caput viri Christum et caput Christi Deum, ita Creatori creatura subnectitur. » Ergo etiam Adam innocens. (P. L, 34, 222.)

Idem (Conc. III in Psalm. 36) : « Corpus capitis Christi nos sumus. Numquid soli nos? Omnes justi... Adjunctis etiam legionibus et exercitibus Angelorum. » (P. L., 36, 385.)

Idem (Civit. Dei lib. X, cap. VI) : « Hanc (formam servi) obtulit (Christus), in hâc oblatus est : quia secundum hanc mediator est, in hâc sacerdos, in hâc sacrificium est...

Ibid. (Cap. VII) : « Nolunt (Angeli) nos sibi sacrificare, sed ei, cujus et ipsi nobiscum sacrificium se esse noverunt. Cum ipsis enim sumus una civitas Dei. »

Et cap. XXXI : « Quapropter... nec jubent (Angeli) ut sacrificium faciamus nisi ei tantummodo cujus et nos cum illis, ut sæpe dixi et dicendum est, sacrificium esse debemus, per eum sacerdotem offerendi, qui in homine quem suscipit secundum quem et sacerdos esse voluit,

etiam usque ad mortem sacrificium pro nobis dignatus est fieri. » (P. L., 41, 284-312.)

Idem (Sup. Joannem Tract. 66, 402.) : « Per quid autem est caput Ecclesiæ nisi per hominem, quod Verbum caro factum est ? id est, Dei Patris Unigenitus Deus homo factus est. » (P. L., 34, 1811.)

In Epist. I, Joan. Tr. 1, n° 2 dicit : « *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Illi carni adjungitur Ecclesia et fit Christus totus caput et corpus. » (Ibid., 1979.)

Cf. de Catech. rudit., C. 3, n° 6 et Cap. 19, n° 33.

Idem (De consensu Evangelistarum, I, cap. 35) : « Quapropter cum sit ipse Christus Sapientia Dei, per quem creata sunt omnia, cumque nullæ mentes rationabiles sive angelorum, sive hominum nisi participatione ipsius sapientes fiant... consultum est divina providentia... ut eadem ipsa Dei Sapientia ad unitatem personæ suæ homine assumpto... fieret et deorsum hominibus exemplo redeundi, et eis, qui sursum sunt, angelis exemplum manendi. » (P. L., 34, 1069.)

Idem « Res ipsa quæ nunc christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera religio, quæ jam erat, cœpit appellari christiana. » (Retr., lib. I, cap. XIII, 3) (P. L., 32, 603.)

Idem (in Joan. Tract XLII, c. VIII, 11) : « *Et in veritate non stetit.* Ergo in veritate fuit (diabolus) sed non stando cecidit... si ergo iste in veritate stetisset, in Christo stetisset. » (P. L., 35, 1704.)

Nota bene. Ut ratio horum S. Augustini et aliorum Patrum verborum innotescat, audi :

S. Joan. (cap. VIII) : « Quæritis me interficere. » Vers. 40, « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere ; ille homicida erat ab initio. » Vers. 44.

I Joan., III, 8 : « Qui facit peccatum ex diabolo est : quoniam ab initio diabolus peccat ». — Unde concludere licet diaboli peccatum fuisse Christum interficiendi desi-

derium : « Desideria patris vestri vultis facere. — Quæritis me interficere. » — Adverte etiam hæc verba : « Ab *initio* diabolus peccat. — Ille homicida erat ab initio. »

Vide superius S. Cyrillum Alex. p. 141.

S. BEDA (In Joan. Evang. Exp., cap. VIII) : « Si ergo iste (diabolus) in veritate stetisset, in Christo stetisset. » (P. L., 92, 735.)

Idem (In Ev. sec. Luc., XV, I. — Homil.) : « Ipse designatur per mulierem qui et per pastorem Christus scilicet qui est Dei virtus et Dei sapientia. Mulier decem drachmas habuit quando Angelum et hominem ad se laudandum creavit. » (Spicil. liber., p. 98.)

WALAFRIDUS STRABUS, *Fuldens. Mon.* (Theol. Glos. ord. in Joan. VIII.) *Idem* (P. L., 140, 393.)

RUPERTUS *Ab.* (Com. in Joan., lib. VIII) : « Ille homicida erat... Proinde quoniam et de sui ipsius interfectione nunc loquitur Filius Dei, præmittens : « desideria patris vestri vultis facere », proprietate vocis nunc interim postposita, nomine homicidæ antiquum diaboli odium intelligere nihil vetat, quo et ante hominem conditum se intorsit adversus eumdem Filium Dei, quem nunc hominem factum desiderabat et festinabat interfici. » (P. L., 169, 570.)

Ut autem claro clarùs Augustini mens pateat exponendum est ipsum primorum Patrum vestigia prementem, docuisse quod incarnatio necessaria fuerit ut homo visionem beatificam assequi posset. Nam (Ex. in Ps. CIX, n° 12) . « Hoc credimus de forma servi quod possumus capere dum adhuc sumus servi. Hoc est enim illud lac parvulorum quod temperavit, panem trajiciens per carnem. Nam ille panis angelorum in principio erat Verbum. Ut tamen panem angelorum manducaret homo, creator angelorum factus est homo. Ita nobis Verbum incarnatum factum est receptibile, quod recipere non valeremus, si Filius æqualis Deo non se exinaniret formam servi

accipiens in similitudinem hominum factus. » (P. L., 37, 1455).

(Sermo. CXVIII, nº 15-16 de Verb. Evang. Joan): « Verbum factum est quod nos sumus, ut attingere possimus illud quod non sumus... sed ut perveniamus si nondum possumus videre Verbum Deum, audiamus Verbum carnem... ideo enim venit, ideo suscepit infirmitatem nostram ut possis firmam locutionem capere Dei portantis infirmitatem tuam. Et vere dictum est lac. Lac enim dat parvulis, ut cibum sapientiæ det majoribus. Lactare patienter, ut avide pascaris. Quomodo enim fit etiam lac, quo lactantur infantes? Nonne esca erat in mensâ? Sed invalidus est infans ad comedendam escam, quæ in mensa est. Quid facit mater? Incarnat escam, et conficit lac de ipsa, conficit nobis quod capere possimus. Sic Verbum caro factum est, ut lacte parvuli nutriremur, qui ad cibum quidem eramus infantes. »

(Tract. I in Joan. nº 13): « Ecce quid fieri voluit propter te illud quod in principio erat Verbum. Quare hoc factum est propter te? Ut sugeres, qui manducare non poteras. » (P. L., 35, 1385.)

(Tract. XIII in Joan. nº 4): « Per Christum, ad Christum venis. Quomodo per Christum ad Christum? Per Christum hominem ad Christum Deum. Per Verbum carnem factum, ad Verbum quod in principio erat Deus apud Deum; ab eo quod manducavit homo ad illud quod quotidie manducant angeli. Sic enim scriptum est: Panem cœli dedit eis, Panem angelorum manducavit homo. Quis est iste panis angelorum? In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Quomodo panem angelorum manducavit homo? Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis. » (Ibid. 1494.)

Panis, inquit Risi, est visio intuitiva; lac vero cognitio supernaturalis Dei proportionata statui hominis viatoris, et illum præparans ad manducandum panem, id est, ad visionem intuitivam. Nam « invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (Rom. I 20). » Ver-

bum assumendo naturam creatam sensibilem factum est objectum proportionatum intellectui humano. Et ideo panis angelorum factus est lac hominis tot modis quot sunt media salutis — et hæc media instituta erant ante peccatum.

Sed, objiciunt quidam Theologi, Adam innocens non erat vere prædestinatus ad visionem beatificam. Quod est contra sententiam S. Augustini. Nam (Lib. XX de civit. Dei, c. I, nº 7) : « Etsi nemo peccasset, non sine bono rectoque judicio universalem creaturam perseverantissime sibi suo cohærentem in æterna beatitudine retineret. » (P. L., 41, 659.)

Quod dicit Augustinus de impotentia hominis ad manducandum panem angelorum dicendum etiam de angelis. Nulla enim creatura apta est, naturâ suâ, videre Deum. Si ergo oportebat quod Verbum fieret homo ut ab homine videri posset Deus, ita et oportuisset quod Verbum fieret angelus ut ab angelis videri posset. Verbum, angelus factum, fuisset lac angelorum viatorum. Ideo Verbum incarnatum fuit ipsorum lac priusquam potuissent vesci pane i. e. visione intuitiva.

Hæc est enim semper una et eadem sententia Augustini et quum dicit angelos e Christo accepisse gratiam, et unam esse civitatem angelis et hominibus constantem, unam domum, unum templum.

S. NICETAS, *Episc. Aquileiensis* (Explan. Symb. X) : « Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam... quæ secundum Aug. etiam Angelos complectitur... Ecclesia quid aliud quam sanctorum omnium congregatio ?... Adhuc amplius dico, etiam Angeli, virtutes... in hac confœderantur Ecclesia. » (P. L., 52, 871.)

S. PROCLUS CONSTANT, *Episc.* (Oratio VII in S. Theophania) : « Quî ferret terra cernens eum qui sanctificat angelos, a peccatore baptizari ? » (Sic Joan. B. ad Christum.) (P. G., 65, 762.)

ZACHŒUS CHRISTIANUS (Consult. lib. I, cap. XXXIV) ; « Quare Deus non Angelum misit qui... hominem resti-

tueret ?... Prima est causa qua Christus Dei Filius veniendi ad terras habuit voluntatem, ut vel periturum hominem perire non sineret, vel perditum repararet. » (P. L., t. 20, p. 1103.)

S. ISAACUS SYRUS, *Ninives Episc.* (Lib. de Contemptu mundi, cap. XLVIII, de ostio secretorum) : « Lignum vitæ est charitas, ex qua excedit Adam... quando invenimus charitatem, pane cœlesti vescimur... cœlestis panis est Christus qui de cœlo..; hic est cibus Angelorum..; beatus qui manducat de pane charitatis qui est Christus.» — Ergo *panis* Angelorum et Adami innocentis et hominis redempti est idem Christus. (P. G., 86, 874.)

AMMONIUS ALEX. (in Joan. cap. III, V. 29) : « Christus per baptisma regeneratam sibi desponsat Ecclesiam...quæ et ipsa uxor est Christi quoad probas actiones ; parit non quidem a semetipsa sed ex Christi inspiratione... Omnis itaque natura prædita ratione sive Angelorum sive hominum sponsa est. » (P. G., 85, 1414.) — Ergo Angeli ex Christi inspiratione probas actiones pepererunt.

S. PAULINUS NOLANUS (Epist. XXVIII, 2) : « Cujus quidem civitatis (Hierusalem cœlestis) non solum fundamentum sed et turris et porta factus est Christus. Fundamentum enim, inquit, nemo potest aliud ponere quam eum, qui est nobis turris fortitudinis a facie inimici (I cor. III, 11 ; Ps. LX, 4) qui dicit : ego sum janua ovium (J, X, 7) : nemo potest venire ad Patrem nisi per me (J, XIV, 6). » (P. L., 61, 307.) — Ergo Christus est prior decretus ut fundamentum ; mediator est gratiæ pro angelis quia solus porta per quam ingreditur Hierusalem cœlestem cujus cives sunt angeli.

Idem (Epist. XXIV, 9) : « Verbum idcirco descendit ad nos ut ad illum ascenderemus..., ut vere ad originalem gloriam reformemur, si divinam similitudinem Christi imitatione capiamus. » (Ibid., 291.)

(Epist. XXV, 21) : « Ad hoc enim venit ut vitam suam in formulam et speculum vitæ proponeret... ut vere ad

primordialem dignitatem, hoc est Dei similitudinem reformemur. » (P. L., 61.)

Non credendum ex his duobus textibus Incarnationem factam fuisse propter Redemptionem tantum. Nam Redemptio nobis præbuit media ut « ad originalem gloriam, ad primordialem dignitatem reformari » possimus. — Sed « originalis gloria », « primordialis dignitas » sunt ascensio ad Deum, iter ad Patrem et per Christum solum, ait Paulinus, ingreditur Hierusalem cœlestem, i. e. itur ad Patrem, ascenditur ad Deum gratia in terris, et gloria in cœlis.

S. Leo Magnus (Sermo XXIII al. XXII, in nat. Domini III, 4) : « Cessent igitur illorum quærelæ, qui impio murmure divinis dispensationibus obloquentes de Dominicæ nativitatis tarditate causantur, tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima ætate sit gestum. Verbi enim Incarnatio hoc contulit faciendum, quod factum ; et sacramentum salutis humanæ, nulla unquam antiquitate cessavit. Quod prædicaverunt apostoli, hoc nuntiaverunt Prophetæ ; nec sero est impletum, quod semper est creditum...non itaque novo consilio Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit ; sed a constitutione mundi unam eamdemque omnibus causam salutis instituit. Gratia enim Dei, qua semper est universitas justificata sanctorum, aucta est Christo nascente non cœpta ; et hoc magnæ pietatis sacramentum. Quo totus mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum. » (P. Lugdun p. 16, opera S. Leonis.)

Ergo Incarnatio fuit unica salutis causa et angelis et Adam innocenti. Adam enim Incarnationem prophetisavit ex S. Leone. Ergo « non minus adeptus est qui illud credidit promissum quam qui suscepit donatum».

Et Epist. 59 ad clerum et plebem Constantinop. c. 4 : « Et exponens (apostolus) quid per hoc (Propter hoc relinquet homo, etc.) significaretur adjecit : Sacra-

mentum hoc magnum est : ego dico in Christo et in Ecclesia (Eph. V. 31). Ab ipso ergo principio generis humani omnibus hominibus Christus est denuntiatus in carne venturus. »

S. Maximus Taurinensis (Serm. XXXIV de Pasch. Solemnit. VI) : « Cur autem ab ipsius mundi nascentis exordio, atque alias in veteri lege, pluries id Deus præfiguratum voluerit, (Dominicæ resurrectionis sacramentum), nulla alia causa fuit, nisi ut ostenderet quod per singulas mundi labentis ætates omnium spes sanctorum ad illum continuo solum tenderet... In ipso mundi nascentis exordio cum mater illa omnium viventium Eva de dormientis Adæ costa producta est, mater universorum credentium Ecclesia ex latere Christi in cruce morientis demonstratur nascitura. In Adæ autem evigilantis actu, Domini nostri a morte figurabatur resurrectio. » (P. L., 57, 601.).

Ergo primi parentes in statu innocentiæ *sperabant* in Christo ; objectum autem spei erant et gratia et gloria.

Procopius Gazæus (Com. in Exodum XXVII) : « Videre itaque est Christum ut nostra peccata diluat et aboleat, humectantem et irrigantem proprio cruore crucem ; quod quidem significatur per id, quod cornua aræ cruentanda præcipiuntur, Christum solum vere cognominaveris sancta sanctorum. Nam ex hoc sanctificationem capit omnis creatura, quæ in cœlo quæque in terris est. Si quidem Joannes : « Ex plenitudine, etc. » (P. G., 87, 642).

S. P. N. Anastasius Sinaita. (Anagog. contempl. in Hexam., lib. I) : « Apostolus autem dicens omnia et visibilia et invisibilia in Christo esse creata, aperte.. docet quod ipsa etiam invisibilis creatura prius... facta fuit in Christo. » (P. G., 45, 1212.)

S. Fulgentius, *Episc.* (ad Trasim. cap. III, lib. II) : « Non alia (gratia) stantem Angelum a ruina potuit custodire nisi illa quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata. » (P. L. 65, 240.)

Idem. (Epist. XVII, n. 65) : « Si eum (diabolum) Chris-

tus Dominus non creasset, ejus damnabilis a Christo discessio non fuisset. » (P. L., 65, 491.)

Andreas Cretensis (In Dormit. S. Mariæ, III) : « Per eam (Mariam) nobis (cantabant Angeli) obstricta sunt salutis pignora : ac quidem ut ita miranda ad humanum usque modum processerit, solveritque commune debitum, naturæ proprium fuit ; quod autem illi vitæ propria, non eumdem omnino atque in nobis modum habuerint, proprium fuit propinquitati ad Deum. » (P. G., 97, 1094.)

S. Ephrem (Precatio IV ad Mariam) : « Post mediatorem mediatrix totius mundi... Angelorum splendor. » (Si Angelorum splendor in gloria debuit eorum esse in via adjutrix.) (Caillau, t. 8, p. 261.)

Idem (ibidem): « Per te, o Maria, omnis gloria, honor et sanctitas ab ipso primo Adam. » (p. 264.) Ergo est sanctitas Adami innocentis.

Idem (Precationes ad Deip. Precatio V, n. 3) : « Gaude omnium bonorum vita, gaude omnium gratiarum causa. » (Edit. Caillau, t. 8, p. 268.)

S. Gregorius Magnus Doctor : (Hom. IV in Ezechiel, n° 1 : « Electi omnes membra sunt Redemptoris nostri : ipse autem Redemptor noster est caput omnium electorum. » (P. L., 76, 815). Ergo hoc dicitur etiam de angelis qui sunt electi.

Idem (Hom. VIII, vers. 27, c. 1) : *Et vidi quasi speciem electri*, etc. Quid est quod mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus a lumbis et desuper aspectum ignis intrinsecus per circuitum habere describitur, et a lumbis, et deorsum speciem ignis splendentis in circuitu ? nisi quod ante Incarnationem Unigeniti Redemptoris nostri sola intra se Judæa ardorem amoris ejus habuit ; post Incarnationem vero illius in circuitu ejus ignis resplenduit... Quod tamen intelligi et aliter potest. Quia Redemptor noster Deus Dominus Jesus Christus per humanitatem suam hominibus innotuit qui per divinitatem notus angelis et Incarnationem fecit. Nobis ergo a lumbis

inferius resplendet in circuitu, cujus ignis intrinsecus a lumbis superius ardet in cœlo ; quia illi cœlestes spiritus eum in divinitate sua conspiciunt et amoris ejus ignibus accenduntur. Nos vero qui hunc ex assumpta humanitate diligimus, adhuc in hâc corruptibili vita positi splendorem ignis illius foris habemus.

« Et quia ejus membra sunt electi angeli in cœlo, ejus membra sunt conversi homines in terra, unus homo est, qui et super lumbos ardet intrinsecus et sub lumbis inferius ignis sui splendorem in circuitu emittit, quia et Angelos ad amorem suum per divinitatem tenuit, et homines ad sancti ardoris sui desiderium ex humanitate revocavit. » (P. L., 76, 865.)

Agitur ergo de angelis in via, quibus Jesus Christus innotuit per Verbum ante Incarnationem... i. e. decretum Incarnationis revelatum fuit. In via debebant esse ut possent *teneri ad amorem* ut homines *revocati* ad desiderium sancti ardoris.

(Homil. II in cap. XL Ezech. 5) : *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique :* « Plerumque in sacro eloquio ex protectionis sui munimine murus dici ipse Incarnatus Dominus solet... et notandum, quod iste murus spiritualis ædificio esse *forinsecus* dicitur. Murus quippe qui ad munitionem ædificii construitur non interius sed exterius poni solet. Quid ergo necessarium fuit, ut diceretur forinsecus, cum numquam poni murus intrinsecus soleat ? Quia necesse est, ut exterius positus, ea quæ intus sunt defendat. Sed in hoc verbo, quid aperte nisi ipsa dominica Incarnatio demonstratur ? Murus enim nobis intus est Dominus ; murus vero foris est Deus homo. Unde ei per quemdam prophetam dicitur : existi in salutem populi tui, ut salvos facias christos tuos (Habac. III, 13). Iste enim murus, Incarnatus videlicet Dominus murus nobis non esset si forinsecus non fuisset ; quia intus nos non protegeret si exterius non appareret. Sed neque hoc negligenter prætereundum est, quod idem murus positus dicitur in circuitu domûs undique. Domus quippe

Dei non solum Angeli sancti... sed etiam nos sumus, quorum mentes inhabitare dignatur. Et murus iste undique in circuitu domus est, quia Unigenitus Patris qui sursum est firmitas angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominum. Illis fortitudo ne cadant, nobis adjutorium ut surgamus post casum. » (P. L., 76, 951.)

Lib. I, c. III, nº 6 (in I Reg., II, 2) : « *Neque enim est alius extra te*, subauditur, *sanctus*. Extra eum sanctus esset aliquis si absque dono Unigeniti sanctificationis donum habere potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat?... Non est ergo sanctus ut est Dominus : quia quisquis potuit sanctus existere, ejus accepit munere ut sanctus esse potuisset...

» Potest etiam hoc sine aliqua subauditione intelligi. Cum ergo dicit : *nec est alius extra te* : quid aliud in Redemptore quam divinæ essentiæ incommutabilitas designatur ?... Potest hoc et ad statum justitiæ pertinere : quia electorum esse, est in Deo per justitiam manere. Et quia Unigenitus Dei Deus est, extra eum non aliquis ; quia nemo electorum nisi in ipso est. Quod si refertur ad divinitatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis ejus evacuet : quia justus esse non potest qui fidem non habet divinæ Incarnationis. » (P. L., 79, 66.)

Barhadbsabba Arbaya, Évêque de Halwan en Mésopotamie (560 628). Passus est persecutionem pro fide catholica. Secutus sententiam Patrum antiquorum necessariam dicit incarnationem ut Deum cognoscere possimus. Sic enim in suo : *La cause de la fondation des écoles*.

« Il (Dieu) se connaissait lui-même de toute éternité, et il était connu par lui-même, en lui-même et de lui-même comme maintenant. Mais il est impossible aux êtres raisonnables de dire et même de penser de quelle manière Dieu se connaissait. « *Nul ne connaît le Père que le Fils* »... C'est la profondeur des profondeurs.

insondable et introuvable. La pensée n'a pas de sentier pour marcher jusqu'à cette Majesté divine qui est au-dessus des sentiers et des chemins praticables de la pensée, ce coursier agile de l'âme. La pensée n'ayant pas de sentier pour y marcher, la parole elle-même, coursier rapide à quatre pieds, faiblit et se voit obligée d'interrompre sa marche, car l'acuité de la pensée, qui est le guide et la maîtresse de la parole, se trouvant éblouie et aveuglée, on devient incapable de contempler cette lumière majestueuse, à moins que Notre Seigneur, par sa bonté, ne nous fasse la grâce de nous révéler et de nous faire connaître sa nature, ne fût-ce qu'élémentairement... Notre Seigneur a dit : « *Nul ne connaît le Père sinon le Fils et celui à qui le Fils aura voulu le faire connaître. J'ai manifesté votre nom aux hommes.* » (Patrologie orientale, T. IV, 336, Paris, 1908).

GUIWARDIS, Patriarcha orientalis (Epist. ad Mîna) : « L'univers entier, mais surtout notre race humaine, avait grand besoin de l'apparition du Rédempteur pour nous libérer de la dette du péché, nous racheter de la servitude... ce qui vaut mieux que tout cela, pour donner dans sa bonté à notre race humaine et aux phalanges angéliques la vie incorruptible, l'intelligence et la stabilité éternelle avec la perfection de la connaissance de sa divinité, la perpétuité et la constance de la glorification de sa majesté. » (Synodes nestoriens publiés par J. B. Chabot dans notices et extraits des manuscrits de la Bibliothèque nationale, t. XXXVII, page 499).

ELIAS CRETENSIS (Com. Or. I, S. Gregorii Naz., n° 269.) « Christus caput hominum et angelorum, visibilium et invisibilium præclarum Ecclesiæ eorum, qui in ipsum crediderunt, corpus continens. Hi omnes sunt membra Christi, fidelium cœtus, qui a Christo in unum corpus compingitur et conciliatur juxta omnem connexionem in spiritu. » (P. G. 36).

S. ISIDORUS HISPAL. EPISC. (Lib. II, Differ. VI). « Quid ergo differt inter id quod Christus, nunc unigenitus,

nunc primogenitus esse prædicatur ? Horum primum ad Patrem pertinet, alterum ad nos... Est ergo unigenitus in substantiæ Deitatis ; Primogenitus in susceptione humanitatis. Primogenitus in gratia, unigenitus in natura. » (P. L. 83, 72.) Ergo Angeli et Adam in gratia *post* geniti.

Idem. (Lib. VII, Etymolog. c. II, n° 13.) « Unigenitus autem vocatur secundum divinitatis excellentiam, quia sine fratribus, Primogenitus secundum susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus est, quibus esset primogenitus. » (P. L. 82, 265.)

Ergo gratia Adam innocentis e Verbo Incarnato non e Verbo Creatore.

MISSALE MIXTUM SEC. REG. B. ISIDORI (in IV° Dominico Paschæ Inlatio) : « Dignum et justum est nos tibi gratias referre qui magno pietatis tuæ... mysterio manifestatus in carne, justificatus in spiritu, ostensus in Angelis. » (P. L., t. 86.)

BREVIARIUM GOTHICUM (in die Nat. Dom. ad Capit. in laud.) : « Requies Angelorum omniumque sanctorum Domine Jesu Christe. » (P. L., t. 86, p. 123.)

Ibidem (Hymnus ad II Vesp.) :

Christe, lumen perpetuum
Astrorum, fulgor siderum,
Noctem nostram illumina,
Conserva pura pectora.

(P. L., 86, 287).

S. MAXIMUS THEOLOG. GRAECUS (Ad Thal. quaest. LXIII, scholium 36) : « Incarnatio ad salutem naturæ præstandam facta est ; passiones vero, atque mors ad eos redimendos, quos propter peccatum mortis reatus obstringebat » (P. G. 90, 691).

« Forte præsens scripturæ locus... per duas olivas... providentiam significat ac judicium.. providentiam quidem... in Sermonis cum carne, rationalium more animata, unionis in persona nullis verbis explicabili modo, sola fide percipimus ; judicium vero, quod a sinistris constitu-

tum sit, in vivificarum earum passionum mysterio, quas Deus incarnatus nostri causâ sustinuit, arcana ratione intelligimus. Alterum quidem, ut bonus, primario per se factus est, ut qui omnium natura salvator existat ; alterum vero consequenti ratione sponte sustinuit uti Redemptor. » (P. G. 90, 682.)

Ibid. (q. LX) : « Prior enim sæculis concepta est unio (hypostatica)... Igitur Christus præcognitus est non quod ipse per se erat per naturam, sed quod postea nostri causâ factus apparuit secundum dispensationem. Decebat enim revera, ut qui per naturam essentiæ rerum Conditor esset, eorum, qui facti essent ac conditi, deificationis per gratiam auctor ipse existeret, ut qui existentiam dedisset sempiternæ quoque felicitatis largitor eluceret. » (P. G. 90, 623.)

Ergo S. Maximus explicitè indicat duplicem finem Incarnationis, primarium scilicet ad salutem naturæ præstandam seu ut Christus « eorum qui facti sunt ac conditi, deificationis per gratiam auctor ipse existeret » ; et secundarium « ad eos redimendos quos propter peccatum mortis reatus obstringebat » « vivificis passionibus » quas « consequenti ratione sponte sustinuit uti Redemptor. »

Implicitè affirmat S. Theologus a Christo Angelos accepisse gratiam.

S. Beda (Lib. de templo Salomonis C. 1). « Domus Dei quam ædificavit Rex Salomon in figuram facta est sanctæ universalis Ecclesiæ quæ a primo electo usque ad ultimum, qui in fine mundi nasciturus est quotidie per gratiam Regis pacifici, sui videlicet Redemptoris, ædificatur. Quæ partim peregrinatur adhuc ab illo in terris, partim, evasis peregrinandi ærumnis cum illo jam regnat in cœlis, ubi, peracto ultimo judicio, tota est regnatura cum ipso. Ad domum hanc pertinent electi angeli, quorum nobis similitudo in futura vita promittitur. Ad hanc pertinet ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.. Constat ubique quia figuram omnium nostrum,

et ipsius Domini videlicet, et membrorum ejus, quæ nos sumus, templum illud materiale tenuit. Sed ipsius tanquam lapidis angularis singulariter electi et pretiosi in fundamento fundati; nostri autem tamquam lapidum vivorum superædificatorum super fundamentum apostolorum et Prophetarum, hoc est super ipsum Dominum ». (P. L., 91, 737.)

Idem (Ibid., cap. XIII) : « Virtutes angelicæ, gratia Spiritus Sancti, ne unquam ab amore Dei arescant unctæ sunt. Ipsi enim (Cherubim) una nobiscum sunt participes illius, de quo in laude Christi propheta : unxit te Deus, Ps. XLIV, 7... Decem autem cubitorum sunt altitudinis, quia denario vitæ æternæ fruuntur habentes inviolatam in se sui Redemptoris imaginem, servatâ in perpetuum sanctitate, et justitia, et veritate, quam a prima conditione perceperunt. » (Ibid., 764.)

Idem (Lib. I de Tabernaculo et Vasis ejus, cap. V) : « Quod videlicet Propitiatorium, non aliud, quam Dominum Salvatorem, sed specialius in eo viscera pietatis designat... Expandunt ergo alas Cherubim... ac velut Propitiatorium continentes obumbrant, id est honorant velando : quia totum, quem habent statum perpetuæ felicitatis ejus gratiæ deputant, a quo, ut nihil mali velle possent, acceperunt. » (Ibid., 404.)

S. Hildefonsus Tolet. (Præfatio in lib. de Cognit. Baptismi) : « Quia enim Dei Patris Verbum, per quop angeli et omnia facta sunt, caro factum, est in hominibus caput Ecclesiæ, qui erat initium angelicæ creaturæ, ac proinde sicut Deus et homo in unitate personæ caput est unus Christus, ita illi esset ex angelis et hominibus Ecclesiæ unum corpus. Unde hujus Ecclesiæ gloriosa pietas et gloriatio pia gaudet in consistentibus angelis, anhelat in hominibus provehendis.. salus illis et æternitas istis reparatio est. » (P. L., 96, 111.)

Ergo Angeli salutem acceperunt e Christo. Hìc reparatio lato sensu sumenda est ut dictum est de *Redemptione* angelorum...

Idem (Lib. de Virgin. perp. S. Mariæ, cap. XII) (1). « Procido coram te, sola opus Incarnationis Dei mei. »

Ergo homines opus redemptionis?

Idem. (De partu Virg. opusculum) : « Ut per eum (Christum) omnes, qui ex gratia colliguntur, illi solummodo coadunati in cœlestibus habeantur. » (Ibid. 219.)

B. ALCUINUS (Expos., Ps. CXXXI, 13) : « Sion universalis est Ecclesia, in angelis beata, in habitatoribus terræ peregrina, quæ et ipsa ventura est beatitudinis angelicæ. Et hæc est habitatio Dei in æternum. Quos elegit in Christo Deus, præelegit, id est prædestinavit ante constitutionem sæculi, juxta apostolum : quia quos vocavit, hos et prædestinavit. » (Rom., VIII, 30. — P. L., 100, 635.)

Ergo in Christo Deus prædestinavit Ecclesiam universalem, ergo Angelos.

Idem (Lib. IV in Joan., c. XXII) recitat verba Augustini de casu diaboli : « Si in veritate stetisset, in Christo stetisset. » (Ibid., 872.)

SEDULIUS SCOTUS (Ad Ephes., I, 10) sua facit verba Hieronymi : « Omnis dispensatio quæ et ante mundum et postea esse cœpit in mundo, tam invisibilium quam visibilium creaturarum adventum Dei pollicebatur. » (P. L., 103, 196.)

Idem (Ad Coloss., I, 20) : « Ascendens in crucem quasi cœlestia obtulit et sanavit. Sanguis autem ejus de summo stillans sanavit terrestria. » (Ibid., 225.)

Idem (Ad Ephes., I, 22) : « Et dedit ipsum caput supra omnem Ecclesiam, id est non solum hominum, sed etiam angelorum. » (Ibid., 198.)

S. AGOBARDUS *Episc. Lugdun.* (Serm. de verit. Fidei. x) : « Quod autem mediatio Domini nostri Jesu Christi, conjungat Patri omnem electam creaturam, ita ut... tam ex Angelis quam ex hominibus una domus... et tam mirabilis unitatis unum caput sit Christus, ita docet Apostolus. » (P. L., 104, 274.)

1. Paschasio Radberto probabilius attribuendum est hoc opusculum.

B. RABANUS MAURUS (De laudibus S. Crucis, Declaratio figuræ II) : « Nam Passio Christi cœlum sustentat, mundum regit... In ea confirmantur Angeli, etc. » (P. L., 107, 158.)

Idem (Enarr. in Epist. Pauli, lib. XVII, in Ephes.) : « Omnis enim creatura in cœlis et in terris, dum discit agnitionem Christi, restauratur ad id quod est condita. » (P. L., 112, 300.)

Idem (Hom. XV. Sab. in oct. Paschæ, II Pet., 5) : « Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, etc... Superædificari illos dicit : quia sine Domino Jesu Christo, lapide scilicet vivo, nulla spiritualis ædificatio stare potest : fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter ipsum (I Cor., III, 11.) Qui autem omne ædificium portat et ipse a nemine portatur Dominus est Christus : unde et lapis a propheta pretiosus vocatur *in fundamento fundatus* (Is., XXVIII, 16.) Superædificamini, inquit, in domos spirituales. Ita fieri illos domos spirituales dicit, cum sit una Domus Christi ex angelis et electis hominibus collecta, quomodo cum sit una Ecclesia catholica toto orbe diffusa sæpe pluraliter appellantur Ecclesiæ. » (P. L., 110, 168.)

(Lib. III in Exod., c. X.) Sua facit verba S. Bedæ de propitiatorio, i. e. : « Quod videlicet Propitiatorium non aliud quam Dominum Salvatorem, sed specialius in eo viscera pietatis designat. De quo dicit Apostolus : « Quem proposuit Deus Propitiatorium per fidem in sanguine ipsius (Rom., III, 25.) Expandunt ergo alas Cherubim... ac velut Propitiatorium contuentes obumbrant, id est, honorant velando ; quia totum quem habent statum perpetuæ felicitatis ejus gratiæ deputant, a quo, ut nihil mali velle possent acceperunt. Vertunt vultum in Propitiatorium, quia et misericordiam Domini, in qua unica mundo spes est, valde commendant. » (P. L., 108, 144.)

WALAFRIDUS STRABUS. Recitat verba S. Bedæ et sui magistri Rabani Mauri de Propitiatorio. (P. L., 113, 267.)

Et in S. Math., I, 251 (peperit Filium suum Primogenitum) : « Primogenitus inter omnes electos per gratiam. » (P. L., 114, 72.)

S. ANDREAS ARCHIEP. CÆSAR. CAPPAD. (In Apocal., cap. LXV) : « Et hinc ostenditur novitatis nomen transformationis... quam superna illa Jerusalem consequetur, quæ ex virtutibus corporis expertibus exorsa usque ad homines descendit ; unumque est et appellatur corpus eo quod Christus Deus et Dominus noster commune utrorumque sit caput. » (P. G., 106, 426.)

ARETHAS (Com. in Apoc., cap. I, v. 16) : « *Et habebat in dextera sua stellas septem*... stellas autem vocat angelos propter lucis abundantiam quam in ipsis Christus diffundit... Tanquam solem vero lucere (Christum) ait in virtute... Subjungit autem in *virtute sua :* ac si diceret, quod lux Christi virtute operatur, non aspectu corporali, sed oculos animæ spiritualiter illuminans. » (P. G., 106, 522.)

Et v. 20 : « Stellas autem vocat angelos Ecclesiarum praefectos, utpote lucem sortitos ab ipso Sole justitiæ : quod etiam opinatus est quispiam eorum, qui forinsecus sunt sapientes, de sensibili sole quod ab ipso stellæ lumen acciperent. » (Ibid., 523.)

HAYMO ALBERST. (Expos. in Epist, ad Ephes., cap. I, v. 4) : « Sic benedixit nos, sicut elegit, hoc est prædestinavit et præordinavit in ipso, hoc est, in Christo. Omnipotens ergo Pater ante omnem creaturam, spiritualem videlicet atque corporalem, praedestinavit omnes credentes in Christo, ut ipse sit caput omnium in se credentium, et omnes credentes sint ejus membra. »

(V. 22) : « Et ipsum, i. e., Christum dedit Deus Pater caput, hoc est principem, super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, subaudis, quæ constat ex angelis et hominibus justis. Christus ergo caput, sive Princeps est Ecclesiæ, quæ sicut a capite reguntur membra et a Spiritu vivificatur corpus, ita et a Christo reguntur omnes electi et vivificantur. »

(Ad Ephes., c. II, v. 20) : « Fundamentum apostolorum

omniumque fidelium est Christus, quia in fide illius sunt fundati et stabiliti, sicut ipse dixit : supra hanc petram, i, e., super me, ædificabo Ecclesiam (Math., XVI, 18) quæ constat ex angelis et hominibus justis... Quomodo est Christus et fundamentum et summus lapis ? Per hoc, quod ab illo incipitur fides et in ipso et ab illo perficitur, atque completur ipsa fides ; ideoque omnes electi in ipso sunt fundati. » (P. L. 117, 702, 707-711.)

JOANNES SCOTUS ERIG. (Com. in Joan. fragm. I, cap. I, 11-29) : « Verbo incarnato, Dominum suum intellexerunt Angeli... itaque et rationali et intellectuali creaturæ profuit Dei Verbi inhumanatio ; intellectuali ad cognoscendam suam causam... » (P. L., 122, 301.)

Idem (In Carm. de Verbo Incarn. vers. 40) :

> Nec minus in cœlis prosunt mysteria Christi
> Quam terris...

(P. L., 122, 1231.)

ATTO EPISC. VERCELLENSIS (Cap. I, 22-23 ad Ephes.) : « *Caput supra omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus.* In hoc loco Ecclesia non solum hominum sed et angelorum, cunctarumque rationabilium creaturarum debet intelligi. » (P. L., 134, 551).

(Ep. ad Eph., II.) : « *Superædificati super fundamentum.* Fundamentum Christus est... in ipso fundatur et consummatur Ecclesia... Angelorum bonorum et animarum sanctarum una est Ecclesia. » (Ibid., 556).

(Et in Epist. ad Col. I, 18) : « *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ...* Ecclesiæ caput est Christus : si tamen unum sentiant cœlestes et terreni, ut sint Ecclesia, hoc est unius fidei. » (Ibid., 615).

(Vers. 19, ibid) : « Ex ipso (Christo) omnes originem habent. Quia enim membris a capite usque ad pedes membra junguntur, quicumque ergo Christo non credens capiti omnium sanctorum, et est extra hoc corpus, et quantumvis se jactet, non vivit. » Ergo fons vitæ Christus pro angelis et hominibus.

S. Bruno Herbipolensis *Episc.* (Exp. in Ps. 77 29) : « Panis ergo Angelorum bene dicitur Christus, quia videlicet ipsius laude pascuntur ; verum hic panis, in cœlo replet Angelos, nos pascit in terris. » (P. L., 142, 294).

S. Petrus Damianus Doctor (Serm. xxxiii, de S. Christophoro martyre) : « Sponsa dilecto suo dicit in Cant. i, 2 : *Oleum effusum nomen tuum*... Per oleum vero Spiritus Sanctus mysticè designatur. Hoc oleo Salvator noster principaliter unctus est... Unde per prophetam dicitur Ps. xliv, 7 : unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Hoc oleum effusum est, cum gratia Sancti Spiritûs, quam singulariter Christus accepit, electis omnibus dispensativa sui participatione concessit. » (P. L., 144, 680).

Idem (In Serm. xi de Annuntiatione B. V. Mariæ) : «In hujus utero majestas Altissimi liquefacta, sicut adipe et pinguedine replevit terras, infudit cœlos, inferna respersit. » (P. L. 144, 557).

Quænam sit hæc infusio cœlestis sic explicat in interpr. Genes. ii, 6-10 : « Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum ; fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terræ. Fluvius iste est Deus meus Jesus, qui a duobus locis voluptatis egreditur ; ex utero Patris, ex utero Virginis. Unde propheta : Dominus Deus noster fluvius gloriosus exiliens in terram sitientem. Sed ineffabilibus differentiis longe aliter a Patre quam a matre egreditur... De Patre Filius egrediens inundat angelicas stationes... quia juxta Salomonem : fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. (Eccli. i, 5.) Cytharedus puer de hoc fonte pleno ventre potaverat, cum diceret : Apud te est fons vitæ (Ps. xxxv, 9,) quia non solum tu vita sed et Filius tuus fons vitæ est. Et ut patenter quid sentiebat ostenderet, subjunxit : in lumine tuo videbimus lumen. Quænam terra est in illa cœlorum summitate, quam non præterfluat et irriget fluvius gloriosus ?.. Irrigatio hæc indicibilis est. In-

ebriantur quippe angeli ab ubertate Domûs Dei, et torrente voluptatis ejus potantur... qui non per speculum in ænigmate sed facie ad faciem ipsam Dei substantiam luminibus indefessis spectant... Non in vase testeo, vel fragilitate complexionis humanæ bibunt de torrente voluptatis ; sed remoto velamine hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (Is. XII, 3).... Sic influit fluvius iste per angelicas officinas. » (P. L., 144, 560-561). Ergo Christus est fons gratiæ angelicæ.

S. BRUNO CARTH. (Expos. Epist. ad Colos., I, 17). « *Et ipse est* ante omnes dignitate secundum utramque naturam : licet enim multi sancti carnem Christi præcessissent tempore, nunquam tamen salvarentur nisi per fidem membra essent capitis Christi. »

Et (ibid.) « *Primogenitus omnis creaturæ* : Primogenitus quia ipse habet omnem hæreditatem Patris. Et quicumque inde aliquid habet oportet ut ab illo habeat Sicut Primogenitus Filius habet omnem hæreditatem Patris et nemo quidquam nisi ab eo habeat... Et ita Primogenitus, ut ipse sit tenens primatum in omnibus creaturis. Princeps enim constitutus est omnium ; ideo primatum tenens, quia complacuit Deo Patri habitare in ipso Filio plenitudinem omnium bonorum, sicut Joan. ait : de plenitudine ejus omnes accepimus. » (P. L., 153, 379-380).

S. BRUNO EPISC. SIGNIENSIS. « Angeli et homines unum ovile constituunt et Jesus Christus est Pastor hominum et angelorum ; nam (Com. in Math., XVIII, 12) : « Quis est enim iste qui habet centum oves, nisi idem ipse, qui loquitur Jesus Christus Dominus noster ? Centum enim oves tota angelorum et hominum multitudo intelligitur. Ovis enim centesima homo est. »

(Et Com. in Luc., par II, n° 25, in c.XV) : « Ex his autem una erravit, quando primus homo peccavit... Pro hâc itaque unâ Salvator noster de cœlis descendit, nonaginta et novem, de quibus modo diximus, ibi derelictis... Hanc autem unam ovem imponens in humeros suos...

gaudens domum rediit ; cœlos ascendit, vicinis et amicis, id est, angelis et archangelis lætitiam fecit... Idem significant decem drachmæ, quot centum oves. Una quoque drachma et una ovis perdita idem significat. Novem vero, quæ restant, novem ordines angelorum sunt. Quoniam autem Regis imago in drachma exprimitur, non immerito per drachmam homo figuratur ; quoniam ad sui Regis imaginem factus est homo. Hanc igitur drachmam Dei Sapientia (sic enim vocatur Christus) quærere venit ; lucernam sui corporis accendit ; divinitas enim in carne lumen est in lucerna. » (P. L., 163, 413).

(Et in Apoc., XXI, 2) : « Et *ego Joannes vidi civitatem sanctam Hierusalem novam...* illam novam, de quâ Apostolus ait : Illa autem Hierusalem, quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra. Hæc enim nova est : quia novum hominem imitata in novitate vitæ studuit ambulare ; quæ quidem secundum majorem et potiorem partem in cœlo est ; ibi enim angeli sunt, animæque sanctorum, ideo dicitur descendere. » (P. L., 165, 717). — Ergo angeli et homines constituunt Hierusalem et angeli imitati sunt Christum, qui est Pastor hominum et Angelorum.

Jacobus Monachus (Orat. in Concept. Deiparæ, XIII) : « Unica enim illa a sexu muliebri quæ sola primitiæ erat naturæ humanæ et Deo dedicata fuit, et tanquam pretiosissimum donarium Deo reddita. » (Sylloge, etc., pars I, p. 192). A fortiori, Christus primitiæ.

Rupertus (Com. in Apoc., lib. IV, cap. V) : « Igitur Angeli quia in ipso (Christo) conditi sunt. » (P. L., 169, 935).

Idem (De Gloria Trinit. et operibus ejus, in Exod., lib. 3, c. 10) : « Panis cœli, panis angelorum ipse est qui in Evangelio suo dicit : Ego sum panis vivus... Hic enim victus est et vita est angelicæ substantiæ : *nam in eum desiderant angeli prospicere* (I, Pet., I, 12). Quia

quod facere contempsit angelus cecidit et factus est diabolus. Qui et hujus panis sempiternam patiens inediam, semper est pallidus et mors illum sequitur. Noluit ergo Lucifer hunc panem manducare, i. e., ei per fidem et amorem adhærere et ideo factus est diabolus. » (P. L., 167, 661).

HONORIUS AUGUSTODUN. (Exp. in Cant.) : « Qui (Filius) ut filios posset habere cohæredes, desponsavit ei Pater reginam et concubinam, i. e. angelicam et humanam naturam. » (P. L., 172, 353.)

S. BERNARDUS (Sermones de tempore, In adventu Domini, sermo 1) : « Si consideremus exsilii nostri causam, fortassis advertere possumus vel ex parte quam congruum fuerit a Filio nos maxime liberari. Lucifer enim ille qui mane oriebatur pro eo quod Altissimi similitudinem usurpare tentavit et non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (quod utique Filii est) præcipitatus illico corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater... Continuo videbam Satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo.

» Revera principes nostri Adam et Eva, principia nostra propaginis inobedientes et socii furum (i. e., dæmonum)... Nec dissimulat injuriam Filii Pater, sed continuo et in ipsum hominem vindictam retribuit et aggravat super nos manum suam. Quid agat Filius videns pro se zelare Patrem et nulli penitus parcere creaturæ ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit. Altitudinem meam primus angelus affectavit et populum qui sibi crederet habuit... Scientiam quoque quæ nihilominus mea est, subripere voluit homo et ne illi quidem misertus est... Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis, angelum videlicet atque hominem ; sed ecce propter me angelos perdidit multos, homines universos. Ergo ut sciant quia ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodo propter me amisisse videtur. « Si propter me tempestas hæc orta est, ait Jonas, tollite me et mittite in mare (Jon., 1, 12). » (Pat. L., 183, 38).

Quæ verba Bernardi citantur a quibusdam theologis, inter quos ab Alensi, ad probandum quod Lucifer inviderit unionem hypostaticam. Et videntur ad rem si explanantur dictis de triplici gratiæ operatione ab eodem doctore in tractatu *De Gratia et libero arbitrio*, in fine.

« Igitur qui recte sapiunt triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrii, sed divinæ gratiæ in ipso, sive de ipso. Prima creatio, secunda reformatio, tertia consummatio. Primo namque in Christo creati sumus in libertatem voluntatis ; secundo reformamur per Christum in spiritu libertatis ; cum Christo deinde consummandi in statum æternitatis. Si quidem quod non erat in illo creari oportuit ; quod erat per formam, reformari deformem ; membra non perfici nisi cum capite. Quod utique tunc complebitur cum omnes occurremus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.. Cum igitur consummatio fieri habeat de nobis, sive etiam in nobis, non autem a nobis, creatio vero facta sit et sine nobis, sola quæ nobiscum quodammodo fit propter consensum volontarium nostrum in merita nobis reputabitur reformatis. » (P. L., 182, 1027).

Cum supradictis firmissima præbent argumenta citanda doctoris verba. Etenim « si qui reformamur per Christum in Christo creati sumus » peccatum non fuit occasio Incarnationis.

Idem (Serm. I. de Circumc.) : « Idem quippe et Angeli Salvator et hominis, sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. » (P. L., 183, 133).

Idem (Serm. XXII in Cant.) : « Qui erexit hominem lapsum dedit Angelo stanti ne laberetur... fuit æque utrique Redemptio, salvans illum et servans istum (1) » (P. L., 183, 880).

1. Quod autem Christus Angelorum Salvator, imo et Redemptor ..d ci opssit probant hæc Dionysii et Augustini :

— Dionysius (De divinis Nom., cap. VIII) : « Verum enim profecto et hanc salutem non præter intentionem Scripturæ sacræ redimentem prædicare possumus quantum cujuscumque salvandorum admittit natura.

Idem (Serm. XXVII in Cant.):« Sicut de diversis ovium gregibus unum facere voluit, ut sit unum ovile et unus Pastor, ita cum haberet sponsam sibi adhærentem a principio, multitudinem Angelorum, placuit ei de hominibus convocare Ecclesiam, atque illi unire quæ de cœlo est, ut sit una sponsa et unus sponsus... Habes itaque utrumque de cœlo et Sponsum, scilicet Jesum, et Sponsam, Jerusalem. » (P. L., 183, 916.)

Idem (Serm. III in Dom. 1 Nov. de Verbis Isa. *Vidi Dominum*, etc., VI, 1, sic ad Luciferum : « Quid festinas mane oriri Lucifer ? Quid gloriaris super sidera, quibus aliquanto clarius rutilare videris. Brevis omnino erit gloriatio tua. Sequitur te Sol justitiæ, quem te esse vana simulatione jactabas, cujus fervore pariter et splendore in nihilum redactus omnino dispareas... Quam melius, et certè non ad insipientiam sibi Joannes Baptista, siquidem et ipse Lucifer fuit, non præsumptione ne et ipse fur esset et latro, sed Dei Patris auctoritate præmissus est ante Dominum... fidelis Lucifer, qui Solis justitiæ non usurpare venerit, sed prænuntiare splendorem ! »

Orta vero disputatione contra Bernardum, eo quod dixisset : « *Missus est angelus Gabriel a Deo*, idéo dictum est a Deo, ne cui vel beatorum spirituum suum Deus antequam Virgini revelasse putetur consilium, excepto dumtaxat archangelo Gabriele, » sic respondet S. Doctor : « Suum consilium dixi non de opere, sed de operis tempore, de loco, de modo, de personæ quoque electione.» (Epist. ad Hugonem de S. Victore, de Baptismo c. V.) Ergo Incarnatio revelata fuit Angelis et Lucifer jactavit se esse Solem justitiæ i. e. Christum vel potius unionem hypostaticam concupivit.

ERNALDUS BONÆVALLIS *Abbas* (Com. in Ps. 132) :

Idcirco illam Redemptionem etiam Teologi appellant ex eo quod non sinit quæ vera sunt ad id cadere quod non sint. »

— S. AUGUSTINUS : « Sicut duo officia medicinæ : alterum quo sanatur infirmitas, alterum quo custoditur sanitas, sic et duo dona gratiæ, unum quod aufert carnis cupiditatem, alterum quod facit animæ perseverantem virtutem. » S. Augustin. in Psalm 85 n° 18.

Quod descendit in barbam... unguentum in capite, divinitatem intelligo in Christo homine... Barba est... toti corpori præeminens... sed sub capite constituta. Tales ergo sentio illos spiritus supercœlestes... ipsi Verbo, quod caro factum est, charitate perpetua adhærentes... Ab illo (Christo), velut ab arce omnium rerum in proximos Angelos descendit effluentia gratiarum. » (P. L., 189, 1573.)

PETRUS LOMBARDUS (Collectanea in Epist. ad Rom., cap. I) : « *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*... Prædestinatio est gratiæ præparatio, qua ab æterno Deus homini Christo et cunctis quos præscivit conformes fieri imagini Filii sui, bona sine meritis præparavit. Præclarissimum enim lumen prædestinationis et gratiæ est, ipse *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I Tim., II.)

» Et illum (Christum) ergo et nos prædestinavit, quia et in illo ut esset caput nostrum, et in nobis ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera futura sua præscivit. Hæc se Deus esse facturum profecto ab æterno præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit. » (P. L. 191, 1309.) Hæc ex S. Augustino.

Idem (Collectanea in Epist. D. Pauli in Epist. ad Col. II, 9-10.) « Qui Christus ut caput, non modo hominum sed etiam *principatûs* et *potestatis* angelicæ. Et vos replere potest, qui supernos cives replet. » (P. L., 192, 273.)

Superius col. 263. « Et sicut omnia creavit, ita et *ipso constant omnia* qui omnibus secundum divinitatem infusus omnia sustinet et regit. Et cum talis sit ipse secundum etiam hominis naturam *est caput corporis sui*, scilicet Ecclesiæ quæ unita est Christo gratia et natura ut capiti. Dicitur igitur caput corporis, id est Ecclesiæ, quia ita se habet ad Ecclesiam sicut caput ad corpus.» — Et recitat verba Augustini (de Agone christianorum) : « Homo ergo excellentius assumptus, quasi personam Sapientiæ Dei gerit, ut caput, in quo omnes sensus, personam animæ quæ totum corpus vivificat. »

HERVÆUS MON. BURGIDOLENSIS (Com. in Epist. ad Col.,I,18) : « Secundum formam servi, ipse est caput corporis sui, scilicet Ecclesiæ.. Ecclesiæ caput est homo ille, cujus susceptione Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Membra vero cætera sunt omnes sancti quibus perficitur et completur Ecclesia... In ipso sunt omnia bona, sicut in capite omnes sensus; in cæteris vero quædam partes bonorum distributæ sunt juxta mensuram uniuscujusque membri. Et ipse universa membra regit ; omnia vero membra illi adhærent. » (P. L., 181, 1321.)

Et cap.II,10 : « In Christo quidem manet omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et vos estis repleti gratia divinitatis, per quam virtutibus et sanctis operibus abundetis. Nec mirum si in vos per eum transfunditur divina gratia, qui tantæ excellentiæ est ut sit caput omnis Principatûs et Potestatis. Neque enim est ullus Principatus aut ulla potestas in cœlo, sive in terra, qui ab hoc capite non descendat et huic capiti (non) subdatur, atque ab hoc capite non regatur.» (P. L., 181, 1331.)

Idem (Com. in Ep. ad Heb., XII, 22): « Jesus Christus lapis angularis dicitur quia duos in se parietes conjungit, id est, circumcisionem et præputium, vel angelos et homines... Qui et in sacri ædificii fundamento fundatus est quia solus totum ædificium sustinet. » (P. L., 181.)

VEN. GERHOHUS (Expositio in Ps. XLV, v. 6) : « Deus medius civitatis suæ dicitur... Ideo illa civitas a sonitu ventorum, a turbatione aquarum, de illo centro non commovebitur, quia supra firmam petram Christum fundatur. » (P. L., 193, 1575.)

Idem (In Ps. CXX, 1-2.) « Montes isti sunt electi et dilecti Dei qui alibi dicuntur *montes Bethel*... Bethel interpretatur Domus Dei, quo nomine sancta Ecclesia intelligitur, cujus fundamenta in sanctis montibus, illi Monti altissimo innituntur, qui factus est in verticem montium (Is., II, 2). Nec mirum : Etenim a summo cœlo egressio ejus, ac proinde usque ad summum decuit elevari eum qui de lapide parvo crevit in magnum montem

(Dan., II, 35.) Huic Monti montium, Fundamento fundamentorum, Sancto sanctorum in altissimis fundato, in excelsum thronum sublimato, supereminebunt montes cæteri.. sancti cæteris eminentiores ut sunt Seraphim, Cherubim, Throni, etc... » (P. L., 194, 841.)

Christus ergo est fundamentum angelorum.

Hugo Rothomagensis Episc. (Contra Hæret. sui temporis, lib. I, cap. IV):

« Angeli quippe illi qui steterunt cadentibus aliis, humilitate levati sunt et ex aquis suæ mutabilitatis in crystallum æternæ stabilitatis duruerunt.. De his Psalmista dicit : « Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini (Ps. 148). Aquæ istæ manent super firmamentum stabile et immotum qui est Christus Jesus, portans omnia verbo suæ virtutis (Heb. I, 3.) In eo charitate perpetua consolidatæ sunt et a beatitudine quam acceperunt cadere nullatenus possunt. » (P. L., 192-1261.)

(Lib. II, cap. X) : « Magnus iste Pontifex et Episcopus noster (J. Ch) passus in cruce seipsum pro nobis obtulit Deo Patri... Ejus sacerdotium ab æterno permanet in æternum. Hic ab initio mundi, simul creatis omnibus et completis, præsulatu supereminenti benedictionem dedit et sanctificavit diem suæ quietis. Ab ortu solis usque ad occasum, a summis cœlorum usque ad ultimas tenebras inferorum, nomen Christi ubique est effusum in odorem vitæ omnibus qui salvi fiunt. »

(Lib. III, cap. IX) Angelum et hominem unam constituere Ecclesiam prædicat, et addit : « Ad hoc itaque facta est Ecclesia Dei ut ipsa in Deo et Deus in ea sit per Jesum Christum mediatorem nostrum qui et angelum Deo confirmavit et hominem Deo reconciliavit, ut ex utroque fieret una Ecclesia. » (P. L., 192, 1297.)

Adamus Scotus Premonst. Episc. Withen. (Serm. XXXII in die S. Stephani protom. n° 7) dicit quod Cherubim a Christo scientiam accipiunt: « Refundunt Cherubim concivibus suis scientiæ fluenta; sed quomodo refuderunt, nisi sibi primitus infusa fuissent?... Quod habent enim ipsi,

quod non acceperunt? Quod si acceperunt, imo quia acceperunt, a quo acceperunt nisi a Dei Sapientia Christo quæ ex ore Altissimi (prodivit) Primogenita ante omnem creaturam. » (Eccli. XXIV, 5.) (P. L., 198 297.)

Idem (Eph. II, 17.) « Hic est ille magnus omnium medicus, in quibusdam sanitatem conservans, in quibusdam vero ægritudinem curans. Hic est verus Salvator noster, mitis, et pius Jesus, cujus innocens sanguis tanti est pretii ut per eum non solum, quæ in terris sunt, sed etiam quæ in cœlis sunt pacificentur. (Col. I, 20.) Et quomodo per sanguinem illum, ea quæ in cœlis sunt pacificantur, nisi quia, qui hominem lapsum sua gratuita gratia ad amissam pacem revocavit ipse stanti angelo eadem gratuita gratia, ne eam amitteret dedit ? Igitur per gratiam Salvatoris nostri salvati sumus et nos qui longe fuimus et illi qui prope inventi sunt. » (P. L., 198.)

Petrus Cellensis (Lib. de Panibus, cap. xxiv) : « Quis cognoscit unguentum bonitatis Domini, in consilio disponentis se incarnari ?... Ex odore quidem hujus unguenti repleta est et Ecclesia, quæ in terris peregrinatur, et sequitur Sponsum in odore hujus unguenti et ipsa aula cœli ; quia in initio viarum Dei cum diceretur *fiat lux et facta est lux* (Gen. I, 3) genere sublimiori, bonitate excellentiori, usu et munere propensiori ditata est creatura cœlestis, id est angelica, divinæ cognitionis dono, et in ipsa reparatione nostra restaurata pleno numero... Sentit quidem supra se, nec usurpare præsumit ad unguendum se hoc unguento omnis Ordo surpernarum Virtutum. Satis enim beatificos se reputant illi cœlestes Spiritus si vel odorem senserint, cujus unctionem non sibi, sed proprio Patris Filio paratam et debitam recognoscunt. Fur et latro diabolus porrexit manum ad hoc unguentum, sed leprosam retraxit, sed aridam, sed contractam... Si portionem quæ sibi competebat Lucifer moderate exposceret, et non totam unguenti substantiam, tanquam musca moriens rapina usurparet, forte adhuc in odore ejus cum sodalibus Sponsi feliciter viveret. Usibus

Sapientiæ suæ Pater hoc unguentum æternaliter destinavit. » (P. L., 202, 1034.) Lucifer ergo cecidit quia substantiam unguenti i. e. unionem hypostaticam desideravit.

Idem (Sermo VII. In vigil. Nat. Dom.) : « Attinuit etiam plurimum ad causam nostræ reparationis ut omnipotens gratia tanto gloriosior in operatione sua appareret quanto de vetusto... trunco, mirabiliori virtute, et faciliori opere, florem immarcescibilem, carnem scilicet Jesu, sacratricem angelorum et vivificatricem hominum, sine peccato de Virgine procrearet. » (P. L, 202, 657.)

Idem (Serm. XXIII. In Annunt. Domini II) : « Irrigata igitur (Maria) de plenitudine plena gratia, inundatione rivulorum suorum angelicas virtutes inebriavit, divites implevit, pauperibus absque argento et absque ulla commutatione pocula indulsit. » (Ibid., 710.)

Idem (Serm. XXIV. In Annunt. dominica, III) : « Adeo plena (est Maria, gratia) ut in scapula sua plenam de fonte ferentem occurrerit servus Abrahæ, forte ut biberet cœlestes virtutes, quæ nos transcendunt ab humero, gloria, honore et felicitate cum Deo jam regnandi, sed deposuit puella hæc hydriam in ulnis suis cum audivit : pauxillum aquæ ad sorbendum mihi præbe de hydria tua ; quia sanctorum in hoc sæculo laborantium desideriis clementer accurrit et sitim eorum suis auxiliis exstinguit. » (Ibid., 715.)

Idem (Serm. LXXV, De Assumpt. Mariæ, serm. VIII) : « Beata ubera tua (Maria), quæ Angelos pascunt, justos reficiunt. » (P. L., 202, 868.)

GILBERTUS *Episc. London.* (Exp. in Cant., cap. I) : « Ubi tam mirabiliter quam pie dispositum est, ut in quo creaverat universa Pater in ipso perdita repararet... In capite libri scriptum est de me... In hoc et homines et Angeli sine fine proficiunt... In hoc... merita singulorum comprehensa sunt, unicuique beatitudo debita continetur. In hujus libri capite, quasi parte præcipua scriptum est Incarnationis hoc Sacramentum. » (P. L., 202, 1160.)

Idem (Ibid., c. II, v. 6) : « Caput vero Ecclesiæ Jesum Christum fore jam nullus ambigit. Nam sicut omnia membra a capite dependent, sic quidem fideles omnes a Christo habent quod sunt... Quod si non solum in cœlo, imo in terra sibi potestas data est, constat quod divitiæ omnes et omnis gloria et beatitudo temporalis quæ quidem finem habere dignoscitur ex illo (Christo) est ; et illa quæ in cœlo jamdiu angelis concessa est, omnibusque suis sine fine concedenda promittitur. » (P. L., 202 1222.)

Idem (Cant., IV, 3) : « *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ...* Genæ sunt Ecclesiæ diversæ locis diversis constitutæ... Hæ igitur genæ sunt in caput unum concurrentes, Dominum scilicet Jesum Christum, qui Deus in personis trinus est et unus humanitate, caput omnium et principium quæ sunt et quæ fuerunt et quæ futura sunt. » (Ibid., 1257.)

PHILIPPUS DE HARWIG, *Ab. Bonæ Spei* (Com. in Cant., IX) : « Oleum effusum nomen tuum. Nomen Sponsi est Jesus... Oleum clausum in vasculo vel conclavi Angelos sanctos servat ; oleum effusum vero dispersos electorum hominum manipulos coacervat... Qui (Jesus) stantibus Angelis plenum misericordiæ vas propinat, ad medendum in terra ægrotis hominibus vas inclinat. » (P. L., 203, 209.)

HENRICUS *S. R. E. Cardinalis* (De peregrin. Civit. Dei, tract. IV) : « Domine, quanta fuit illa charitas ut per humilitatem fundamentum fieres in civitate hominum, qui per charitatem confirmasti ordines Angelorum. » (P. L., 204, 284.)

THOMAS CISTERCIENSIS (Com. in Cant., c. I, v. 2) : « *Oleum effusum nomen tuum...* Dicitur Christus oleum, propter unctionem Spiritûs Sancti, quam non ad mensuram, sed plenarie accepit. Inde dicitur effusum, non stillatum. Unde et Christus dicitur unctus... O dulcis olei effusio, inebrians angelos, satians sanctos, vivificans mortuos, peccatores justificans, etc. » (P. L., 206, 36.)

Petrus Blesensis (Serm. viii de Circumc.) : « Qui Angelos ab initio salvaverat, a tempore incarnationis hominem salvat. » (P. L., 207, 586.)

Idem (Serm. xxxix, de S. Michaele) : « Expedit nobis fratres, ut sicut inter angelos est mutuus amor et prompta ad Deum reverentia, sic erga nos sit mutuo cor unum et anima una... Tunica Domini inconsutilis et indivisa est (Joan., xix). Ea induti sunt angeli et induendi sunt angelici viri. » (P. L., 207, 680.) — Ergo gratia seu charitas Christi, tunicâ inconsutili figurata, ornat angelos.

Petrus Pictaviensis non tractat de motivo incarnationis. — Attamen sententiam, p. IV, cap. XX, probat quod Christus sit caput Ecclesiæ secundum naturam humanam et addit : « Item quæritur an diabolus fuerit principium Ecclesiæ malignantium ? Quod si est, ergo fuit caput Ecclesiæ malorum sicut et Christus caput Ecclesiæ bonorum... Potest dici quod licet fuerit diabolus caput Ecclesiæ malignantium, non tamen in eo fuit plenitudo omnium malorum eodem modo quo dicitur fuisse plenitudo bonorum in Christo... » Ergo Christus est caput bonorum angelorum...

S. Martinus Legion. (Serm. xxx in Ascens. Dom.) : « Arca Christus est, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi... In carne enim erat urna habens manna, id est anima Christi continens plenam sapientiam, quâ reficiuntur etiam angeli... Virga significat sacerdotalem potestatem Christi ; tabulæ, quod ipse sit lator legis ; Propitiatorium Christus, qui propitiatur nobis ; duo Cherubim, ordines cœli qui in eo consistunt. » (P. L., 208, 1106.)

Christus ergo est refectio angelorum in gloria ut fuit ipsorum fundamentum seu gratia in via.

Absalon ab Spinchirbach. — (Serm. xlviii in festo omnium sanctorum) : « Firmamentum ergo de quo loqui volumus, homo Christus Jesus est, qui sicut firmamentum aliis operibus conditionis specie, magnitudine, sublimitate præeminet, ita ipse cæteris

sanctis præeminet specie ; quia ipse est speciosus præ filiis hominum ; in magnitudine, quia magnitudinis ejus ipse est finis... Luminaria vero hujus firmamenti omnes sancti sunt, qui in eo sunt fundati... Sanctos autem angelos stellas puriores rectè dixerim, qui eo quod spiritualis naturæ sunt, subtilitate cæteris sanctis præponuntur. » (P. L., 211, 270.) Ergo Christus prior angelis electus fuit sicut firmamentum prius stellis conditum.

Petrus de Riga (Aurora in Gen., vers. 41, 42) :

> Principium Jesus est ; cœlum creat Auctor in isto,
> Per quem cœlestes efficit esse viros.

(Spicil. Solesm., 2, 103.)

Alanus (Cithara quot modis dicitur) : « Exurge, psalterium... Christus est gloria Dei, gloria sui, gloria Angeli, gloria hominis. » (Spicil. Solesm., III, 143.)

Simeon, archiepisc. Thessalonicensis (Dialogus, cap. XLII) : « Igitur recogita Dei sapientiam et consilium vere principale quo, ut censeo, et mundum et angelos et denique hominem e nihilo fecit. Nempe cum bonus sit, hujus gratia creaturam produxit ut bona illius participaret creatura... Per spiritalem animam (Verbum Incarnatum) angelorum naturæ conjungitur ; sicque sanctificatio et gratia non in hominem solum qui animâ spiritalis est et corpore sensibilis, sed in omnem naturam jure diffunditur. Nam natura rationalis animarum et angelorum Deo jungitur, Deum percipit... divinum lumen congruenter accipiens ex sanctâ Verbi anima... » (P. G., 155, 183.)

Cap. LXXIII : « Ecce est unguenti hujus eximia virtus, sanctificatio. Quare unguentum nomine mutatum est et nomen accepit Unigeniti Filii tui, Christi Dei nostri, in quo omnis mundus salvatus est sive visibilis, sive invisibilis. (Ibid. 247.)

» Cap. 87 : Omnes fines mundi sanctificavit Verbum Incarnatum et cœlestia et terrestria... (Ibid. 266.)

» Cap. 94 : Hâc sacra victima omnes simul Angeli et homines sancti cum Christo uniti sunt et in Christo sanctificati. » (Ibid. 282.)

INNOCENTIUS III (Sermones de Sanctis, Sermo 1[us] in Nativitate Domini) : « Quatuor enim ex causis Verbum caro factum est : ut superbos humiliaret, ut inimicos reconciliaret, ut servos redimeret, *ut amicos nutriret.* » (P. L., 217, 453.)

NICOLAUS CABASILA ARCHIEP. THESSAL. : « Itaque hominibus a Deo tripliciter distantibus per naturam simpliciter, per peccatum, per mortalitatem, ut eo purè potiantur et sine medio cum illo vivant, Salvator fecit, quæ adversabantur omnia deinceps removens. Primum, quod naturæ humanæ factus consors ; alterum in cruce mortuus ; extremum vero murum (mortis tyrannidem, puta) omnino e naturæ finibus per resurrectionem profligavit. » (Lib. III, de vita in Christo.) (P. G., 150, 570.) — Ergo Adam innocens conjunctus est Deo per virtutem Incarnationis. — Scopus primarius Incarnationis quoad hominem fuit ipsius gratificatio.

Multifarie ibidem hanc eamdem sententiam explanat auctor.

S. ISIDORUS, *Arch. Thessalonicensis* (In Nativ. purissimæ Dei Genitricis sermo I) : « Cujus quidem (beatæ Virginis) lux quanquam ex infima hac regione effulserit, creaturas tamen universas non terrestres modo, sed etiam cœlestes suo lumine replevit. » (Sylloge Monum. ad myst. Concept. Immac. Virg. Deiparæ. Anton. Ballerini, pars I, p. 209.)

Idem (Ibid. n. XVII) : « Quod vero nunc Angeli immutabiles perseverent, id per ineffabilem Virginis partum assecuti putantur. » (Sylloge, etc., pars I, p. 245.)

Idem (In Deip. Præsent. sermo, XIV) : « Postquam igitur in lucem Dei filia prodiit splendida, imo ipsa luce splendidior, sine qua lux, neque cœlum, neque omnes simul creaturæ vim habent seu lumen animæ affundendi, aut ipsam Deo conciliandi. » (Sylloge, etc., pars I, p. 445.)

Idem (In Deip. Annunt. sermo XXII) : « Cum porro nemo alius aut hominem erexerit, aut incorporeos spiritus splendidiores effecerit, aut aliam quamlibet e creaturis ad nobiliorem conditionem perduxerit, præterquam anima illa (Mariæ) quæ et naturali ordine eminentior et divina merito celebratur, manifeste constat ipsi deberi quod et Deus apparuerit Creator et omnia existentiam receperint, quotquot bonitatis ejus pelagus expressissima imagine exhibent. » (Sylloge, etc., pars II, p. 429.)

GREGORIUS PALAMAS, *Thessalonicensis Archiep.* (Homil. XXXVIII) : « Cum sit lex æterna in cœlis a majoribus minores habere ut participes sint naturæ ejus qui est, et in cœlis sedet, major autem sit omnibus sine ulla comparatione Virgo Genitrix, per eam recipiunt quicumque Dei naturæ fiunt participes... Ipsa eorum, qui ante eam fuerunt, causa, ipsa auctor eorum quæ secuta sunt, ipsa æternorum distributor... Ipsa terrenorum gloria, cœlestium lætitia, omnis creationis ornamentum. Ipsa principium, fons et radix bonorum inenarrabilium. Ipsa omnis sanctitatis culmen et perfectio » (P. G., 150 471.)

CONCLUSIO

Ex his testimoniis patet quod Christus sit prior prædestinatus universis creaturis quæ ab ipso gratiam receperunt.

CAPUT VIII

Deus omnia creavit propter Christum.

Probatur 1° Ex Scriptura :

Omnia per ipsum (Christum) et in ipsum creata sunt, (Col. I, 16.) Vulgata dicit in *ipso* creata sunt, textus vero græcus « in ipsum » εἰς αὐτὸν ἔκτισται.

2° Ex Patribus :

EPISTOLA S. BARNABÆ (n° 17. Vetus interpretatio) : « Habes interim de majestate Christi, quomodo omnia in illum... facta sunt. » (P. G. M.. 2, 776.)

HERMAS (Pastor, lib. I) : « Anus illa... Ecclesia Dei est. — Et dixi ad illum : Quare ergo anus est ? — Quoniam omnium prima creata est... et propter illam mundus factus est. » (Cotelerius, Pat. Apost. vol. I, p. 77). — Ecclesia de Christo et pro Christo. Ergo omnia propter Christum (1).

S. HIPPOLYTUS EPISC. PORT. (Cont. Hæres. Noeti X): « Deus solus cum esset... voluit mundum efficere... Ipse solus, multus erat. Nec enim erat sine ratione, sine sapientia, sine potentia, sine consilio. Quando voluit, et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis... quod Verbum... fecit aspectabile... deprompsit ipsi creaturæ Dominum. » (P. G., 6, 818.)

1. *Hermas* (Vis. II, 4, 1 ; cf. Vis. I, 1, 6) : « L'Eglise a été établie la première de toutes les créatures (πάντων πρώτη ἐκτίσθη) ; pour elle le monde a été fait. »

(Similit. IX, 12, 1, 7, 8) : « Elle est établie sur le Fils de Dieu comme sur un rocher et lui appartient comme à un maître. » (J. Tixeront. Hist. des dogmes, p. 130. Paris, 1905.)

Origenes (In Ps. 20) : « Christi Deus, Christus autem rationali naturæ corona est. » (P. G., 12, 1256.)

S. Basilius (Cont. Eunom. lib. iv) : « Et illud : Dominus creavit. Quod propter aliud et non propter se factum est vel est pars illius, propter quod factum est, vel eo minus est. » Erit igitur Salvator aut pars creaturæ aut minor creaturâ, si ad hominem redimendum incarnatus. (P. G., 29, 703.)

Idem (Advers. Eun. lib. iv, in illud « Primogenitus omnis creaturæ) : « Si vero primogenitus mortuorum ex eo dictus est, quod causa est resurrectionis e mortuis ; ita et primogenitus creaturæ, ex eo quod causa est ut creatura e nihilo ad esse producta sit. » (P. G., 29, 702.)

S. Hilarius (Lib. ii de Fide) « Humani generis causa Dei Filius natus ex Virgine est et Spiritu Sancto, ipso sibi in hâc operatione famulante... corporis sibi initia consevit et exordia carnis instituit ut homo factus ex Virgine naturam in se carnis acciperet, perque hujus admistionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret ; ut quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se esse voluit conderentur, ita rursum in omnes ipse per id quod ejus est invisibile referretur. » Quæ verba recitat Hincmarus Rhemensis. (P. L., 125, 313.)

S. Gregorius Nazianz. (Orat. xlii, coram 150 Episcopis habita, nº xvii) : « Trium ergo (S. Trinit. Person.) nulla creatura est ; neque quod eo deterius est, propter me facta, ne solum creatura sit, verum etiam nobis abjectior. Nam si ego in honorem Dei factus sum, illa vero propter me, certe orbita propter currum et sera propter ostium facta est. Vinco causa. Quanto enim creaturis excellentior est Deus, tanto id me ipso, qui propter Deum subsisto, ignobilius sit oportet, quod propter me factum est. » (P. G., 37, 479.)

Idem (Lib. i sect. 1ª Poem. Dogmat. Carm. ii versus 51, 55) : « Si illum (Christum) postea magnus Deus condidit, ut bonum instrumentum... ut me primogeniti manu

factum Deus possideat ; sic et Christo cœlesti res creata longe præstaret siquidem illius causa Verbum existeret, non illa Christi causa. Quis autem hoc proferat ? » (P. G., 37, 405.)

Idem (Carmin. Lib. II. Histor. Sectio I poem. de seipso XXXVIII. Hymnus ad Christum.)

« Christe rex, te primum, quando quidem sermonem in aerem emisi diu retentum, ore eloquar, sanctissimi sacerdotis sanctum sacrificium, si fas est dicere, hunc sermonem profundens meæ mentis... Rector mundi, auctor vitæ, opifex omnium... Tibi enim omnia existunt, qui mundi fundamenta et quæcumque sunt, te volente, vinciens administras nutibus immutabilibus... Tua lux sunt omnes quæcumque animæ cœlestes decantant Trinitatis gloriam cœlestis. Tua enim est gloria homo... O immortalis, mortalis propter me... tibi vivo, tibi loquor, tibi viva sum hostia. » (P. G., 37, 1326.)

S. ATHANASIUS (Or. II cont. Arian, n° 30) : « Si Deus ... Filium... procreavit ut per eum ædificaret, animadvertite quam audax sit impietas vestra... Apparebit Filium propter nos et non nos propter Filium conditos esse... adeo ut ipse nobis, non nos illi gratiam debeamus. » (Pone *Christum* loco Filii, et idem habebis argumentum.) (P. G., 26, 210.)

S. CYRILLUS ALEX. (Thesaurus, Assertio XV, Si Filius est creatura) : « Si propterea creatum esse Filium dicunt ut nos Deus per ipsum crearet, videant in quantam impietatem labantur. Videtur enim hoc pacto ipse propter nos, non vero nos propter ipsum factos esse. Et nos quidem opus, ipse vero operis instrumentum... Erit ipse gloria nostra quemadmodum mulier viri. « Mulier enim, ut ait Scriptura, gloria viri est, » causamque addit dicens : « Non enim vir creatus est propter mulierem, sed mulier propter virum. » Si ergo propter nos creatus est Filius, non autem nos propter ipsum ; erimus profecto nos illo præstantiores quemadmodum Adam muliere propter ipsum facta. » (P. G., 75, 253.)

Idem (Ibid.) : « Si Filius propter nos factus est, ut illi dicunt, non erit ille primus nostrum apud Deum ; neque enim illum mente concipiens, nos postea propter ipsum creavit, sed de nostra creatione cogitans, illum propter nos creavit. »

Idem (Ibid.) : « Si Pater propter nos Filium creavit de nobis primus deliberavit... quare cum de nobis primum cogitarit ; illum quidem Filium et hæredem vocat, nos autem servos et hæreditatem illius qui propter nos factus est. Oportebat enim e contrario, nos quidem filios et hæredes esse, instrumentum vero nostræ facturæ, quod quoque propter nos factum est, servum esse nobisque inferiorem. » (*Filii* loco pone *Christum* et hæc valent argumenta (1) (Ibid. 256.)

S. Gregorius Turonensis (Historia Francorum, lib. I, Prologus). « Noster vero finis, ipse Christus est qui nobis vitam æternam, si ad eum conversi fuerimus, larga benignitate præstabit. » (P. L., 71, col. 163.)

S. Methodius *Epis. Martyr* (Convivium Decem Virg. Orat. III, cap. IV) : « Age vero, nos quoque consideremus, quam in recto sanoque sensu Adamum ad Christum retulerit ; non hoc solum, quod Adamum Christi figuram ac simulacrum fuisse censuerit, sed quod etiam ipsum eumdem Christum exstitisse existimaverit. » (P. G, 18, 66.)

Concilium Sardicense (Epistola ad omnes fideles.) « Christus ut homo finis est quem Deus primo intendit. »

Concilium Sirmiense (XXVI) « Caput enim, quod

1. Nota quod S. Basilius Cæsariensis, S. Athanasius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Cyrillus Alexandrinus, etc., qui dicunt quod : « Si Filius propter nos creatus sit erimus nos illo præstantiores » prædicant scopum primarium Incarnationis non esse nec redemptionem nec etiam exaltationem creaturarum. Hic scopus est gloria Dei. Quod dicunt expresse alii S. Patres et scriptores qui Verbum prædicant sacerdotem, Pontificem natura ab æterno, etc. Scopus secundarius Incarnationis (qui primarius erga creaturas) est exaltatio creaturarum, quod redundat in primarium quia creaturæ gratificatæ laudant et glorificant Deum perfectius. Redemptio autem erat necessaria ut homines lapsi possent denuo exaltari, i. e. gratificari.

est principium omnium, Filius : Caput autem, quod est principium Christi, Deus ; ita enim ad unum qui est sine principio per Filium universa referuntur. »

(Harduini, Conc. gen., t. I, p. 703.)

S. DIDYMUS ALEX. (Fragmenta in Prov., cap. VIII, 22-23) : « Sed enim qui ante creaturas existit, utpote sapientia, Dei Filius, etiamsi dicit : « Dominus creavit me », id non de subtantia intelligendum est, sed de relatione erga creaturas... Nam sicut fundamentum Ecclesiæ volens esse homo fieri sustinuit, ut ea in ipso stabiliretur immobilis ; ita etiam creaturæ volens existentiam dare, ad ejus normam se accommodavit, prædictam relationem inducens, factus futuris rebus initium et causa. » (P. G., 39, 1631.)

S. HIERONYMUS (Com. in Epist. ad Ephes., lib. I, cap. I) : « Omnis dispensatio quæ et ante mundum et postea esse cœpit in mundo, tam invisibilium quam visibilium creaturarum adventum Dei Filii pollicebatur. » (P. L., 26, 454.)

S. AUGUSTINUS (Lib. de anima et spiritu) : « Propterea Deus factus est homo ut totum hominem in se beatificaret ut sive homo ingrederetur intus per intellectum sive egrederetur extra per sensum in Creatore suo pascua inveniret. » — Christus quum sit beatitudo hominis est ipsius finis. (P. L. 20, 784.)

Idem (De Civit. Dei, lib. XIV, cap. XXIII) : « Quisquis dixit non fuisse Adam et Evam generaturos, nisi peccassent, quid dixit, nisi propter Sanctorum numerositatem necessarium fuisse hominis peccatum ? Si enim non peccando soli remanerent, quia sicut putant, nisi peccassent, generare non possent : profecto ut non solum duo homines justi possent esse sed multi, necessarium peccatum fuit, quod credere absurdum est ! » Quod valet si dicitur Incarnatio propter peccatum.

SYNESIUS PTOLEMAÏDIS *Episc.* (Hym. V.)

Tu mundi Conditor (Christe)...
Tu hominum servator

Tibi so equitat,
Diei perennis fons :
Tibi taurina fronte luna
Noctis tenebras pellit ;
Tibi nascuntur fructus ;
Tibi nascuntur greges.

(P. G., 66, 1607.)

THEODORETUS (Interp. Epist. ad Col., cap. I, v. 16) : « Quod autem ait : *omnia per ipsum creata sunt*, primam significat creationem. *In ipsum* autem operationem quæ facta est per ipsius incarnationem. » (P. G., 82, 599.)

Idem (lib. IV) : « ... Exponimus... audientes... quod omnia propter Christum et in Christum tendentia facta sunt, tam quæ in cœlis, tam quæ in terra. » (P. G., 89, 891.)

S. PAULINUS NOLANUS (Epist. XXII): «Christus (nobis) et generale initium est quia per ipsum omnia, et speciale fastigium, quia caput corporis, cujus membra sumus... » (P. L., 67, p. 256.)

ANTIPATER BOSTRENSIS *Episc.* (Homil in Annunt.) : « Et Joannes quidem propter Christum : Christus vero non propter Joannem sed propter Patrem » (P. G., 85, 1778.)

BARLAAM ET JOASAPH : « Omnia propter ipsum (Jesum Christum) creata sunt (1). »

S. FULGENTIUS (ad Trasim. lib. II, cap. V) : « Principium igitur Christus, quia sempiternus omnia præcedit ; finis Christus, quia perpetuus universa concludit : principium Christus, quia ipse inchoavit perficienda : finis Christus, quia ipse perfecit inchoata. » (P. L., 65, 250.)

1. Livre de Barlaam et de Joasaph, probablement d'un abbé Jean, monastère de Saint-Saba près Jérusalem VII[e] siècle, attribué longtemps à saint Jean Damascène. Edition de Boissonade p. 83.

Καὶ εἶς κυριος Ἰησοῦς Χριστὸς δί' οὖ τα πάντα καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ, ὅς ἐστιν εἰκών τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου προτοτοκος ἀπασης τῆς κτίσεως καὶ παντων τῶν αἰώνων, ὁτι ἐν αὐτῳ εκτισθη τα παντα... Τα πάντα δι' αὐτου ἐγένετο, και χωρὶς αὐτοῦ εγενετο ουδεν ἐν ὁ γεγονε.

(Notices et extraits des manuscrits de la Bibliothèque Nationale, t. 2 p. 39.)

Le livre des mystères du ciel et de la terre. Auctor ignotus, qui 6° vel 7° sæculo vixit dicit omnia creata fuisse propter Mariam ; interpretatur « in principio » Gen. de Filio et insinuat arborem vitæ Christum fuisse seu potius figurasse.

Le livre des mystères du ciel et de la terre (Fol. 3, v° a). «Remarque donc bien comme la Trinité apparaît au commencement de la Genèse. Elle dit : « En premier lieu » (au commencement) à cause du Fils, car les Écritures appellent le Fils « le premier » et elle dit Dieu à cause du Père... Quant à l'Esprit-Saint, elle te dit clairement : « L'Esprit de Dieu s'agitait sur l'eau. » (Patrologie orientale, I, fascic. I, page 4.)

Ibid. (Fol. 14, r°, a). « Il (Notre Seigneur) dit encore : Adam est devenu comme l'un de nous ; peut-être prendra-t-il et mangera-t-il (du fruit) de l'arbre du jardin (arbre de vie) et il vivra éternellement.

» Et c'est le corps du Christ que les Séraphins eux-mêmes ne touchent qu'avec respect. » (Ibid. p. 21).

« Je vais t'expliquer l'incarnation du Fils unique. Le Père, le Fils et le Saint-Esprit dirent : « Nous avons tout créé par agrément et lorsqu'Adam a péché, le Fils est descendu par obéissance sur l'aile de Gabriel. C'est à cause de Marie qu'a été faite la création. » (Ibid. p. 76.)

S. Anastasius Sinaita (In Hexam.præfat.):«Si enim omnis creatura facta est propter hominem... sine dubio omnis quæ propter hominem et propter ejus conjugem facta est creatura, refertur ad Christum et Ecclesiam. » (P. G., 89, 856.)

Idem (Ibid.) : « Is est (Christi Incarnationis modus) fons et principium et radix et fundamentum... omnium bonorum quæ a Deo facta sunt in creatione. » (Ibid.)

Idem (Hexam. lib. 1) : « Ut autem tibi ostenderet magis quam omnia necessariam esse Verbi incarnationem et propter eam facta esse omnia. » (Ibid. 863.)

S. Andreas Cretensis (Orat. 1 in sanct. Virg. Nat):

« Christus initium, medium et mundi terminus... In eo enim consummatio posita est, quâ ipse legislator in seipso summa colligens, omnia tum ex creationis tum ex gratiæ institutis, ac illum quidem subjiciens, hanc autem ac illam concinnè connectens. » (P. G. 97, 806.)

ANTHIPHONARIUM, *monast. Benchorensis* (Hymnus ad Matut. in Dominica) :

« Hæredes et cohæredes
Christi tui, in quem
Et per quem cuncta creasti ;
Quia in prædestinatione
A sæculis nobis est
Deus Jesus qui nunc cœpit. »

(P. L., 72, p. 250.)

S. ISIDORIUS HISPAL. *Episc.* (De Off. Eccl. l. II) : « Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum, cum caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus... Uxor quæ non subjicitur viro... ejusdem criminis rea est, cujus et vir si non subjicitur Christo, capiti suo. » Ergo vir propter Christum ut mulier propter virum.

Idem (Sent. lib. I, cap. XIV) : « Ideo Deus in homine venit quia per seipsum ab hominibus cognosci non potuit. » (P. L. 83, 566.)

BREVIARIUM GOTHICUM (Dom. ante Epiph. ad Vesperos Benedictio) : « Dominus noster Jesus Christus qui est corona totius a se formatæ Ecclesiæ. »

S. JULIANUS, *Episc. Tolet.* (Prognosticon lib. III, cap. LX) : « Finis noster Christus perficiens nos, ipse erit refectio et laudatio nostra. » (P. L. 46, 524.)

S. MAXIMUS, *Confessor* (Quæst. ad Thalas. quæst. LX): « Iste beatus finis (Christus seu Christi mysterium) ob quem cuncta condita sunt... In hunc finem respiciens Deus, rerum naturas produxit... ob quem plane, quæ facta sunt, principium essendi acceperunt. Nam propter

Christum, sive Christi mysterium omnia sæcula et quæ in ipsis sæculis sunt principium et finem ut essent in Christo nacta sunt. » (P. L., 90, 622.)

Idem (Quæst. ad Thalassium, quæst. 23) : « Omnium sæculorum et principium et medium et finis est, Dominus Noster Jesus Christus. » (P. G., 90, 319.)

B. ALCUINUS (Com. in Apoc. lib. I, cap. I, v. 10) : « Principium autem Christus dicitur quia ab ipso creatura initium accipit ; finis vero quia ipse quasi terminus omnia concludit. » (P. L., 100, 1095.)

SMARAGDO *additum* (Ev. in die Nat. Dom. Cap. I) : « Cur Deus homo factus est ? Videlicet ut Ecclesia haberet suum caput (Eph. I); ut structura templi haberet lapidem angularem (Ps. CXVII) ; ut haberet omnis creatura mediatorem. (Gal. III) ; ut haberet Civitas Hierusalem templum suum (Apoc. II) etc. » (P. L., 112, 554.)

B. RABANUS MAURUS, *Arch. Mog.* (Com. in Gen., lib. I, Cap. XII) : « Paradisus quia Ecclesia est.. ; a principio autem plantatur paradisus, Ecclesia Catholica a Christo qui est principium omnium condita esse cognoscitur. » (P. L., 107, 479.)

Idem (Enarr. in Ephes. I) : « Omnis quippe dispensatio quæ et ante mundum et postea esse cœpit in mundo tam invisibilium quam visibilium creaturarum, adventum Filii Dei pollicebatur. » (P. L., 112, 390.)

RUPERTUS ABBAS (Com. in Matth., lib. XIII) : « Et quæ causa est propter quam Deus omnia creavit nisi iste Filius hominis ? Religiosè dicendum, reverenter est audiendum quia propter istum Filium hominis, gloria et honore coronandum Deus omnia creavit... *Decebat enim eum propter quem omnia et per quem omnia*, etc., Heb. II... Diligenter animadvertendum, duo dixit, propter quem omnia et per quem omnia... Cum diceret Deus, hoc fiat vel illud « fiat firmamentum, fiant luminaria » et ita fieret ; sciebant angeli... quod per Verbum fierent... Causa autem, cur hæc omnia faceret abscondita erat in Deo, et idcirco causa ipsa recte dicitur sacramentum,

quia hoc erat in Deo absconditum, id est soli Deo cognitum, propter quid et angelos creasset et fabricam hujus mundi conderet.

» Nunc autem innotuit et angelis in cœlestibus et hominibus in terra, quia per quem facta sunt omnia, propter ipsum etiam facta sunt omnia. Quod, ut lucidiùs pateat, jam de dispensatione sacramenti ejusdem dicendum est... Eorum quæ præcipue sunt in dispensatione, id est, causæ secretæ propter quam Deus omnia creavit, scilicet, Verbi Dei, ejusdemque Filii hominis, propter quem omnia, eorum, inquam, primum opus est incarnatio, 2^{um} passio, 3^{um} resurrectio. » (P. L., 168, 1624.)

Idem (De Process. S. Sancti, lib. III, Cap. XXI) : « Igitur probabilius dicimus quod...et angeli et homines propter unum hominem Jesum Christum facti sunt, ut... haberet præparatam ex utroque latere familiam, hinc Angelorum, hinc hominum. » (P. L., 169, 72.)

Idem (Ibid. lib. IV, Cap. II) : « Si enim, quod sæpe dictum semperque sciendum est... propter ipsum (hominem Jesum Christum) omnia, quanto magis humana propter ipsum facta est creatura ? » (Ibid. 75.)

Idem.(lib.III.De gloria et honore Filii hominis) : «Religiose dicendum, reverenterque audiendum est quia propter istum Filium hominis scilicet Christum, gloria et honore coronandum Deus omnia creavit. » (Ibid. 1624.)

Idem (Ibidem) : « Si teste Augustino, absurdum esset dicere, Adamo non peccante generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homines, ut nascerentur, peccatum non fuisset necessarium, quid de isto Capite et Rege omnium electorum Angelorum et hominum sentiendum, nisi quod, et ipse maxime omnium necessarium non habuerit peccatum, ut homo fieret ex omnibus, delicias charitatis cum illis habiturus ? » (Ibid. 1628.)

Honorius Augustodun. (Hexam. Cap. II) : « Notandum quod dies a luce inchoatur et in luce terminatur ; quia omnia opera Dei a Christo... inchoantur et in eodem cuncta cônsummantur. » (P. L., 172, 256.)

S. Bernardus Clarav. *vel Bernardus Arch. Tolet.* (Serm.III,in Salve Regina): « Ob hanc (Mariam) et propter hanc omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est... (P. L., 184, 1069.)

Petrus Cellensis (Sermo de B. V.) : « Non ipsa (Maria) pendet de futuris eventibus, sed omnes rerum mutabilitates de immobilitate ejus tanquam de universorum matrice egrediuntur. » P. L. 202.

Jacobus Monachus (Oratio in Concept. S. S. Deiparæ XV) : « Propterea propensissimo animo insignem hanc divinamque celebrantes festivitatem, illi, qui universa ad suam ipsius gloriam, ad matris suæ honorem et ad salutiferum sibi obsequentium decus prædisposuit, Christo, inquam, bonorum Auctori ac largitori, gratias referimus. » (Sylloge monum. ad myst. Concept. Immac. V. Deiparæ. Antonius Ballerini. Pars prima, p. 197.)

S. P. Andreas, *Archiep.Cæsareæ Cappadociæ* (In Apocal., Cap. LXVI) : « Et dixit mihi : factum est : Ego sum A et Ω initium et finis (XXI, 5). Vera sunt hæc verba, utpote ab ipsa veritate profecta neque per figuras aut symbola, ut olim, sed per res ipsas cognita. Est autem idem Christus *principium* et *finis*, *primus* ibidem et *ultimus* : hoc quidem propter assumptam humanitatem ; illud vero propter increatam divinitatem.» (P. G., 55,665. Edit. sine textu græco.)

Arethas Cæsareæ Cappadociæ *Episc.* (In Apoc. Cap. LXVI, Cap. XXI, 5) : « Principium autem et finis est Christus qui etiam α et ω sibi vindicat. Principium tanquam primus propter divinitatem ; finis vero tanquam a prima incorporea creatura usque ad postremos homines suam extendens providentiam. » (P. G., 55, 819. Edit.sine textu græco.)

S. P. N. Joannes Euchaitarum *Archiepiscopus* (Serm. in Ss. Deiparæ Dormitationem) : « Per ipsam. (Mariam) et *vivimus et movemur et sumus*... atque ut paucis universa complectar, res secundæ omnes tum ad præsentem hanc vitam, tum ad futuram spectantes, ab

ipsa nobis profluunt... Per te, et propter te, et ex te ista omnia... Tu etenim creaturas universas omnigenis cumulasti beneficiis; tu cœlestia exhilarasti...» (P. G., 61, 1187-1188. Edit. sine textu græco.)

S. ISIDORUS *Arch. Thessalonicensis* (In nat. B. V. M. serm. I) : « Contra si quis contenderet et cœlum et terram et mare atque omnia quæcumque ante Virginem præcesserunt... propterea prius fuisse producta ut præsto essent Factori ad elaborandam novam hanc pulcherrimam et incomparabilem formam, innocentissimam nempe Virginem, equidem is non procul a vero aberrare videretur... haudquaquam crediderim ab eo quod sentiendum est, iste deflecteret. Quæcumque igitur ante eam fuerunt, ipsius gratia substiterunt. » (P. G., 69, 12.)

Idem (Ibid.) Sermo. N° III) : « Profecto rem penitius perpendenti palam fiet, nulla prorsus e creaturis beatam illam ut oriri posset indiguisse; nam contra universæ imo creaturæ tum ut conderentur tum ut deinde ornatu perficerentur, ea indiguerunt... Quæcumque igitur ante eam fuerunt, ipsius gratia substiterunt; et idcirco (quod sane stupendum est) quæ jam creata erant, ipsa, quæ adhuc erat creanda, ut conderentur, indigebant. » (Sylloge mon. ad myst. Concept. Im. V. Deiparæ Ballerini, pars I^a^, p. 213.)

Idem (Sermo in Deip. Præsentationem § XXII.): « Huic vero et creator, cum opus hoc suum (Mariam) cerneret tam sublimi divinaque pulchritudine nitescere, haud indignum duxit ut vel formam facturæ suæ ipse indueret... Et exinde propter virginis cum Deo similitudinem, Deus quoque ex ipsa factus est nobis similis. » (Ibid. p. 460).

Idem (Ibidem. § XXVII) : « Et hujus quidem (Dei) bonitatis opus et omnis quæcumque exstat creatura; verum si quid augusti in ipsa relucet, hoc per virginem assecuta est. » (Ibid. p. 468.)

Idem, ibid. § XIII.

Idem (Sermo in Deip. annuntiationem § III) : « *Domi-*

nus tecum... Et cum immaculato tuo (Maria) sanguine semet conjungens (o inauditum mysterium). Quod non erat, ex te, propter te, et totam tuam gerens imaginem, ac propemodum se Deum esse oblitus, fiet. » (Ibid. p. 409.)

Idem (Serm. in Annunt.V. M. XXIII) : «Nam ista quoque (creatio) propter nos, nos vero, ut jam ostensum est, propter ipsam (Mariam) sumus. » (P. G., t. LXIX, p. 67.)

Idem (Ibidem § XV) : « Ut enim mihi videtur, non ideo tantum homo ex duplici substantia compositus est, ut ex varietate operis appareret ineffabilis ac multiformis sapientia Conditoris ; verum etiam propter hoc mysterium (Incarnationem), ut scilicet sibi ipsi fidem aliquam ex seipso (homo) faceret... Præterea si vel quando nihil nos præstiteramus (quid enim præstare potuissemus qui nondum eramus), ex immensæ bonitatis tuæ visceribus nos hac sola de causa e nihilo eduxit... » (Sylloge, pars IIª, p. 415.)

Idem (In Deiparæ dormit. sermo § XVIII) : « Propter te, o purissima, Dominus cœlum condidit, terram fundavit, mare, solem...; propter te esse quidquid ordinis menti nostræ obversatur. » (Ibid. p. 636.)

CONCLUSIO.

Ex dictis patet quod omnia propter Christum creata sint. Ergo si Christus causa finalis est universæ creaturæ prior fuit in intentione seu decreto Patris.

CAPUT IX

Christus est A et Ω, principium et finis.

Ego sum A *et* Ω, *primus et novissimus, principium et finis.* (Apoc. XXII, v. 13.)

Si hæc verba sunt Christi, Christus est principium et finis. Incarnatio Verbi est primum intentum Dei in operibus *ad extra :* est causa finalis propter quam omnia creata sunt. — Probatur autem quod Christus sit A et Ω — ex Scriptura, ex Patribus et monumentis.

1° *Ex Scriptura.* Etenim in eodem cap. Apoc., v. 16 : « Ego Jesus misi angelum meum...ego sum radix et genus David. » — Ergo Christus est qui loquitur hæc verba : Ego sum A et Ω.

2° *Ex Patribus...* TERTULLIANUS (Lib. de monogamia Cap. V) : « Sic et duas Græciæ litteras, summam et ultimam sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras : uti quemadmodum A ad Ω usque volvitur et rursus Ω ad A replicatur, ita ut ostenderet in se esse et initii decursum usque ad finem et finis recursum ad initium. » (P. L., 2. 935.)

S. CYPRIANUS (Testimoniorum Lib. II, cap. I) : « Christum esse primogenitum, esse Sapientiam Dei per quem omnia facta sunt : item in Apoc. XX : « Ego sum A et Ω. » (P. L., 4, 696.)

Origenes (In Joan.), pluribus in locis hanc denominationem A et Ω de Christo affirmat.

S. Epiphanius (adv. Hæres., lib. ii, t. i, Hæres, 62, nº 7) « Cum autem alterum Christum præter eum qui jam advenit posteri Israëlis expectaverint, audiant vicissim : Ego primus et novissimus : ego A et Ω. A, videlicet, quod deorsum respicit et Ω quod sursum obvertitur. » (P. G., 41, 1059.)

Clavis Melitonis *Appendices* (V. Christi nomina græca et latina) : 1º Alpha, principium ; 2º Omega, finis (Anal. Soc. Spicil. Solesm. parata, t. ii, p. 143.)

Ibidem. 32. 33 Alpha. Omega 34. 35. Initium et finis Spicil. Solesm. t. iii, p. 146.

S. Ambrosius Mediol. vel Berengaudus (Expositio super septem visiones libri Apoc. i, cap. i, v. 8) : « Ego sum A et Ω. Quid sit A et Ω sequentia manifestant, i. e. principium et finis. Sicut ipse Judæis : « Ego principium qui et loquor vobis. » (Joan. viii. 25), (P. L., 17, 768.)

Apringius Episc. Pacensis de Beja (Tract. in Apokalipsin, Cap. i, 8) « Ergo Alpha initium Sapientiæ ipsamque Sapientiam Christum Dei filium manifestat ; ω significat et initium Sapientiæ et complementum et medietatem ipsum esse Dominum Jhesum Christum. — Quod adjecit : « principium et finis », non tantum priora elementa narravit, sed et magnitudinis sui *(sic)* docuit potestatem ; quia ipse est omnium principium et in illo omnium exitus constat, et quæ jam finita sunt reparanda esse creduntur. » (Biblioth. Patrol. i, p. 5. Alphonse Piccard, Paris, 1900.)

Idem (Cap. i, v. 18) : « *Ego sum primus et novissimus...* Primus ego sum ante omnem creaturam ; priusquam terra fieret ego sum... In me finis omnium constat, quia per me universa in fine reparanda sunt. » (Ibid., p. 13.)

Idem (Cap. xxv, 2) : *Et ligavit eum per annos mille*, mille enim in græcis apicibus Alpha est titulatum ; in Alpha initium, quod est Christus. » (Ibid. p. 63.)

S. Prudentius (Cathemerinon, Hym. ix) hæc eadem ut supra (Dominico 3 post Pascha, exeunte vespera) : « Corde natus ex parentis, etc. » refert. (P. L., 59, 863.)

S. PAULINUS (Poem. XIX, vers. 648-649) :

« Alpha itidem mihi Christus et Ω qui summa supremis
Finibus excelsi pariter complexus et imi,
. . . . »

(P. L., 61, 547.)

S. FULGENTIUS (ad Trasim. Lib. II. Cap. V) : « Initium et finis Christus dicitur, quia similiter ipse dixit : Ego sum A et Ω, initium et finis. » (P. L., 65, 250.)

ANTIPHONARIUM MONASTERII BENCHORENSIS (Hymnus quando communicant Sacerdotes) :

Alpha et Omega
Ipse Christus Dominus.

(P. L., 72, 588.)

PRIMASIUS ADRUMETANUS EPISC. « Ego sum A et Ω... Fidelis prædicatio veritatis ut irreprehensibilis forma virtutum quoties repetitione firmatur, ampliore cultu spiritalis animus informatur quod ad finem libri breviter quidem, sed competenter exprimitur, in A Verbi divinitatem, in Ω susceptam humanitatem assignans, principium sine termino. » (Com. in Apocal., lib. V, cap. XXII. — P. L., 68, 932.)

CASSIODORUS (Complexiones in Apocal. n° 31, cap. XX, 5) : « Dicit (Apostolus) sibi dixisse Dominum Christum ut visa auditaque conscriberet, quoniam ipse est A et ϖ, faciens nova mutansque præterita. » (P. L., 70, 1416.)

S. ISIDORUS HISPAL. (Etymologiarum Lib. I., Cap. III) : « Reliquas vero duas (litteras) summam et ultimam sibi vindicat Christus. Ipse enim principium, ipse finis, dicens : Ego sum A et Ω. Concurrentibus enim in se invicem Alpha ad Ω usque devolvitur et rursus Ω ad alpha replicatur ut ostenderet in se Dominus et initii decursum ad finem et finis decursum ad initium. » (P. L., 86, 176.)

BREVIARIUM GOTHICUM (In festo apparitionis Domini ad vesp. capitulum) : « Alpha et Omega, initium et finis,

Deus et homo.... in quo et principium deitas et ultimum sentitur humanitas. » (P. L., 86, 176.)

Ibid. (Benedictio): « Benedicat vobis Alpha et Omega.. qui est initium et finis : ipse nos secum victuros attollat temporibus infinitis. » (col. 177.)

Ibid. (Sab. in octav. Paschæ ad vesperum) : « Te centies mille legionum angeli concentu plaudunt et canora jubilant, Christe Jesu, Alpha et Omega. » (col. 637.)

Ibidem (Dominico 3 post Pascha exeunte vespera) :

Corde natus ex parentis (Christe.)
Ante mundi exordium
Alpha et Ω cognominatus (col. 642.)

Ibid. (In festo Apparitionis Domini ad Matutinum — oratio ultima) : « Alpha et Omega principium et finis, radix et genus. » (Ibid.)

Missale mixtum sec. Reg. B. Isidori. (Pars I, in Dom. ante Epiphaniam Domini, post nomina): « Christe, qui es Alpha et Omega, initium et finis, tu benedicito his sacrificiis. »

S. Beda Vener. (Didascalica Genuina, n° 1) : « Qui etiam post perceptionem Dominicæ fidei, η, χ, ρ, α, ω, græcas litteras, etsi non in alphabeti ordinem recipiunt, divinis tamen paginis inditas continent... ; χ et ρ, propter nomen *Christi ;* α et ω propter auctoritatem dominici sermonis. » (P. L., 90, 151.)

S. Paulinus Patriarcha Aquileiensis (Contra Felicem Urgellitanum, lib. I, cap. LVI) : « Namque quia idem est ipse (Christus) mortuus et semper vivens.... cum servo suo Joanni, profiteri de seipsô non abhorruit dicens: « Noli timere : ego sum primus et novissimus, hoc est A et Ω, vivus et fui mortuus et ecce sum vivens in sæcula sæculorum.» (Apoc. I-17, et XXII-13). » (P. L., 99, 314.)

B. Alcuinus (Op., pars II. Exeget. Com. in Apoc., lib I, v 8) : « *Ego sum α et ω*... Hoc autem significat α et ω quod et principium et finis... Principium autem dicitur Christus, quia ab ipso omnis creatura initium accipit ;

finis vero, quia ipse quasi terminus omnia concludit. » (P. L., 100, 1095.)

HESYCHIUS (Libell. de Philosophis) : « Nec Christus hujusmodi a litteris appellationem repudiavit,nam(Apoc.) se ipse nominat A et Ω. Etenim ipse prima rerum creatarum causa et finis ultimus ad quem ipsæ referuntur. » (P. L., 103, 775, nota b.)

B. RABANUS MAURUS (De laudibus S. Crucis, lib. I. Decl. fig. 1) : « Ipse quoque A et Ω, quia initium et finis. » (P. L., 107, 153.)

WALAFRIDUS STRABUS, *Fuld. monachus* (In Apoc. I, 8). : « Præmissa salutatione reddit attentos, quasi dicat : Ne a me hoc dictum sed ab ipso Christo credatis, Alpha, principium ante quem nullus, vel e quo omnia cœperunt. Omega, finis post quem nullus. vel in quo omnia terminabuntur. » (P. L., 114, 712.)

GOTTESCHALCUS ORBACENSIS MONACHUS (Confessio prolixior) : « Ac ne quis forte dubitaret hoc audiens a Joanne, sequeris ipse continuo et dicis (Domine Jesu Christe) : Ego sum A et Ω, initium et finis. » (P. 121, 554.)

S. BRUNO EPISCOPUS SIGNIENSIS : « Est ergo Christus A et Ω, primus et novissimus... » (P. L.. 165, 610.)

RUPERTUS (In Apoc. lib. XII, cap. XXII) : « Nam quid dixerit : « Ego sum A et Ω, » exponit dicendo : « primus et novissimus » addendo etiam « principium et finis, » scilicet a quo omnis creaturæ principium est, et in quo creatura rationalis consummatur. » (P. L., 169, 1211.)

RICHARDUS SANCTI VICTORIS (In Apocal. lib. I cap. III) :« *Ego sum alpha et omega.* » Nam alpha primum elementum in græco ponitur pro principio, et omega ultimum pro fine ponitur. Ego sum alpha et omega, principium et finis, ac si patenter ipse Christus confirmans dicat : non dubitetis de his quæ auditis ; quia sicut sum principium, creando vos per potentiam sic sum finis justificando per justitiam. » (P. L., 196, 700.)

HENRICUS S. R. E. Cardinalis (De peregrinante Civit. Dei tract. V) : « Quem alibi lapidem pretiosum in fun-

damento fundatum dixit (eximius Isaias), hic murum et antemurale ejusdem civitatis proponit. Ipse siquidem qui est A et Ω principium et finis civitatis suæ dedit. » (P. L., 204, 292.)

BONACURSUS EX HERETICO CATHOLICUS (Libel. contra Catharos, c. II) : « Quod Christus sit Deus... in Apoc. cap. I : « Ego sum A et Ω. » (P. L., 204, 788.)

SICARDUS CREMONENSIS EPISC. (Mitrale, lib. V) : « Christus... vocatur etiam Alpha et Omega i. e. principium et finis. » (P. L, 213, col. 228-229.)

SACRÆ NOMENCLATURÆ (Rhythmus ad Deum, ex Dei nominibus.) :

Tu es Deus, Alpha et Ω ;
Jesu, nostra redemptio,
Vita (et) resurrectio...

(Spicil. Solesm, t. III, p. 449.)

PROSA ECCLESIÆ GEMMETICENSIS (Fer. III, Pentecostes) :

Christe Salvator, Jesu,
Alpha et Omega, eia.

(Analecta liturgica, pars II, p. 54.
Insulis et Brugis, 1892.)

3° Probatur ex monumentis quam communis fuerit usus harum litterarum :

MARIA VIRGO A et Ω ? Ita opusc. *Marie Reine de la Création*, cap. II :

« Dans la catacombe de Sainte-Agnès, comme dans les autres, du reste, on peut voir de nombreuses Orantes. Deux surtout attirent l'attention. L'une, c'est la femme traditionnelle dans l'attitude de la prière ; l'autre, la même femme revêtue d'habits sacerdotaux. Toutefois, voici leur caractère particulier : ces deux Orantes sont, la première entre A-Ω, et la seconde entre Ω-A. Si cette Orante est Marie, n'est-ce pas l'affirmation très explicite

qu'elle est, avec son divin Fils, principe et fin de la création ?

» Quelle est donc cette Orante, c'est-à-dire cette femme debout, priant les bras étendus et légèrement relevés ? Voici la réponse que fait le P. Terrien, non pas au sujet des deux Orantes qui nous occupent — personne ne les a mentionnées, que nous sachions — mais au sujet des Orantes en général : « L'Orante représente la Sainte Vierge, disent les uns... ; suivant d'autres, c'est l'Eglise ; d'autres enfin voient dans l'Orante et la Vierge Mère et l'Eglise : l'Eglise personnifiée dans la Vierge et la Vierge exemplaire et type de l'Eglise par sa maternité virginale. Telle est, je crois, l'opinion du chevalier de Rossi.

» Le P. Terrien trouve une confirmation de cette opinion dans les verres dorés dont il faut reporter la date aux III^e^ et IV^e^ siècles, et qu'on a trouvés dans les catacombes. Ces fragments de verre sont ornés de figures. Un grand nombre représentent une femme dans la posture ordinaire de la prière, c'est-à-dire une Orante. Que représentent ces Orantes ? Pour plusieurs au moins, il ne saurait y avoir de doute, puisque l'artiste a gravé au-dessus de la figure le nom de Marie.

» De plus, les médailles Byzantines et les œuvres de l'art grec, en général représentent souvent la Sainte Vierge dans l'attitude antique de la prière. Ne serait-ce pas un prolongement de ce qui se faisait dans les premiers âges ? (*La Mère de Dieu*, XI, chap. III.) »

J. B. DE ROSSI (Index Sigillorum et gemmarum ΙΧΘΥΝ exhibentium refert inter cætera :)

N° 95 : ΙΧΘΥΣ, bonus pastor ; Α Ω ; gemma ann. allegranza, Opuscoli, p. XI.

N° 115. Piscis medius, stella in orbiculo uno, in altero monogramma e quo Α et Ω innexa pendent. (Spicil. Solesm. tom. III, p. 578.)

Usus litterarum Α et Ω probatur indirecte ex hæresi de qua sic Tertullianus (De præscriptione, cap. 50) : « Non defuerunt post hos Marcus quidam et Colarbasus,

novam hæresim ex Græcorum Alphabeto componentes ; negant enim veritatem sine istis posse litteris inveniri ; imo totam plenitudinem et perfectionem veritatis, in istis litteris esse dispositam, propter hanc enim causam Christum dixisse : Ego sum A et Ω. » (P. L., t. II, p. 70.)

De usu autem monogrammatum ☧ et A☧Ω, audi his rebus peritissimum J. B. de Rossi (ad. J. B. Pitra Epist. II, de titulis Christianis Carthaginensibus) : « ... In his quæ ante sæculum quartum posita sint vix pauca inveniri jam tibi duobus abhinc annis significavi atque hoc quoque affirmavi in paucis illis nullum monogrammatis ☧ certum titulum superesse...... Constantinianis vero temporibus primum sese offert nobis monogramma ☧ bis repetitum in romano titulo anni 331... Non juvat ulterius (quam annum 347) pergere ; hac enim ætate vulgare ac plane solemne hujusmodi signum fuisse vel ignarissimi sciunt. Illud tamen observatione dignum quod inde ab anno 355 litteræ A et Ω monogrammati hinc inde appictæ in romanis incipiunt titulis apparere : quas millies deinde omnis formæ monogrammatibus et ipsis crucibus adscriptas passim conspicimus. » (Spicil. Solesm., t. IV, p. 528.)

TRADITIO JUDAICA (In lib. Ioma, cap. Amarlahem) : « Sie dixit S. Eliezer : « etiam propter justum unum creatus est mundus sicut dictum est (Gen) : Et vidit Deus lucem quod esset bonum. Non est autem bonum nisi Tsadic, i. e. justus, hoc est Messias, sicut dictum est (Esa 3) : Dicite justum quia bonus est. » Quod autem propter Messiam creatus sit mundus in libr. etiam *Sanhedrin* in cap. Helec habetur, ubi legitur : « R. Johanam sic dixisse : non est creatus mundus nisi propter Messiam. » (Galatinus de arc. verit. cath, lib. III, cap. XXIII, p. 160).

Rabbi Haccados (Super illud Jeremiæ cap. 33 : Si irritum potest fieri pactum meum etc.) Sic ait : « Nisi pactum meum esset, id est, nisi amore mei Jesu et Mariæ diem et noctem, leges cœlo et terræ non posuissem, id est

mundum minime creassem. » (Galatinus lib. 7, de arc. cap. 2).

Rabbi Ankelos (in glossa chaldaica super illud Genesis : In principio creavit Deus etc.) Subnexuit : Propter sapientiam, hoc est, amore intemeratæ Virginis, quæ est mundi sapientia, creavit Deus hunc mundum et amore Messiæ Filii sui ; cui in divinis sapientia tribuitur. » (Ibidem).

Ergo, ex Scriptura, ex Patribus et ex monumentis constat Christum esse A et Ω, initium et finem.

CAPUT X

Brevis conspectus Patrum singulis sæculis

Permultis Patrum et auctorum ecclesiasticorum testimoniis occasione quorumdam Sacræ Scripturæ verborum coacervatis, opportunum videtur desmonstrare quod semper a primordiis Ecclesiæ usque ad duodecimum sæculum una et eadem sententia de Primatu Christi prædicata fuerit.

Ita brevis de unoquoque Patrum inquisitio instituetur, singulis sæculis, et, data opportunitate, dicta Patrum quæ objiciuntur Primatui Christi adversantia elucidabuntur. Notandum enim quod, teste P. Hilario, O. M. Capuc., *Cur Deus homo*, p.90, tredecim Patres inter quos maximi doctores Ecclesiæ *docuerint formaliter*, *expressis verbis*, *quod si Adam non pecasset Verbum in carne minime fuisset; quod idem æquivalenter præcipui Patres et Doctores dicant; quod tandem idem cæteri fere omnes insinuent.* — Respondebitur iis qui dicuntur formaliter contrarii (1); non enim de aliis agendum erit si iis qui dicuntur formaliter contrarii responderi potest.

§ I^us^ De his qui floruerunt I° et II° sæculo et qui in opusculo jam citati sunt.

1. Sunt : SS. Augustinus, Leo Magnus, Gregorius Magnus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Irenæus, Fulgentius, Cyrillus Alexandrinus, Damascenus, Andreas Cretensis, Maximus (vel Ambrosius), B. Lanfrancus, S. Chrysostomus, quibus decimus quartus adjungitur Origenes.

Qui æquivalenter impugnant Primatum Christi sunt ex P. Hilario : SS. Ambrosius, Maximus, Chrysostomus, Isidorus Hisp., Petrus Chrysologus Cyrillus Hieros., Maximus Confessor, Beda Ven.

Hæc verba Patrum quæ objiciuntur inveniuntur et apud Thomassinum et apud Salmanticenses.

HENOCH. Pars recentior libri Henoch adscripti non est posterior anno 37 ante Christum.

Hoc opus citatur quia primis Ecclesiæ temporibus, magni ponderis erat apud Christifideles. Expressè prædicat decretum de Incarnatione priusquam aliæ creaturæ decernerentur. Cfr. p.116.

BARNABAS i. e. AUCTOR Epistolæ catholicæ (130). Ex ipso, Pater Christo loquebatur cum dixit : Faciamus hominem, etc. — Erat ergo jam decretus. — Majestatem Christi extollit dicendo : « Omnia in illum facta sunt. » Christus ergo prædicatur primus decretus et causa finalis.

S. IGNATIUS ANTIOCHENUS (117), S. Joannis discipulus, Evodii successor in sede Antiochena et a S. Petro ordinatus, scripsit plures epistolas inter quas percelebrem ad Smyrnenses, in quâ cap. IV sic episcopus martyr : « Nullus erret sive super cœlestia, sive gloria angelorum et principes visibiles et invisibiles, si non credant in Dominum nostrum Jesum Christum... etiam ipsi judicabuntur. » (Anal. Sacra Spicil. Solesm. parata, Tom. IV, p. 279.)

Alia editio in locum « in Dominum nostrum Jesum Christum » hæc refert « in sanguinem Christi. »

Hæc verba scripta videntur ad imitationem Evangelii : « Qui credit in eum non judicatur ; qui autem non credit jam judicatus est (Joan., III, 18). » — Et « qui non crediderit condemnabitur ». (Marc, XVI.)

Ergo fides in Christum necessaria fuit angelis ad salutem. Nec dicas angelos non fuisse redemptos et proinde non debuisse habere fidem « in sanguinem Christi ». Etenim, sanguis hic significat charitatem Christi juxta ipsum Ignatium : nam in Epist. ad Trallianos. cap. VIII : « Vos itaque mansuetam patientiam resumentes, recreate vosmetipsos in fide, quæ est caro Domini, et in charitate quæ est sanguis Jesu Christi. »

In Epist. ad Magnes. n° 27, sic de Christo : « Ipse... qui et verus et primus est Episcopus et solus natura Pontifex. »

Sic autem recapitulat doctrinam S. Ignatii D. Tixeront, (*Hist. des dogmes* p. 139. Paris, 1905.)

« L'œuvre du Sauveur se ramène à deux objets principaux : nous apporter la science de Dieu et détruire la mort en nous donnant la vie. Jésus-Christ qui est la pensée du Père, sa sentence (του πατρὸς ἡ γνώμη), la bouche véridique par laquelle il s'exprime (Ephes. III. 2 ; Rom. VIII, 2), est devenu pour nous la connaissance de Dieu et notre unique docteur (τοῦ θεοῦ γνῶσις, Ephes. XVII, 2 ; XV, 1 ; Magn. IX, 1). Mais de plus il méditait, en se manifestant humainement, d'abolir la mort et de la remplacer par la nouveauté de la vie éternelle (Ephes. XIX, 3.)

» Il nous représente Jésus-Christ, comme l'ἀρχιερεὺς à qui seul ont été confiés les secrets de Dieu, et le saint des saints, comme « la porte du Père par laquelle entrent Abraham et Isaac et Jacob et les Prophètes et l'Eglise (Philad. IX, 1) ; » par lui le monde entier vient au Père, si bien qu'en définitive « le Christianisme n'a pas cru au Judaïsme, mais le Judaïsme au Christianisme, dans lequel sont réunis tous ceux qui croient en Dieu (Magn. X, 3). »

S. Martyr Ignatius affirmat ergo : 1° mysterium Incarnationis revelatum fuisse angelis ; 2° angelos prædestinatos fuisse in Christo ; 3° proinde Incarnationem decretam fuisse ante creationem. Nam in Epist. ad Smyrn. n° 78, Jesum Christum dicit « primogenitum totius creaturæ ; » 4° finem primarium Incarnationis revelationem Patris fuisse, quod et nonnulli Patres affirmant.

HERMAS (150) aperte in suo Pastore Primatum Christi propugnat. Ipsum enim prædicat principium et fundamentum creationis et etiam unicam portam per quam omnes angelos et homines qui assecuturi sunt salutem intrare oportet. Sed lege auctoris verba, supra p. 129, 185.

S. CLEMENS (150) dicit (Clementina Homil. III, XX) quod Adam innocens habuerit Spiritum Christi ; et Epist. ad Corinthios XIV prædicat Ecclesiam ante solem et lunam conditam fuisse et ipsam Christi esse Corpus ; Christum et Ecclesiam figuratos fuisse ab Adamo et Eva. Cfr ipsius verba p. 72, 116, 128.

D. Tixeront sic exponit hanc Epistolam ad Cor. seu homiliam.

Cette homélie associe étroitement l'Eglise à Jésus-Christ : XIV 1-5 : « L'Eglise est antérieure à la création du soleil et de la lune ; elle était d'abord spirituelle et invisible, mais elle est devenue visible : c'est la chair du Christ, c'est son épouse — car l'épouse est la chair de l'époux ; elle est aussi sa copie, car la chair est la copie de l'esprit et Jésus est spirituel. » J. Tixeront, *Hist. des Dogmes*, I, p. 133, Paris, 1905.

S. POLYCARPUS, Episcopus Smyrnensis (160). Non multa de S. Polycarpo ; opera enim quæ scripsit non multa. Ipsius tamen mentem investigare poterimus apud percelebrem ejus discipulum S. Irenæum et etiam in operibus quæ usque ad nos pervenerunt.

Dicit enim divus Polycarpus quod « Adam inspiratione divina prophetaverit. » (Responsionum fragmenta.) In Epistola autem ad Phil., Christum dicit Pontificem sempiternum, et, in oratione ante martyrium, æternum Pontificem. Quæ verba, ut supra dixi, indicant Christum primum prædestinatum. Cfr p. 72.

S. JUSTINUS martyr (166) mutationem quamdam quoad Verbum ante mundi creationem prædicat. Quæ mutatio nequit esse nisi decretum Incarnationis. Nam Apol. II, nº 6 : « Ejus autem Filius qui solus proprie Filius dicitur, Verbum antequam mundus crearetur, et genitum est cum per illud initio omnia condidit et ornavit ; hic, inquam, Filius, eo quod unctus sit et per eum Deus omnia ornaverit Christus vocatur. » Ergo Filius unctus i. e. jam Christus est in decreto Incarnationis ante creationem mundi et per eum condit et ornat omnia Pater.

Sed homo lapsus redemptus est morte Christi et ergo Christus est duplex principium creationis scilicet et regenerationis ; quod aperte dicit S. Justinus, Dial. cum Tryphone, nº 138 : « Christus enim cum primogenitus esset omnis creaturæ, rursus etiam factus est principium

alterius generis ab ipso regenerati per aquam et fidem et lignum quo mysterium crucis continetur. » Et Apol. II, nº 6 : « Filius eo quod unctus sit... Christus vocatur... Jesus autem hominis et Salvatoris nomen et significationem habet. » — Ergo principium creationis et gratificationis Christus ; Jesus autem principium redemptionis.

Christum dicit apostolum, doctorem et natum ad revelandum et docendum.

Apol I, nº 13 : « Nostrum autem harum rerum Doctorem natum ad hoc munus » i. e. : ad revelandum et docendum.

Et omnia a Christo accepimus et gratuita et naturalia. Nam Dialog. cum Tryphone, nº 85 : « Reges et Christi omnes ab eo habuerunt, ut et Reges et Christi vocarentur ; quemadmodum et ipse a Patre accepit ut Rex et Christus esset et sacerdos et angelus. »

Et secum concors Christum prædicat figuratum ligno vitæ, et Adamum ad imaginem Christi creatum. Christo tribuit verba Proverbiorum. Hæc omnia cohærent et unam eamdemque sententiam verbis diversis proferunt. Cf. p. 50, 61, 82, 108, 117, 129.

S. MELITO (170). Supersunt ex ipsius operibus tantum fragmenta seu potius citationes. Scimus tamen eum dixisse Adamum creatum fuisse *quoad corpus* ad imaginem Dei, ergo Christi ; ipsum gessisse figuram Christi et Christum fuisse α et ω, principium et finem. Cf. p. 50, 61, 199.

ATHENAGORAS (175). Lege ipsius Verba p. 83. Expressis terminis indicat decretum Incarnationis ut principium omnium operum.

S. THEOPHILUS ANTIOCHENUS EPISC. (180) (1)

1. Sans être toujours parfaitement clair quand il traite de la personne du Saint-Esprit, cependant il (Théophile) la distingue nettement du Père et du Fils sous le nom de sagesse : « Dieu a engendré avec la sagesse le verbe caché en lui, en le produisant hors de son sein avant la création de l'univers. » (Alzog. Patrol t. I Trad. Belet.) — Hæc productio Verbi ad extra per Patrem et Spiritum sanctum certo certius decretum Incarnationis dicit.

prædicat etiam decretum Incarnationis fuisse principium operum Dei ad extra. Cf. p. 72, 83, 108.

S. IRENÆUS, Episcopus Lugdunensis, discipulus S. Polycarpi. Anno Domini 202 decessit martyr. Vere dicitur interpres Ecclesiæ orientalis et occidentalis. In suo præstantissimo opere « Adversus Hæreses » copiosissima præbet argumenta pro Primatu Christi (1).

Sic procedi potest :

« Impossibilis est homo videre Deum. Secundum magnitudinem quidem ejus et mirabilem gloriam nemo videbit Deum et vivet. » Lib. IV C. 20, n° 20. Idem ibid n° 4-5.

Tamen si Deus est invisibilis non est ignotus : « Etenim per ipsam conditionem revelat Verbum Conditorem Deum et per mundum fabricatorem mundi, Dominum. » (Lib. IV C. 6, n° 6). — Est duplex notitia Dei : *naturalis*, ex operibus, et *supernaturalis* per revelationem ; nam :

« Dominus autem non in totum non posse cognosci et Patrem et Filium dixit ; cæterum supervacaneus esset adventus ejus. Quid enim huc veniebat ? An uti diceret nobis : Nolite quærere Deum ; ignotus est enim et non invenietis eum ? » (Lib. IV, cap. 6, n° 4).

Idem dicendum de angelis :

« Quomodo autem et ignorabant vel angeli... Deum quando in ejus propriis essent, et creaturæ existerent ejus et continerentur ab ipso ? Invisibilis quidem poterat eis esse propter eminentiam, ignotus autem nequaquam propter providentiam... Unde etiamsi nemo cognoscit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater et quibus Filius revelaverit ; tamen hoc ipsum omnia cognoscunt quando ratio mentibus infixa moveat ea et revelet eis quoniam est unus Deus omnium Dominus. » (Lib. II, cap. 6, n. 1.)

1. Hanc discussionem excerpsi ex opere præstantissimo R. P. Risi O. S. J. de Deo. *Sul motivo primario dell'Incarnazione* etc. 4 vol. Ponte Quattro capi, Roma

Notitia autem supernaturalis est vita hominis. « Vita autem hominis visio Dei. Si enim quæ est per conditionem (per creationem) ostensio Dei vitam præstat omnibus in terra viventibus, multo magis ea quæ est per Verbum manifestatio Patris, vitam præstat his qui vident eum. » (Lib. IV, c. 20, n. 7).

Sed hæc visio Dei seu revelatio non fit nisi per Verbum : « Revelat autem omnibus Filius, quibus velit cognosci, Patrem... Sic in Evangelio. (Joan, I, 18) : Deum nemo vidit unquam, nisi Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » (Lib. IV, c. 20, n. 6).

Sed quomodo Filius cognoscibilior *erit Patre ?* Audi S. Doctorem :

« Neque enim Patrem cognoscere quis potest nisi Verbo Dei, id est, nisi Filio revelante ; neque Filium sine Patris beneplacito. Bonum autem placitum Patris Filius perficit. Mittit enim Pater, mittitur autem et venit Filius. » (Lib. IV, c. 20, n. 3).

Beneplacitum ergo Patris necessarium ut cognoscatur Filius est Incarnatio Verbi. Et solummodo per Verbum incarnatum revelatur Pater :

« Omnibus igitur revelavit se Pater, omnibus Verbum suum visibile faciens... Per ipsum Verbum visibilem et palpabilem factum Pater ostendebatur. » Lib. IV, c. 6 et jam cap. 5, n° 1, dixerat : « Quoniam impossibile erat sine Deo discere Deum, per Verbum suum docet homines scire Deum. »

Et hoc dicitur non solum de homine, sed et de angelo : « Omnia autem Filius administrans Patri perfecit ab initio usque ad finem et sine illo nemo potest cognoscere Deum.(Lib. IV, c. 6, n° 7).

» Semper autem coexistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem angelis et archangelis et Potestatibus et Virtutibus et omnibus quibus vult revelare Deus. » (Lib. II, c. 30, n° 9).

Quærenti autem : « Si hoc dicat aliquis : quid enim ?

non poterat ab initio Deus perfectum fecisse hominem ? (1), » sic respondet :

« Deus ipse quidem potens fuit præstare perfectionem ab initio ; homo autem impotens percipere illam : infans enim fuit. Et propter hoc Dominus noster in novissimis temporibus recapitulans in semetipso omnia, venit ad nos non quomodo ipse poterat, sed quomodo illum nos videre poteramus. Ipse enim in sua inenarrabili gloria ad nos venire poterat, sed nos magnitudinem gloriæ ipsius portare non poteramus (Lib. IV, cap. 38, nº 1.)

»... Quemadmodum enim mater potest quidem præstare perfectam escam infanti, ille autem adhuc non potest robustiorem se percipere escam ; sic et Deus, ipse quidem potens fuit præstare perfectionem ab initio, homo autem impotens percipere illam : infans enim fuit. Et propter hoc quasi infantibus, ille qui erat panis perfectus Patris, lac nobis semetipsum præstavit, quod erat secundum hominem ejus adventum, ut quasi mamilla carnis ejus enutriti et per talem lactationem assueti manducare et bibere Verbum Dei et eum qui est immortalitatis Panis, qui est Spiritus Patris in nobis ipsis continere possimus. » (Ibidem.)

Idcirco affirmat hominem creatum fuisse quoad corpus ad imaginem Verbi incarnati (Lib. V, c. 62, 1) ; Salvatorem præexstitisse salvando i. e. Adamo et revera angelo. Nam :

« Unde et a Paulo *typus futuri* dictus est ipse Adam (Rom., V, 14) quoniam futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabricator Verbum præformaverat, præformante (alias *prædestinante*) Deum primum animalem hominem, videlicet, ut a spirituali salvaretur. Cum enim preæxisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri ut non vacuum sit salvans. »

Lege nunc verba S. Ireneæ quæ opponuntur Primatui Christi. Nam ipse annumeratur inter eos qui *formaliter*,

1. Id est, beatum.

expressis verbis docent quod si Adam non peccasset Verbum in carne minime fuisset. Ita enim (Cont. Her. lib. V, cap. 14) : « Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum fuisset. »

S. Irenæi sententia patet in verbis supra citatis : « Cum enim præexisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri ut non vacuum sit salvans ». — Ex Irenæo Christus salvans fuit Adamo gratiam infundendo. Cui sententiæ nullo modo contradicunt objecta verba, sed cum ea concordant.

Irenæus ergo est Primatûs Christi acerrimus propugnator. *Hæc ab ipsomet datur conclusio :* « Libri sancti docent de Christo eum esse Filium Dei... eum ut primitias creationis a Deo egressum, sicut genitus est ex Maria. » (Anal. Sac. Spicil. Solesm., l. 4, p. 300.) Cfr p. 50, 118.

§. II. De his qui sæculo III floruerunt :

S. Hippolytus, Episc. Portuensis (222) loquitur etiam de Verbo insito et prolatitio; Verbum prolatitium dicit Filium a decreto Incarnationis.

(Ad vers. 3, cap. VIII, ad Rom.) : « Qualem igitur Filium suum Deus per carnem misit nisi Verbum, quod a principio scilicet Filium vocavit, quia futurum erat ut ortum caperet ? Et cum Filius vocatur commune nomen amoris erga hominem sumit. Nec enim Verbum per se et sine carne perfectus Filius fuerat, cum tamen esset perfectum Verbum unigenitum. Neque caro per se sine Verbo subsistere poterat ; quia in Verbo habebat suam subsistentiam... »

Et alibi in Bar., III, 38 : « Hunc (Verbum insitum) visibilem fecit, ut mundus videns eum, qui apparuit, salvus fieret. » Ergo a principio Verbum vocatur Filius quia incarnandus est ; et incarnatur ut salventur et gratificentur creaturæ.

In quodam fragmento contra omnes hæreses, S. Hyppolytus sic de motivo Incarnationis : « Propter hoc enim

factus est homo universorum Deus, ut carne quidem passibili patiens totum nostrum morti venditum redimeret genus, impassibili vero Deitate per carnem mirabiliter operans ad immortalem illud, et beatam reduceret vitam, de qua ceciderat, diabolo parens, atque sanctos intellectualium substantiarum cœli ordines ad inconvertibilitatem, mysterio suæ stabiliret incorporationis. Cujus opus omnium in eum recapitulatio est. » — Verbum incarnatum dicitur ergo gratificator et Salvator angelorum. Hæc enim *inconvertibilitas* nihil aliud est quam beatitudo.

Hoc aliis verbis hujus fragmenti cap. VIII affirmat S. Doctor. « Pie confitetur credens, quia propter salutem nostram et ut ad inconvertibilitatem ligaret *universitatem*, universorum conditor ex sanctissima semper Virgine Maria per conceptionem inviolabilem sine conversibilitate substantians sibimet animam intellectualem cum sensivo corpore natura factus est homo. » Distinguit hìc nostram salutem ab inconvertibilitate universitatis ; ergo de angelis etiam loquitur. (Cf p. 61, 129, 185.)

ORIGENES (240) copiose citatus est p. 44, 52, 61, 73, 83, 108, 120, 130, 186, 198. Ibi multipliciter affirmat angelos a Christo accepisse gratiam. Dicit etiam quod *in principio* genesis Christum significet ; Adamum ad similitudinem Christi formatum fuisse ; Christum esse primogenitum omnis ceaturæ et finem rationabilis creaturæ ; ipsum esse α et ω, etc.

Duo opponuntur, ait P. Risi, ex scriptis Adamantii quæ videntur contraria supradictis :

I° In Joann., Lib.VI, n° 3. Si non homo peccasset « fortasse sola Sapientia, vel Verbum, vel Vita, atque etiam omnino Veritas permaneret, haud tamen omnia alia nomina quæ nostri causâ assumpsit » ; non fuisset scilicet nec Lux nec Pastor...

Respondendum quod Origenes utatur hoc vocabulo « Lux » per oppositionem tenebris non simplicis ignorantiæ sed peccati, et vocabulo « Pastor » per relationem

ad ovem *perditam* ut videre est in Psal. XLVIII, 13, 21 : « Fit (Verbum) lux hominum, quando homines a vitio obscurati luce egent lucente in tenebris et a tenebris non apprehensa ; lux non futurus nisi homines obscurati fuissent... forte etiam hominis Pastor futurus non erat si comparatus homo jumentis insipientibus non fuisset, neque similis illis factus. »

Dicit ergo Origenes quod Incarnatio *redemptrix* non fuisset nisi homo peccasset. Etenim :

In Joann. T. VI, n° 3 : « Simile considerare possumus de eo quod dicitur *Primogenitus ex mortuis*. Nam si ponamus mulierem deceptam non fuisse, nec Adam deliquisse sed creatum hominem ad immortalitatem, immortalitatem obtinuisse, neque in pulverem mortis descendisset Christus, neque mortuus fuisset non existente peccato ; aut erga humanum genus amore moriendum illi fuisset. » — Apertis dicit verbis quod Christus, Adamo non peccante, extitisset.

II° Homil. XXIV in Numeros dicit Origenes : « Pone Verbi gratia non fuisse peccatum. Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari ; sed mansisset hoc quod in principio erat Deus Verbum. Verum quoniam introivit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit et propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit provideri hostiam pro peccato. » Sic Thomass., Lib. II, c. 5. de Inc. (1).

Hæc verba explicanda sunt adhibita distinctione inter « munus » et « sacrificium pro peccato ». Etenim ut supra videre est (Homil. II in Levit. n° 3) « Qui (Jesus) in Cœlis quidem non pro peccato sed pro munere oblatus est. » Hæc « oblatio pro munere » omnino independens a peccato Adami ponit jam Incarnationem Verbi. Vide etiam superius citata Origenis verba ex Hom. I in Levit. n° 3. p. 130.

1. Hæc recitantur etiam a P. Hilario O. M. C.

TERTULLIANUS (245). Percelebre est illius dictum : « Recogita totum illic Deum occupatum... Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. » — Non sunt hæc inopinata verba. Nam sibi constans prædicat decretum Incarnationis præcessisse creationem ; creationem Adami non fuisse tantum opus Dei quam pignus ; ergo opus Dei fuit Incarnatio. — Docet angelos ex Christi plenitudine accepisse ; Adam prophetasse Christum qui fuit A et Ω. (Cf. p. 51, 72, 98, 119, 132, 198.)

Ex scriptis Tertulliani duo opponuntur.

Hæc exponam ex P. Risi cum responsis.

I° Agendo de somno Adami, dicit : « Inde deducimur etiam imaginem mortis jam tunc eum recensere. Si enim Adam de Christo figuram dabat, somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, ut de injuria perinde lateris ejus vera mater viventium figuraretur Ecclesia. »

Hoc recantaverunt post Tertullianum omnes Patres. Et ex his verbis deducitur Redemptionem fuisse motivum Incarnationis. — Sed illogicè. Etenim hæc deductio adversatur sententiæ Tertulliani toties in suis scriptis Incarnationem fundamentum et principium operum Dei fuisse affirmantis.

Adverte etiam : *deducimur* ; non dicit quod Adam deducere potuisset.

Habes hujus loci explanationem in Ambrosio Catharino, præclaro Primatûs Christi defensore. Etenim (enarrat. in priora V cap. Geneseos) : « Attende studiose, lector. Primum cogitare debes in primo Adamo significari Christum... Ille igitur Adæ sopor *eleganter extensus* est ad significandam Christi mortem. »

Dici potest quod, Adamo non peccante, Ecclesia adducta fuisset e latere Christi dormientis, i. e. ex corde seu amore ipsius a sensibus abstracti.

II° De carne Christi, cap. VI respondens Marcionitis qui dicebant non esse mirandum Corpus (Christi fuisse)

sine nativitate cum et apud nos angelis licuerit nulla uteri opera in carnem processisse... » sic :

« Qui carnem Christi ad exemplum proponunt angelorum non natam dicentes scilicet carnem, comparent velim causas tam Christi quam et angelorum, ob quas in carnem venerunt. Nullus unquam angelus ideo descendit ut crucifigeretur, ut mortem experiretur, ut a morte ressuscitaretur. Si nunquam ejusmodi fuit causa angelorum corporandorum, habes causam, cur non nascendo acceperint carnem. Non venerant mori, ideo nec nasci At vero Christus mori missus, nasci quoque necessario habuit ut mori posset. Non enim mori solet nisi quod nascitur. »

Ex his verbis adversarii Primatûs Christi opponunt Incarnationem factam fuisse propter redemptionem. Distinguo : Redemptio fuit motivum secundarium Incarnationis in carne passibili, concedo ; fuit motivum primarium Incarnationis (quod ex verbis Tertulliani erui nequit), nego.

S. CYPRIANUS,(258) Test.Cont. Judæos, cap.4, cui titulus « quod idem angelus et Deus Christus » tribuit Verbo Theophanias ; et cap. XXVIII cui titulus « quod perveniri non possit ad Deum Patrem nisi per Filium ejus Jesum Christum » refert evangelica verba Joan., XIV, 6 et X, 9.

Aperte dicit Incarnationem factam ut mediator esset Christus : *De Idol. vanit.*, c. XI : « Hujus igitur gratiæ disciplinæque arbiter et magister Sermo et Filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes retro illuminator et doctor humani generis prædicabatur. Hic est Virtus Dei, hic Ratio, hic Sapientia ejus et gloria. Hic in Virginem illabitur, carnem Spiritus S. induitur, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est esse Christus voluit ; ut et homo possit esse quod Christus est. »

Dicit Christum fuisse occasionem ruinæ angelicæ.

Nam (Lib. Patient., cap. XIX) dicit invidiam fuisse peccatum Luciferi : « Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit, inde et periit primus et perdidit. » Revera hic agitur de Deo incarnato. Quia angelus perfectius exprimit Deum non incarnatum quam homo.

Nihil mirum proinde quod Cyprianus dicat Christum esse sapientiam de qua Salomon in Proverbiis : *Dominus possedit me ;*

Esse primogenitum per quem omnia facta sunt ;

Esse A et Ω, etc. (Cf. p. 52, 84, 108, 118, 198.)

CLEMENS ALEXANDRINUS (300). Clemens dicit quod Verbum sit revelator. Nam Pedag., lib. I, cap. 7 ; « Facies autem Dei est Verbum quo Deus illuminatur et cognoscitur. »

Verbum illuminator et revelator non est Verbum in sinu Patris absconditum, sed Verbum incarnatum. Etenim, lib. Strom., VII, nº 10 : « Apostolus appellavit Filium characterem gloriæ Patris, qui veritatem de Deo docuerit et expresserit quod Deus Pater unus est.

» Qui docet hominen scientiam, ut ait Propheta (Ps. XCIV, 10), est Dominus per os hominis Dominus operans. *Ideo carnem quoque accepit.* »

Verbum ergo carnem accepit ad docendum hominem scientiam et hoc opus perfecit a *prima mundi constitutione* : « Quoniam autem unum est ingenitum nempe Deus omnipotens, unum est etiam prægenitum per quod omnia facta sunt et sine ipso factum est nihil. Unus est revera Deus, qui fecit principium universorum, significans Primogenitum Filium, scribit Petrus, præclare intelligens illud : in principio fecit Deus cœlum et terram. Is autem dictus est Sapientia ab omnibus prophetis. Is est magister omnium quæ orta sunt, Dei consiliarius qui præscivit omnia. Is autem ab alto, a prima mundi constitutione multifariam, multisque modis et docuit et perfecit. Unde merito dictum est : ne dixeritis vobis magistrum super terram. (Mat. XXII, 8.) »

Ergo ex Clemente Verbum factum est principium

universorum ; nequit esse factum nisi per Incarnationem. — Sed hoc Verbum incarnatum est principium omnium rerum, in quo fundantur seu exstruuntur omnia. Quod hic agatur de Christo plane exponunt hæc verba « Dei consiliarius », ut dicit Isaias de Messia, IX, 6 ; et « magister » ex Math.

Quæ tribuit S. Petro qui « *præclare intelligens illud : in principio* » referenda sunt ad I Epist., c. 1, v. 20 : præcogniti (Agni immaculati) ante mundi constitutionem. » Cfr. P. Risi.

Omnia ergo cohærent in scriptis Clementis Alex. Christus enim solus creatus fuit ad imaginem et similitudinem Dei, alii homines ad solam imaginem ; primo quidem præcognitus ante omnem creaturam ; Verbum « per quem omnia facta sunt » erat magnus sacerdos ; solus revelator Patris est Verbum et ut Patrem revelaret accepit carnem ; Verbum est sacerdos magnus per quem omnia facta sunt ; in ipso condita sunt omnia. Cf. 44, 52, 73, 120, 130.

Idacius seu Ithacius Clarus Episc. (308) affirmat verba Proverbiorum « Dominus creavit me, etc., » de Christo dicta fuisse, quia, ait, Paulus Christum secundum humanæ naturæ substantiam creatum affirmat. Est ergo Primatûs propugnator. Cf. p. 92.

S. Methodius (312) prædicat Christum fuisse principium et lignum vitæ ; fuisse figuratum ab Adam innocente ; ipsum confirmasse angelos ; ad Christum « in recto sanoque sensu Adamum referendum esse. » Cf. p. 44, 52, 62, 147, 188.

Petrus alexandrinus (316) dicit Christum fuisse mediatorem Dei et hominum, salutem *omnium*, aurigam cherubim, angelorum antesignanum. Cf. p. 144.

S. Alexander Alexandriæ Episc. (315 ?), primus Arii impugnator quem et deposuit, irritas fecit omnes hæreticorum objectiones, proposita distinctione, quâ usi sunt in posterum omnes doctrinæ catholicæ defensores. Dicendo ergo de Christo : *Dominus creavit me initium,*

etc. S. Alexander propugnavit Primatum Christi. Cf. p. 84.

§ III. — DE HIS QUI SÆCULO IV FLORUERUNT.

LACTANTIUS (317) expresse loquitur de Verbo insito et prolatitio. Etenim Institut. divinorum, lib. IV, cap. XXIX : « Cum dicimus Deum Patrem et Deum Filium, non diversum dicimus nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur et Pater Filium faciat et Filius Patrem, una utique mens, unus spiritus, una substantia est. » (P. L. 6, 538.)

En Verbum insitum. Audi autem de Verbo prolatitio loquentem (ibidem, lib. I, cap. VIII):

« Cum esset Deus ad excogitandum prudentissimus, ad faciendum solertissimus, antequam ordiretur hoc opus mundi, quoniam pleni et consummati boni fons in ipso erat sicut est semper, ut ab eo bono tanquam rivus orietur, longèque proflueret, produxit similem sui Spiritum qui esset virtutibus Dei Patris præditus... Exortus igitur Deus fabricam mundi, illum primum et maximum filium præfecit operi universo, eoque simul et consiliatore usus est et artifice in excogitandis, ornandis, perficiendisque rebus. » (Ibid., lib. IV, cap. VI.) « Deus igitur machinator constitutorque rerum antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, sanctum et incorruptibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncuparet...

» Videlicet ipse est Dei Filius qui per Salomonem... locutus est : « Deus condidit me in initio viarum suarum. » (Ibid., col. 461.)

Incarnationem dicit Lactantius factam ut Pater dignè coli possit ; nam solus Filius i. e. Verbum prolatitium seu Christus potest Patrem colere ; solus potest vitam et salutem dare ; solus doctrinam perfectam tradere. Nam (ibid., lib. IV, cap. XXIX) : « Non potest igitur ille summus ac singularis Deus nisi per Filium coli ; qui solum Patrem se colere putat, sicut Filium non colit, ita ne

Patrem quidem. Qui autem Filium suscipit et nomen ejus gerit, is vero cum Filio simul et Patrem colit quoniam legatus et nuntius et sacerdos summi Patris est Filius. Hic templi maximi janua est, hic lucis via, hic dux salutis, hic ostium vitæ ». (Ibid., col. 539-40.)

(Ibid., cap. XXII.) « Negant (adversarii) Deo dignum ut homo fieri vellet... quasi non facile illi esset citra corporis imbecillitatem se hominibus ostendere, eosque justitiam docere » (Ibid., col. 518.)

Cap. XXIV respondet Lactantius : « Liquido ergo apparet qui vitæ dux et justitiæ sit magister, corporalem esse oportere nec aliter fieri posse ut sit illius plena et perfecta doctrina... » (Ibid., col. 523.)

S. ATHANASIUS ALEXANDRINUS, Doctor (320) dicit Christum præfiguratum fuisse in statu innocentiæ ; creatum seu possessum fuisse ut initium operum Dei ; prædestinatum fuisse ante omnes electos ; fuisse principium salutis pro hominibus et pro angelis. Pluries affirmat causam unctionis i. e. Incarnationis fuisse ut et ipsi ungi possemus in ipso.

Multa tamen objiciuntur ex S. Doctore quæ videntur Primatui Christi adversantia. In primis hæc ex P. Hilario : « Illi enim facto homini (Christo) antecedit hominum necessitas, sine quâ carnem minime non induisset. » (Or. II cont. Arian., 54.)

Resp. : Hæc concordant cum aliis textibus, ex. g. : « Salvator... nobis hominibus dedit ut *exaltaremur* et *resurgeremus.* » (Ps. XLIV, 46.) Exaltavit Adamum infundendo gratiam et ut esset salvator antecessit ipsius necessitas ; dedit lapso ut resurgeret ; hic etiam antecessit hominis necessitas ut Christus esset Redemptor.

In aliis verbis quæ opponuntur si non adest alia explicatio, admittenda erit responsio divi Thomæ : « Ad ea vero quæ in contrarium objiciuntur (ex Patribus) potest responderi secundum aliam opinionem quod auctoritates illæ loquuntur de adventu in carnem passibilem ad redimendum, redemptio enim non fuisset, nisi servitus peccati

præcessisset, et non de adventu in carnem simpliciter. » (In III Sent., d. I, q. I, art. 3.) Cfr p. 53, 62, 85, 108, 122, 134, 187.

S. Chromatius (324) propugnat Primatum Christi dum dicit quod Redemptio imaginem Christi in homine reformaverit. Cf. p. 55.

S. Eustathius, episcop. Antioch. (326) prædicat Christum fuisse prototypum imaginis, et principium omnium bonorum et designatum verbis Proverbiorum : Dominus creavit me. Cf. p. 54, 84.

Eusebius Pamphil. (330) Occasione textûs Proverbiorum vidimus quod Eusebius fuerit assertor Primatûs Christi. Idem prædicat dicendo Christum fuisse mediatorem « Dei et hominum et *omnium insuper generatorum* »; « primitias nostras a Verbo assumptas fuisse etc. ». Verbo tribuit duplicem generationem. Cfr 54, 100, 101, 123, 147.

Paulus episc. Emesinus (330). Præsente B. Cyrillo archiep. Alexandrino et ab ipso laudatus habuit orationem Paulus in quâ dixit, in Christo universæ visibili et invisibili creaturæ solidam salutis spem esse. » Cf. p. 142.

S. Cæsarius, S. Greg. Naz. frater, (350) textum Proverbiorum Christo applicat et ipsum in divina intentione ante mundum exstitisse affirmat. Cf. p. 87.

S. Gregorius Neocæs. seu Thaumat. (350 ?) Christum esse primogenitum propter carnem assumptam et unigenitum propter divinitatem affirmat. Dicit etiam quod bonus Pastor propter ovem errantem e cœlis descendit. Ergo jam Pastor. Cf. p. 109, 132.

Audius ex S. Epiphanio fuit propugnator Primatûs Christi nam « præfracte referendum ad corpus existimabat quod ad imaginem Dei creatus Adamus dicitur. » Sed corpus est in solo Christo Deo. Ergo ad imaginem Christi...

S. Gregorius Nazianzenus, Doctor (360) unionem Christi et Ecclesiæ figuratam dicit in matrimonio Adam et Evæ ; de Incarnatione explicat verba Proverbiorum

Dominus creavit me ; Christum dicit primogenitum creaturæ quia « causa est cur creatura e nihilo ad esse producta sit » ;

Hæc verba ad Ephes. II, 10 : « creati (sumus) in Christo Jesu etc. » non de baptismate sed de creatione interpretatus est Greg. Naz. ;

Christum dicit unicum Pastorem et lapidem angularem templi cujus lapides sunt et sancti et angeli et omnia pro illo condita fuisse. Cf. 62, 86, 116, 122, 138, 186.

Ex Gregorio Nazianzeno hæc objicit P. Hilarius : « Quæ autem humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa exstitit ? Profecto ut nobis salus pararetur. Quod enim aliud causæ afferri possit ? » (Or. theol. 4., n° 2°).

Resp. : In his verbis nihil inveniri potest quod impugnet Primatum Christi. Nam Christus primogenitus est mediator et principium salutis pro angelis et hominibus.

Attamen verius videtur hæc theologi ex Orat. XXXVIII, n° 13, objici : « Validiori medicamento propter graviores morbos opus habere cœpit... Istud autem erat ipse Dei Filius, ille sæculis antiquior, ille invisibilis,... ille archetypi expressio... ille, inquam, ad imaginem suam se confert et carnem ob carnem gerit et cum intellectuali anima propter animam meam jungitur, ut simile per simile repurget. »

Theologus hic agit de Incarnatione in carne *passibili.* Etenim audi eum loquentem : « O novam commixtionem, o admirandam temperationem !... Divinam imaginem accepi nec custodivi ; ille carnis meæ particeps fit, ut et imagini salutem et carni immortalitatem afferat. Secundum consortium nobiscum init et quidem primi longe admirabilius : tunc enim quod præstantius erat, nobis impertiit et nunc ipse, ejus quod deterius est particeps efficitur. Hoc, priori illo divinius ; hoc apud cordatos et prudentes viros, multo sublimius. » P. G. 36, 635.

Quod præstantius indicat divinam imaginem et *quod deterius* humanitatem in peccatum delapsam.

S. Macarius Senior (360). Dicit Incarnationem

factam fuisse ut Deus uniri posset suis creaturis, hominibus et angelis. Cf. p. 148.

Marcellus Ancyranus Episc. (360) Fuit amicus S. Athanasii et textum Proverbiorum de carne Christi interpretatus est, p. 86.

Faustinus Presbyter (368). De Christo interpretatus est Prov. VIII, 22. « Initium ergo viarum Domini creata est et in opera Domini creata est Sapientia. » Cf. p. 91.

S. Hilarius Doctor (368). Dicit in Christo et in Ecclesia adimpletum esse quod de matrimonio dictum fuit ; Evam credidisse non Christo sed diabolo ; Adam prophetavisse Christum ; affirmat *indoctè* locutos fuisse qui non de carne Christi verba Proverbiorum interpretati sunt ; angelos hausisse gratiam ex Christo prædicat.

Addendum videtur quod P. Risi exponit de mente Doctoris quoad scopum Incarnationis. Hæc summatim dicit :

1° *Patrum Antenicenorum vestigiis insistens, scopum Incarnationis esse revelationem Dei affirmat :* « Neque enim nobis ea natura est, ut se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat. Adsit licet doctrinæ elaborata institutio, adsit vitæ innocentia : hæc quidem proficient ad conscientiæ gratulationem, non tamen cognitionem Dei consequentur. » (Lib. V de Trin. n° 21.)

« Non potest Deus nisi per Deum intelligi. » (Lib. III de Trin. n° 20.)

« Natura enim carnis Dei non patitur aspectum, ipso docente Exod. XXXIII, 20: Nemo videbit hominum faciem meam et vivet. » (In Ps. 139, n° 17.)

Sed « Est Filius... invisibilis ab invisibili. » (Lib. II de Trin. n° 11.)

Attamen : « Habes ergo Deum in terris visum et inter homines conversatum... Pater certe nonnisi soli Filio visibilis est : qui ergo iste est qui est visus et conversatus inter homines ? Deus certe noster est et visibilis in homine... Unus est enim mediator Dei et hominum,

Deus et homo, et in legislatione et in corporis assumptione mediator. Alius igitur ad eum non deputabitur... (Et omnes Theophanias Verbo adscribit.) Non potest Deus nisi per Deum intelligi : nec honorem a nobis Deus, nisi per Deum accipit. Namque honorandus esse non intelligetur, nisi iste docuerit honorandum ; nec Deus scietur nisi hic Deus scitus sit. Habet dispensatio sacramentorum suum ordinem : ad Dei honorem per Deum docemur. » (Lib. V de Trin. n° 20.)

Sed Filius visibilis et proin Doctor non est nisi per naturam humanam : « Ea autem quæ Ei sunt secundum Corpus, quod assumpsit, bonitatis ejus ad salutem nostram voluntas est. Invisibilis enim et incorporeus et incomprehensibilis, utpote a Deo genitus, tantum in se et materiæ et humilitatis recepit quantum in nobis erat virtutis ad intelligendum se et sentiendum et contuendum, imbecillitati nostræ potius obtemperans, quam de his, in quibus erat ipse deficiens. » (Lib. III, Trin. n° 3.)

«... Si enim cognitus fieri Deus homini nisi assumpto homine non potuit, quia incognoscibilem cognoscere nisi per naturam nostram natura nostra non potuit, et per hanc cognitionem homo qui deputatur necesse est, ut in id deputetur in quo Deum ipse cognovit, scilicet, ut conformis Deo fiat, quia hæc sit deputatio cognitionis indultæ. » (Ibid. n° 8.)

II° *Secundum Hilarium principale motivum Incarnationis ex parte hominis est necessitas mediatoris ut doceatur :* Nam :

a) « Humani enim generis causa Dei Filius natus ex Virgine et Spiritu Sancto... ut homo factus ex Virgine naturam carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret, ut quemadmodum omnes in se per id, quod corporeum se esse voluit conderentur, ita rursum in omnes ipse, per id, quod ejus invisibile referretur. » (Lib. II de Trin., n° 24.)

b) « Hoc opus maximum Filio fuit ut Patrem cognosceremus. » (Lib. III, n° 22.)

c) « Summa dispensationis est Filio, ut noveris Patrem. » (Ibid.)

d) « Causam generis humani habens Dei Filius, primum ut sibi crederetur homo factus est : ut testis divinarum rerum nobis esset ex nostris, perque infirmitatem carnis Deum Patrem nobis infirmibus et carnalibus prædicaret. » (Ibid., n° 9.)

e) « Proprium enim Di nostri Jesu Christi officium est cognitionem Dei afferre et intelligentiam nominis ejus potestatisque præstare. » (In Math., c. XXIII, n° 6.)

f) « Domino nostro Jesu Christo unigenito Dei Filio, qui omnia humanæ salutis sacramenta tanquam juratus explevit... hoc opus maximum fuit ut hominem ad scientiam divinam eruditum, dignum habitaculo Dei redderet. » (Ps. 131, n° 6.)

Quod dicit S. Doctor exponendo verba Prov., VIII, 22, confirmat quod supra : « Et quærendum est quid sit natum ante sæcula Deum, rursum *in initium viarum Dei et in opera creari.* Quia ubi ante sæculum est nativitas, infinitæ generationis est æternitas, ubi vero est creatio, eadem in vias Dei, atque in opera ejus, operibus ac viis causa creationis aptata est. Ac primum quia Christus Sapientia est, videndum est an ipse sit initium viæ operum Dei. Nec, ut opinor, ambigitur. Ait enim : *Ego sum via... et nemo vadit ad Patrem nisi per me* (Joan., XIV, 6). Via est dux euntium, festinantium cursus, ignorantium securitas ; et quædam nescitarum ac desideratarum rerum magistra. Ergo in viarum initium in opera Dei creatur : quia et via est, et deducit ad Patrem. Sed creationis hujus, quæ a sæculo est ratio quærenda est. Nam ultimæ dispensationis sacramentum est, quo etiam creatus in corpore, viam se Dei operum est professus. Creatus autem est in vias Dei a sæculo, cum ad conspicabilem speciem subditus creaturæ, habitum creationis assumpsit. » (De Trin. XII, 35.)

Hic ergo Doctor affirmat Christum fuisse decretum priorem aliis creaturis et scopum Incarnationis quoad creaturas esse ut deduci possent ad Patrem.

Nota etiam quod Doctor tam expressè locutus fuerit de Incarnatione, ut independente a Redemptione, quod Claudianus Mamertus Episc. Viennensis (V° sæc.) Hilario objecerit quod Christum doloris expertem fecisset. Quam accusationem suam fecerunt Berengarius (sæc. XI), Joannes Præpositus (sæc. XII), Erasmus et Baronius ipse (Annal. ad annum 565, n° 4). Dilucide autem hunc errorem a scriptis S. Doctoris alienum esse probaverunt B. Lanfrancus, Petrus Lombardus, S. Thomas et S. Bonaventura. Ut autem Doctoris Angelici verbis utar (3 p., q. XV, art. 5 ad 1um) : « In omnibus illis verbis et similibus Hilarium a carne Christi non veritatem doloris sed necessitatem excludere voluisse. »

Concludendum ergo quod certo certius S. Doctor in omnibus suis operibus Primatum Christi propugnaverit. Cf. p. 62, 73, 88, 132, 186.

S. BASILIUS CÆSARIENSIS Doctor (370) Christum prædicat ad cujus imaginem Adam creatus est ; et causam salutis pro angelis ; de Christo interpretatur verba Proverbiorum VIII, 22. Cf. p. 88, 103, 109, 136, 186.

S. EUSEBIUS EPISC. VERCELLENSIS (370) primo genitum dicit Christum propter assumptam carnem. Cf. p. 110.

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS Doctor (370) expresse prædicat scopum Incarnationis quoad homines esse ipsorum exaltationem ; Incarnationem necessariam fuisse ad Deum revelandum ; unum esse Pastorem et unum ovile, de quo ovili sunt angeli ; Chistum esse sacerdotem a Patre *ante sæcula* — quod intelligi nequit nisi de decreto Incarnationis. Cf. 137.

MARIUS VICTORINUS (372) dicit in Christo Deum omnia fecisse ; Christum exstitisse (in decretis divinis) ante nos quia « elegit nos in Christo » ; causam omnium rerum (et mundi et liberationis nostræ) esse in Christo,

gratiam angelorum esse a Christo. Cf. p. 44, 53, 121, 134.

S. Epiphanius (380) quæ dicta sunt de sacramento matrimonii ad Ecclesiam accommodari posse prædicat ; Adamum prophetavisse affirmat ; interpretationem verborum Prov. VIII, 22, de Incarnatione pietati consentaneam dicit et *religionem christianam floruisse ante Adamum ipsum cum Christo de Patris ac Filii et Spiritus Sancti voluntate.* Cf. 63, 73, 89, 103, 140, 199.

S. Gregorius Nyssenus Doctor (380) Adamum creatum ad similitudinem Incarnationis Verbi dicit et de Christo interpretatur Proverb. VIII, 22 ; ipsum primogenitum prædicat propter carnem ; omnes qui bonum aliquod adepti sunt in Christo esse qui omne bonum continet ; in principio unum fuisse chorum naturæ rationalis et peccato hominem ab illâ cum angelis societate avulsum fuisse. Cfr p. 54, 88, 103, 110, 123, 140.

S. Didymus Alexandrinus (380) copiose probat Primatum Christi, ipsum prædicando primogenitum omnis creaturæ et etiam hæredem universorum propter Incarnationem et dicèndo ad Ecclesiam angelos pertinere et ipsos a Christo accepisse omnia dona... et Christum *per præscientiam* ante omnem creaturam ex sancta Virgine natum esse. Cfr p. 87, 109, 139, 189.

Philo Carpathiorum Episcopus (380) distinguit inter Ecclesiam per humanitatem Jesu Christi fundatam et ejus pretiosissimo sanguine redemptam Ecclesiam Cf. p. 73, 147.

S. Zeno, Episc. Veronensis (380) « In principio Genesis » Christum designare affirmat ; Adamum ad imaginem ejus qui de cœlo est creatum prædicat et unum esse iter aerei culminis angelis lucis et justis hominibus ; Verbum insitum et prolatitium admittit. Cf. p. 44, 53, 121, 144.

S. Philaster Episc. Brixiensis (387) Incarnationem dicit ad Deum revelandum factam fuisse ; multis argumentis probat gratiam Adami innocentis a Christo velut e fonte derivasse. Cf. p. 142.

S. AMBROSIUS Doctor (397). In principio i. e. in Christo Deum omnia creasse, in statu innocentiæ Christum præfiguratum fuisse, et ante tempora sæcularia prædestinatum fuisse prædicat. De Christo interpretatur verba Proverb, VIII, 22 ; Adamum cecidisse dicit quia cum Christo non stetit et propter unam mulierem reliquisse gratiam Christi et Christum fuisse caput angelorum. Cfr. p. 44, 62, 88, 144, 199.

Ex verbis S. Doctoris objiciuntur hæc : In Ps. XXXIX, nº 19 : « Ceciderat caro in paradiso antequam susciperetur a Christo... Adam cum Christo non fuit quando deceptus fuit : nam si cum Christo fuisset, in ejus præceptione mansisset, nec perire utique potuisset. » Ergo ceciderat Adam antequam decerneretur Incarnatio et cum cecidit Adam, Christus non erat ipsius caput.

S. Doctor respondet ipse : « Non mansit in Christo (Adam), quia non in ejus sermone permansit. Denique audi, qui maneat in Christo : si manseritis, inquit, in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis et fiet vobis... et... si præcepta mea servaveritis manebitis in mea dilectione... Vis scire quia cum Christo Adam non erat ? Dixit ei Dominus : Adam, ubi es ? Qui utique quasi absentem requirit, non diceret : ubi es ? si in eum manere cognosceret. Sed quis eum absentem fecerit audiamus. *Absconderunt se ambo a facie Domini.* — Omnes videt Christus sed qui se abscondit, absconditur : quoniam qui ignorat ignoratur... Utinam tu homo non fugias, et te ipse a Christo non abscondas ! Ille etiam fugientes requirit, et absconditos non vult perire ; sed clamat dicens : Adàm, ubi es ? Ego te in lumine posui, tu tenebras requisisti ! »

PHILO (400) Verbum dicit esse Summum Pontificem ; ergo Verbum in decreto Incarnationis.

ASTERUS AMASENUS (400) Christum dicit esse fundamentum hujus mundi. Cf. p. 53, 147.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS Doctor (400) dicit Adamum prophetavisse Incarnationem ; de Verbo incarnato

interpretatus est verba Prov., VIII, 22 ; ipsum esse caput hominum et angelorum prædicat ; in hoc textu « Jesus Christus *heri* et hodie » heri, inquit, significat omne tempus præteritum. »

Citanda videntur quæ S. Doctor dicit in Sermone I de Pentec. : « Deo chara est Ecclesia ; propter Ecclesiam enim extensum est cœlum, diffusum est mare, extensus aër, fundata terra... Propter Ecclesiam scindebatur pelagus, findebatur petra, fluebat manna de cœlo...; propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli, uno propter Ecclesiam Unigenitus Dei factus est homo. » Quibus apertè docet Chrysostomus unum ex præcipuis motivis Incarnationis peractæ fuisse « Ecclesia dignum sibi caput nempe Dei Filium obtineret in carne visibilem.» Ita Frassen, O. M. Dici etiam potest quod si omnia propter Ecclesiam quæ est corpus Christi, a fortiori propter Christum qui est caput.

Objiciuntur hæc verba S. J. Chrysostomi (Hom. V in Epist. ad Heb., n° 1) : « Non est enim alia dispensationis causa quam hæc sola : vidit quippe nos humi abjectos. »

Resp. Per distinctionem D. Angelici explicanda sunt hæc verba si non adsit alia explicatio. Cf. p. 44, 63, 74, 90, 111, 123, 146.

S. AURELIUS PRUDENTIUS (405) nos esse imaginem Christi dicit et prædicat Christum natum ex corde Patris ante mundi exordium, et A et Ω cognominatum. Est ergo Christus prior decretus creaturis. Cf. p. 55, 199.

RUFFINUS PALESTINUS (415) prædicat homines in Christo creatos et Adam prophetavisse Incarnationem ; in Christo angelos fuisse creatos et ideo Christum esse eorum caput. Cf. p. 46, 74, 124. Propugnat ergo Primatum Christi.

§ IV. DE HIS QUI SÆC. V° FLORUERUNT.

ZACHŒUS CHRISTIANUS (420) expresse Primatum Christi propugnat. Dicit enim in Christo Deum creasse

cœlum et terram, in persona assumpti hominis prolata fuisse verba Prov., VIII, 22 : *primam causam qua Christus Dei Filius veniendi ad terras habuit voluntatem* fuisse ut VEL PERITURUM HOMINEM PERIRE NON SINERET *vel perditum repararet.* Cf. p. 44, 90, 154.

S. HIERONYMUS DOCTOR (420) dicit quod « In principio » Gen. I, I, magis secundum sensum quam secundum verbi translationem de Christo accipi possunt ; dispensationem quæ ante mundum, et postea, esse cœpit in mundo adventum Filii Dei pollicitam fuisse ; Adam prophetasse Incarnationem ; ad Incarnationem non ad naturam Dei referenda esse verba Prov., VIII, 22 ; angelos indiguisse plenitudine Christi ; Incarnationem fuisse causam finalem creationis. Cf. p. 44, 55, 63, 74, 90, 103, 123, 148, 189.

EVAGRIUS (420) in Christo Deum creasse dicit mundum et nos ad imaginem Christi formasse. Cf. p. 55.

S. AUGUSTINUS DOCTOR (430). In Christo Deus creavit cœlum et terram ; Christus in statu innocentiæ præfiguratus est ; Adam innocens Christum prophetavit ; Christus creatus est ut initium operum Domini ; gratia angelorum e Christo procedit ; non cecidisset Lucifer si in Christo stetisset ; una est Ecclesia quæ homines et angelos continet et Christus est caput Ecclesiæ etc. Cf. p. 45, 63, 74, 91, 111, 125, 150, 189.

Multa sunt in scriptis Doctoris quæ objiciuntur. Si plane responderi non potest semper recurrendum ad distinctionem Doctoris Angelici : « Auctoritates illæ loquuntur de adventu in carnem passibilem ad redimendum et non de adventu in carnem simpliciter. » Ita non erit contradictio in tanti Doctoris operibus; nam manifeste patet quod sit propugnator Primatûs Christi.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS DOCTOR (430) sic : « Omnia creasti in Salvatore et Rege nostro ; *creavit* (Prov., VIII, 22) pie a nobis explicandum est et ad Incarnationem referendum ; universa visibilis et invisibilis creatura, angelique non alia ratione sancti sunt præter-

quam per solum Jesum Christum ; primogenitus (Christus) quatenus secundum œconomicam unionem homo versatus est, quo et nos quoque in ipso et per ipsum secundum naturam et gratiam Filii Dei efficeremur ; si ergo propter nos creatus est Filius, non autem nos propter ipsum, erimus profecto nos illo præstantiores » etc., etc. Cf. p. 45. 92, 111, 123, 141, 142, 187.

Objicitur ; « Nisi enim peccassemus, non factus fuisset nostri similis ». (Dialog. v de S. Trinitate, circa medium, A.)

Resp. : non factus fuisset *mortalis et passibilis* concedo; non factus fuisset homo, nego. Hanc distinctionem admittendam probant S. Doctoris permultæ affirmationes contrariæ sed ipse expressis verbis ait aliam arcanam et mysticam rationem Incarnationis fuisse quam remissionem peccatorum ; nam (Dialog. de Trinitate) sic : « An eam solam ob causam unigenitus mediator esse censebitur, quod peccatum, quod nos a Dei charitate et consortio arcebat, procul repulit ? » — respondet : « Aliam prætereа ei rationem arcanam et mysticam ad mediationis nomen et rem suppetere ». Quod mysterium sic postea exponit : « Mediator igitur hoc pacto etiam censetur esse, ea, quæ natura multum dissita et immenso disjunguntur intervallo, deitatem nimirum et humanitatem, conjuncta et unita ostendens in seipso, et nos per seipsum Deo et Patri conjungens. » P. L., 9, 52. Præfatio gen. ad op. S. Hilarii.

Cassianus (430) Hæc verba Genesis « erunt duo in carne unâ » de Christo interpretatur, quia in eo duo fuerunt in carne unâ « Deus scilicet et anima ». Cf. p. 64.

Theodoretus Episcopus Cyrenensis (430) dicit Adamum creatum ad imaginem Christi « quia prævidebat (Deus) fore ut Unigenitus carnem et humanam naturam assumeret » ; angelos accepisse gratiam a Christo ; Christum esse Primogenitum propter carnem assumptam et omnia quæ in cœlis et quæ in terra sunt « propter

Christum et in Christum tendentia facta fuisse ».Cf. p.46, 56, 112, 148, 190.

S. Synesius Ptolemaïdis Episc. (430) Prædicat omnia creata fuisse propter Christum. Cf. p. 189.

S. Paulinus Nolanus Episc. (431). Dicit Christum nobis esse « generale initium quia per ipsum omnia, et speciale fastigium, quia caput corporis cujus membra sumus »; Hierusalem cœlestis ipsum esse fundamentum et turrim et portam; ipsum alpha et omega prædicat.— Ergo prior omnibus creaturis decretus Christus, fons unicus ipse gratiæ pro angelis et pro hominibus. Cf. p. 155, 190, 200.

S. Leo Magnus, Doctor (440) numeratur inter adversarios Primatûs Christi. Nam ita (Serm. 77-75, de Pent., n° 2) :

« Si homo in suo honore naturæ mansisset... Creator mundi creatura non fieret. »

Sed idem dicit : « Putant quidam casum hominis fuisse causam Incarnationis, qui simpliciter falluntur, quia ab æterno est prædestinatum quod homo deificaretur. » De Fide, edit. Lug., 1652. — Citat P. J. de Matha et Haro, Sol sapientiæ in Ps. 103, Neapoli.

Adamum prophetavisse Incarnationem prædicat et affirmat ipsam Incarnationem fuisse unam causam salutis *a constitutione mundi* — ergo pro angelis et hominibus.

Concedatur ergo distinctio Doctoris Angelici ne contradictionis nota præclarissimo Doctori inuratur. — Sic ergo locutus est S. Leo : « Si homo in suo honore naturæ mansisset... Creator mundi creatura *mortalis et passibilis* non fieret. » Cf. p. 75, 156.

Dracontius (440) similem Christo factum fuisse Adamum prædicat. Cf. p. 56.

S. Proclus Ahchiep. Constant. (440). Dicit Adamum ad imaginem Christi formatum, et ipsi notitiam Incarnationis inditam fuisse ; angelos a Christo sanctificatos ; Christum decretum aliis creaturis priorem. Cf. p. 57, 74, 125, 154.

B. Marchus Diadochus (445) verba Proverb., viii, 22, de Verbo incarnato interpretatus est. Cf. p. 93.

S. Faustinus (V° sæculo) productionem Evæ dicit fuisse figuram Ecclesiæ. Sed in decretis figuratum prius figurâ.

S. Nilus (V° sæculo) : « Præsignificabat somnus Adam, ait S. Nilus, secundum Adamum. »

S. Eucherius Lugdun. Episc. (449) prædicat quod a Doctoribus illud « In principio » Genesis, I, 1, de Christo accipiatur ; Adamum mysterium Incarnationis prophetavisse. Cf. p. 46, 64, 75.

S. Basilius Seleuciæ (450) dicit Christum fuisse causam finalem creationis : « Nondum fingitur lutum et thronus apparatur : Faciamus hominem, Unigeniti Dei domicilium ! » Cf. p. 46.

S. Prosper Aquitanus (450) dicit Adam sperasse sacramentum magnum quod (ipsi innocenti) promissum fuerat ; et ergo prophetavisse Incarnationem. P. 65, 75.

S. Nicetas Episc. Aquileiensis (458) dicit Ecclesiam etiam Angelos complecti et Christum esse caput Ecclesiæ. Cf. p. 154.

S. Isaacus Ninives Episc. (460) e Christo emanasse gratiam angelorum et Adam innocentis dicit expresse. Nam « e charitate excedit Adam, charitas est Christus, qui est panis cœlestis, cibus angelorum. » Cf. p. 155.

Antipater Bostrensis Episc. (460). Homines creatos propter Christum dicit et (Hom. in S. Joann. Bapt. n° 9 :) « Ave, (Maria) quæ sine lassitudine geris totius creatæ naturæ fundamentum. » Cf. p. 140.

Ammonius Alexandrinus (460). Ecclesia sponsa est Christi « omnis itaque natura, ait Ammonius, prædita ratione sive Angelorum sive hominum, sponsa, est. » Cf. p. 155.

S. Maximus Taurinensis (466). Dicit Deum omnia creasse in Christo, de quo interpretatur Proverb. viii-22 et spem Adam et Evæ in statu innocentiæ tetendisse ad Christum. » Cf. p. 46, 93, 157.

S. Avitus Episc. Viennensis (494) ædificationem mulieris (Evæ) dicit signasse Ecclesiam. Cf. p. 65.

S. Gelasius Papa (496) : Constat, ait, in primo homine Christum et Ecclesiam figuratam. Cf. p. 65.

Verecundus Juncensis Episc. (500). A constitutione mundi Ecclesia congregatur et Christus est fundamentum Ecclesiæ ; sic Verecundus. Ergo Adam et Eva innocentes ad Ecclesiam pertinebant. Cf. p. 122.

Amenus (V° sæc.) Enchiridion veteris et novi Testamenti = civitas Bethlehem :

Sancta Bethlehem caput est orbis, quæ protulit Jesum
Orbis principium, caput ipsum principiorum.

§ V. De his qui sæculo VI° floruerunt.

Vigilius Tapsensis (518) De Christo, Proverb., VIII, 22, interpretatus est. Cf. p. 93.

S. Fulgentius Episc. (533) De Christo Prov., VIII, 22, interpretatus est ; una gratia, ait, est operata in angelo et in homine lapso; diabolus discessit a Christo. Principium Christus, quia omnia sempiternus præcedit; finis Christus, quia perpetuus universo concludit ;—Christus A et Ω.

Attamen ex ipsius scriptis hæc objiciuntur: « Nam nec caro ipsa fuit a Filio Dei suscipienda nisi divina fuisset susceptione salvanda. »

Hæc verba concordant cum dictis S. Fulgentii; nam ex eo, Incarnatio est fons gratiæ et salutis pro angelis et pro hominibus. Cf. p. 92, 112, 125, 157, 190, 200.

S. Justus Urgellensis (540) : « Habet, inquit, Christus Ecclesiam in suo corpore et Ecclesia Christum in capite ; quæ connexio dissociari non potest. » — Sed Ecclesia erat in primordiis innocientiæ. Cf. p. 75.

Procopius Gazæus (550). Consilium Incarnationis dicit fuisse ab omni æternitate tanquam mundi præconstitutum fundamentum ; de Christo interpretatus est Prov., VIII, 22 ; omnem creaturam in cœlis et in terra a

Christo ac cepisse sanctificationem... Cf. p. 46, 56, 75, 93, 157.

S. Ephrem (550) : « Per te, o Maria, ait, omnis sanctitas ab ipso primo Adam. — Gaude Maria, omnium gratiarum causa ! » A fortiori Christus est fons omnis sanctitatis et causa omnium gratiarum, quod dicit ipsius Primatum. Cf. p. 66, 158.

Primasius Adrumetanus Episc. (555) dicit Christi formam fuisse Adam et de ipso interpretatur Prov., VIII, 22, quem et dicit initium creaturæ Dei. Cf. p. 65, 94, 200.

Cassiodorus (560) dicit Cristum A et Ω. Cf. p. 200.

S. Anastasius Sinaïta (560) : Christum figuratum fuisse creatione mundi ; ad Christi imaginem creatum Adamum ; omnia propter Christum ; Incarnationem esse fontem et radicem omnium bonorum quæ facta sunt in creatione... Ita S. Anastasius. Cf. p. 57, 63, 157, 191,

S. Leander Hispal. Episc. (591) : « Christus igitur caput et Ecclesia corpus de quibus in principio Genesis dicitur : Erunt duo in carne una. » Cf. p. 65.

S. Gregorius turonensis (593): In Christo Deus creavit omnia. Et Christus, qui figuratus fuit ab Adamo innocente, est finis omnium rerum. Cf. p. 47, 56, 188.

S. Gregorius Magnus Doctor (604) prædicatur ut impugnator Primatûs Christi ; nam (lib. IV in Lib. I, Reg. cap. VIII, v. 8 : « Nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum nostram carnem suscipere non oporteret,,, Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret. »

Sed ex Doctore, angeli habuerunt fidem divinæ Incarnationis et, ut multis in locis affirmat, gratiam et perseverantiam a Christo acceperunt.

Sed expressis verbis S. Doctor in Expositione ejusdem libri I Reg. (Lib. I, cap. III, 5-6) contrarium dicit :

« Si ergo angeli sanctificati creduntur in Filio, multo magis de hominibus creditur, quia extra eum sanctificationis gratiam invenire non possunt. »

Dicendum ergo *vel*: « Nisi Adam peccaret, Redempto-

rem nostrum nostram carnem *mortalem* suscipere non oporteret », — vel hunc Librum I non esse genuinum, sed « ex homiliis a S. Gregorio habitis in Lib. I Reg. a Claudio ejus discipulo collectis coaluisse et cum nonnulis mendis, memoriæ lapsui præsertim adscribendis, prodiisse. » (S. Mauri Editores. Præf. nº XI.)

Dices: Eodem argumento confutatur quod ad probandum angelos in Christo sanctificatos esse profertur.

Conc. Sed hoc dictum in I Lib. Reg. concordat cum multis sententiis quæ in aliis S. Doctoris scriptis reperiuntur. Cf. p. 93, 158.

§ VI. De his qui sæc. VII floruerunt.

S. Isidorus Hispal. Episc. Doctor (639).

« In Christo Deus creavit cœlum et terram ;

» Ergo quod per historiam completum est in Adam (innocente) per prophetiam significatur in Christo ;

» Ut mulier propter virum ita vir propter Christum creatus est.

» Unigenitus vocatur secundum divinitatis excellentiam quia sine fratribus ; Primogenitus secundum susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus est, quibus esset Primogenitus. » — Ita S. Isidorus.

Aperte ergo propugnat Primatum Christi. Cf. p. 47, 65, 75, 112, 161, 192.

S. Eugenius Toletanus (657). Dicit Adamum creatum fuisse ad imaginem *hominis cœlestis*, ad similitudinem Christi. Cf. p. 58.

S. Maximus Theol. Græcus, Abbas et martyr, (662) multifarie Primatum Christi prædicat. Nam in Christo cœlum et terram creata fuisse dicit et de Christo interpretatur verba Prov., VIII, 22. Recantat Incarnationem fuisse finem ob quem omnia condita sunt. Imo et distinguit finem primarium Incarnationis quoad homines a fine secundario i. e. Redemptione ; nam (quæst. LXIII.) :

« Incarnatio ad salutem naturæ præstandam facta est ; passiones vero, atque mors ad eos redimendos, quos propter peccatum mortis reatus obstringebat. » Cf. p. 93, 125, 162, 192.

S. HILDEPHONSUS TOLET, (669). Adamum et Evam figuram Ecclesiæ dicit ; de Christo interpretatur verba Prov., VIII, 22 ; angelos a Christo accepisse gratiam prædicat ; Mariam dicit esse solam opus Incarnationis. Conclude ergo : homines opus Redemptionis. Cf. p. 66, 94, 164.

S. ANDREAS CRETENSIS (675) prædicat per Mariam angelos salvatos fuisse et ipsam Matrem Dei ante omnes generationes electam fuisse etc, etc. Cf. p. 57, 66, 126, 158, 192.

BARHADBSABBA ARBAYA Episc. Halwan. in Mesopotamia (560-628) dicit Incarnationem necessariam ut Deum cognoscere possimus (p. 160).

GUIWARDIS, Patriarcha Orientalis (680). Christum angelis et hominibus vitam incorruptam dedisse affirmat hic Patriarcha. Cf. p. 161.

S. JULIANUS TOLETANUS (690) dicit Christum finem nostrum. Cf. p. 192.

LIBER MYSTERIORUM CŒLI ET TERRÆ. Auctor ignotus qui sæculo 6° vel 7° vixit in Mesopotamia. Dicit omnia creata fuisse propter Mariam ; de Filio interpretatur hæc Geneseos : *in principio ;* et insinuat arborem vitæ virtute Christi præditam fuisse. Cf. p. 191.

§. VII. DE HIS QUI SÆC. VIII FLORUERUNT.

GERMANUS II (720) dicit mysterium Incarnationis ante mundi constitutionem prædestinatum fuisse et *ad vivum expressum* in archangelo Gabriele. Cf. p. 96 126.

S. BEDA VENERABILIS Doctor (730) multiformiter prædicat Primatum Christi. Nam in eo Deum creasse omnia ; Christum figuratum fuisse ligno vitæ ; Adamum prophetavisse Incarnationem ; de Christo verba Proverb. VIII, 22, interpretanda esse ; diabolum cecidisse quia in

Christo non stetit ; angelos a Christo accepisse gratiam ; Christum a Patre glorificatum fuisse ante mundi constitutionem et tunc nos in ipso electos fuisse, exponit S. Beda. Cf. p. 47, 66, 75, 94, 126, 152, 163, 201.

S. J. DAMASCENUS Doctor (730) Adamum ad imaginem Christi factum ; in Christo rerum omnium conditarum primogenito omnia coagmentata fuisse ; in Adamo innocente et Eva Christum et Ecclesiam figuratos fuisse ; finem Incarnationis fuisse ut in Christo divinitatis et humanitatis, ac per hanc conditarum rerum cunctarum connexio fieret, « ut sit Deus omnia in omnibus, » prædicat S. Doctor. Cf. p. 58, 67, 112, 125.

Sed ex Damasceno plura objiciuntur verba. 1° (in laud. S. Barbaræ, n° 8) : « Nam si eam cum Deo societatem cônservavissemus, præstantiorem et admirabiliorem nequaquam nacti essemus. »

Respondetur ex verbis ipsius Doctoris ita finem Incarnationis exponentis (Homil. in Transfig. D. N. J. C.) : « Patris enim benigna voluntate Unigenitus ejus, ac Verbum incarnatus est ; benigna Patris voluntas in Unigenito Filio universi orbis salutem patravit; benigna Patris voluntas in Unigenito Filio res universas colligavit ; nam cum homo minor mundus sit, substantiæ omnis tam visibilis quam invisibilis in se nodum ferens, hoc, et illud existens, revera rerum omnium Domini creatoris et gubernatoris bona voluntas hoc exîstimavit ut in Unigenito et consubstantiali Filio suo divinitatis et humanitatis, ac per hanc conditarum rerum cunctarum connexio fieret, ut sit Deus omnia in omnibus. »

Et (de Fide orthod.. Lib. II, c. 2) : « Quoniam igitur bonus, omnique bonitate præstantior Deus, non satis habuit sua ipsius contemplatione frui, sed pro nimia bonitate sua quædam esse voluit, quæ ipsius afficerentur beneficiis, ejusque bonitatis participes forent : eam ob causam ex nihilo producit, conditque universa tam invisibilia quam visibilia. »

Ergo ex S. Damasceno primum intentum Dei in

creatione est salus seu gratificatio quarumdam creaturarum seu fruitio contemplationis ipsius. Sed benigna Patris voluntas salutem universi orbis patravit in Christo et in ipso fecit connexionem rerum cunctarum. Ergo Incarnatio decreta fuit quin occasionaretur peccato. — Explicanda sunt ergo dicta Doctoris quæ objiciuntur ne ipsi imponatur crassior contradictio, et ita possunt intelligi : Redemptio nobis infinitam Dei misericordiam ostendit quæ nos allicit ad societatem præstantiorem. Nam societas cum Deo fundatur in charitate. Sed si debemus diligere Deum dona largientem, multo magis Deum et peccata remittentem et dona largientem.

2° Objicitur (Lib. II de fide orthodoxa, cap. 30) : « Quoniam autem Deus præscientia sua noverat fore ut ille impositam sibi legem violaret, atque in corruptionem laberetur, idcirco fœminam ipsi similem, adjutricemque ex ipso procreavit, adjutricem, inquam, ut genus humanum per generationem ex successione conservaretur. » Inde infertur quod si Adam non peccasset Christus non fuisset natus e muliere.

Respondetur : 1° Hæc dicta aliis verbis Doctoris contraria sunt, imo ipsius Scripturæ ; nam (Genes., II, 18) : « Non est bonum esse hominem solum : faciamus ei adjutorium simile sibi. » Lib. de duabus voluntatibus n° 3 sic Doctor : « Sapienter universi conditor plurimas naturarum specierumve differentias procreavit, ut tum sapientiæ, tum potentiæ suæ divitias ostenderet ; quo injecta sui admiratione desiderabilis amplius fieret... Rursus vero in unaquâque specie hypostasium cum differentiam tum earum inter se convenientiam fecit, ita tamen ut convenientia quidem sit naturarum, quia hypostases omnes, quæ eidem speciei subjiciuntur naturæ ratione cohœrent ; hypostasium vero differentia eo quod propter impressas quasdam proprietates inter se discrepant. » — Et ibid., n° 3 : « Solitudo quidpiam est a consortio abhorrens et morosum ; societas autem cum ejusdem naturæ rebus dulce quiddam ac suave. »

2° Hæc verba nullo modo contraria sunt Primatui Christi. Nam lib. IV de fide orthod., cap. XXIV, disserendo de « crescite et multiplicamini » dicit : « Per hæc verba non eam omnino propagationem significari quæ per conjugalem complexum efficitur. Deus enim genus nostrum alio modo propagare poterat, si integrum ipsius mandatum ad extremum servasset ». Ergo Christus, typus Adami, fons gratiæ pro universis creaturis, figuratus ab Adamo innocente quocumque modo venisset.

COSMAS HIEROSOLYMITANUS (730) dicit decretum Incarnationis prius aliis decretis. Cf. p. 94.

S. HETERIUS ET S. BEATUS (780) de Christo verba Proverb. VIII, 22, interpretantur et ipsum dicunt primogetum secundum humanitatem. Cf. p. 95, 113.

ELIAS CRETENSIS (790). Dicit Christum esse caput hominum et angelorum qui in ipsum crediderunt. Cf. p. 161.

WICBODUS (790) secundum sensum « in principio ». Genes. de Christo interpretari posse exponit. Cf. 47, 66.

FLORUS (800) Christum esse mediatorem angelorum et caput affirmat. Cf. p. 127.

S. PAULINUS PATRIARCHA AQUILEIENSIS (804) A et Ω Apocal. de Christo interpretatur. Cf. p. 201.

B. ALCUINUS (804) angelos in Christo prædestinatos et Luciferum cecidisse quia in Christo non stetit, etc. prædicat. Cf. p. 113, 119, 201.

§ VIII. DE HIS QUI SÆC. IX° FLORUERUNT

SMARAGDUS (820) dicit Deum hominem factum ut Ecclesia haberet suum caput ; ut haberet omnis creatura mediatorem ; ut haberet civitas Hierusalem templum suum.... Cf. p. 193.

SEDULIUS SCOTUS (820) verba Geneseos : *in principio* refert ad Christum. S. Hieronymi recitat verba : « Omnis dispensatio quæ et ante mundum, etc. », dicit Christum

caput angelorum qui et ad ipsius corpus pertinent. Cf. p. 47, 165.

S. AGOBARDUS (840) Christum dicit mediatorem angelorum. Cf. p. 165.

WALAFRIDUS STRABUS (849) Proverbiorum VIII, 22, verba de Christo interpretatur ; Christum dicit A et Ω. Verba Augustini « Si ergo iste (Diabolus) in veritate stetisset in Christo stetisset » recitat et etiam verba S. Bedæ Venerabilis de propitiatorio. Cf. p. 95, 152, 166, 202.

FRECULPHUS LEXOVIENSIS EPISC. (850). Dicit Christum figuratum ligno vitæ Cf. p. 67.

HAYMO HALBERSTRATENSIS EPISC. (853) ita : Lignum vitæ Christum significavit ; Adam vates fuit et his verbis : propter hoc relinquet homo, de Christo et Ecclesia prophetavit ; homines et angeli in Christo sunt fundati qui et ab ipso vivificantur. Cf. p. 67, 76, 167.

S. PASCHASIUS RADBERTUS (856) affirmat arborem vitæ imaginem Christi fuisse ; Adamum prophetice locutum fuisse. Cf. p. 67, 76.

ANGELOMUS LUXOVIENSIS EPISC. (856) de Christo, interpretari posse verba Geneseos « in principio » dicit ; lignum vitæ significasse Christum, et Adamum de Christo et Ecclesia prophetavisse. Cf. p. 47, 67, 76.

B. RABANUS MAURUS Archiep. Moguntinus (856) multifarie Primatum Christi prædicat. Cf. p. 47, 67, 76, 95, 113, 166, 193, 202.

S. REMIGIUS LUGDUNENSIS EPISC. (868) ; « De Christo et Ecclesia verius intelligitur : Erunt duo in carne una. » Cf. p. 67.

S. ANDREAS CÆSARIENSIS ARCHIEP. (870) Christum dicit A et Ω, principium propter divinitatem et finem propter humanitatem. Cf. p. 167, 195.

JOANNES SCOTUS ERIGENA (873). Non minus in cœlis quam terris profuisse mysteria Christi dicit Scotus Erigena. Cf. p. 168.

S. Ado Archiep. Viennensis (875) sacramentum Ecclesiæ Christi in formatione Evæ vidit. Cf. p. 67.

Arethas Cæsareæ Cappadociæ Episc. (900 ?) Prædicat Christum A et Ω et angelos ab ipso gratiam accepisse. Cf. p. 167, 195.

Remigius Antissiodorensis (908) : « Adam mystice Christum significavit. — B. Augustinus dicit factum Adam in extasi mentis et prophetiæ Spiritu afflatum. » Ita Remigius. Cf. p. 68, 76.

§ IX. De his qui X° sæc. floruerunt.

Atto Episcopus Vercellensis (960) Christum dicit fontem vitæ pro angelis et pro hominibus. Cf. 114, 168.

Moses Bar Cepha (952) Adamum dicit prophetavisse cum dixit : « Hæc jam caro de carne. » Cf. p. 77.

§ X. De his qui XI° sæc. floruerunt.

Gottescalcus (1037) dicit Christum A et Ω. Cf. p. 202.

S. Yvo Carnotensis (1040) Adamum innocentem dicit fuisse formam Christi futuri. Cf. p. 68.

S. Bruno Episcopus Herbipolensis (1045) : « Hic panis (Christus) in cœlo replet angelos, nos pascit in terris. » Ita S. Bruno. Cf. p. 169.

S. Joannes Euchaitarum Archiep. (1050) dicit omnia propter Mariam creata ; ab ipsa omnia profluere.

S. Petrus Damianus Episc. Doctor (1070) prædicat Adamum innocentem figurasse Christum ; angelos a Christo gratiam accepisse ; Mariam omnes præcessisse. Cf. p. 68, 126, 169.

Theophylactus Bulg. Achiep. (1075) exponit prophetice dictum de Christo hoc verbum : « Hoc nunc os de ossibus. » Cf. p. 68, 77.

B. Lanfrancus (1089) : Adam fuit forma Christi. Cf. p. 68.

Jacobus monachus (1099) prædicat Primatum Christi et Mariæ. Etenim Orat. in Concept. Deiparæ, § XIII. ita : « Unica enim illa e sexu muliebri quæ sola primitiæ erat naturæ humanæ et Deo dedicata fuit et tanquam pretiosissimum donarium Deo reddita. »

Sola porro Maria, ut notat Ballerini in Sylloge Monum. ad mysterium Concept. Im. Virg. Deiparæ, primitiarum humanæ naturæ locum tenet ; Maria ergo primus et unicus fructus prædicatur, quem natura humana tanquam Deo dignum, instar primitiarum offerre posset.

Attamen si dubitandi locum tibi videtur præbere hoc dictum, audi clarius adhuc disserentem in eâdem oratione, § XV : « Propterea propensissimo animo insignem hanc divinamque celebrantes festivitatem, illi, qui universa ad suam ipsius gloriam, ad matris suæ honorem et ad salutiferum sibi obsequentium decus prædisposuit, Christo, inquam, bonorum auctori ac largitori, gratias referimus. »

Ex præmissis adverte quod Ecclesia græca expressiùs Ecclesiâ occidentali hanc sententiam quam sæculis labentibus Pius IX percelebrem debebat facere prædicaverit : « Primordia Mariæ uno eodemque decreto cum divinæ Sapientiæ fuerunt præstituta. »

Expressius etiam Mariam Christo conjunxit ut causam finalem creationis. Cf. p. 195.

S. Bruno Carthusian. Instit. (1101) dicit angelos a Christo accepisse gratiam ; rem matrimonii sacramenti existere in Christo et in Ecclesia. Cf. p. 68, 170.

Ven. Guibertus, ab. S[æ] Mariæ de Novigento (1104), satis idoneum dicit solem et lunam de Christo et Ecclesia interpretari. Cf. p. 68.

Petrus Alphonsus (1106) Adamum ad imaginem Christi creatum dicit. Cf. p. 58.

S. Anselmus Episc. Doctor (1109). Christum fuisse in Adamo innocente quamvis diverso modo ac cæteri homines et Sapientiam creatam fuisse secundum humanitatem docet S. Doctor. Sed ipsius sententiam investigare liceat fusiùs.

Electi, inquit P. Risi, teste S. Anselmo, in perfecto numero præsciti fuerunt qui nec minui nec augeri posset. Homo creatus est non ad restaurandum numerum imminutum angelorum, sed ad perficiendum nondum perfectum. Et Christus erat in Adamo innocente quamvis valde diverso modo ac cæteri homines. Audi ipsum Doctorem. Sed nota quod scopus S. Anselmi in lib. *Cur Deus homo* sit omnes conspectus Incarnationis describere et ipsius motiva indicare : « A te peto, inquit, mihi aperiri, quod, ut scis, plures mecum petunt, qua necessitate scilicet, et ratione, Deus cum sit omnipotens, humilitatem et infirmitatem humanæ naturæ, pro ejus restauratione assumpserit. » (Lib. I, cap. II) (P. L., 158, 362.)

Cap. XVI dicit numerum electorum præscitum, ita ut *nec majorem nec minorem* illum esse deceat : « Rationabilem naturam, quæ Dei contemplatione beata vel est, vel futura est, in quodam rationali et perfecto numero præscitam esse a Deo, ita ut nec majorem nec minorem illum esse deceat non est dubitandum. Aut enim nescit Deus, in quo numero melius eam deceat constitui, quod falsum est ; aut si scit, in eo illam constituet quem ad hoc decentiorem intelliget. » (Ibid., 381.)

Ergo angeli et homines prædestinati fuerunt unico et eodem decreto, nam : « non fuerunt homines facti tantum ad restaurandum numerum (angelorum) imminutum, sed ad perficiendum nondum perfectum. » (Cap. XVIII. Ibid.)

Adamo non peccant, eidem fuisset numerus electorum : nam « si Adam non peccasset, differret tamen Deus illam civitatem perficere, donec completo ex hominibus, quem expectabat numero, ipsi quoque homines, in corporum, ut ita dicam, immortalem transmutarentur immortalitatem. » (Ibid., P. L. 158, 386.)

Christus ergo electus fuit ante prævisionem peccati quia homo non factus est ad restaurandam *ruinam angelicam*, nec lapsus Adæ mutavit numerum hominum electorum... Expressè autem docet S. Anselmus quod

Christus fuerit in Adamo innocente. Nam in Lib. *de Concept. virgin.*, c. XXIII : « Quamvis constet, eos omnes (homines) in illo (Adamo) fuisse, solus tamen Filius Virginis, valde diverso modo ab aliis in illo fuit. Omnes enim alii sic fuerunt in illo ut per naturam propagandi, quæ potestati et voluntati ejus subdita erat, de illo essent. Solus vero iste non sic in eo fuit, ut per naturam aut voluntatem ejus de illo fieret... Nam nec in potestate naturæ, nec in potestate voluntatis ejus erat, ut esset quoquo modo. Erat tamen in eo natura de qua propagandus erat, non ejus, sed Dei potestate... Sed nec in aliquo eorum, in quibus fuit ab Adam usque ad Mariam erat ut esset ; fuit tamen in illis, quia erat in eis, unde iste assumendus erat quemadmodum erat in limo, unde primus homo factus est, et in eo unde Eva facta est, non voluntate creaturæ, aut potestate, sed sola divina virtute. Sed iste tanto mirabilius et majori gratia quanto illi puri homines, hic homo Deus factus est. Valde itaque diverso modo iste erat in Adam quando peccavit, quam erant illi qui voluntario et naturali cursu procrearentur. Illos ergo quodammodo facit Adam, quos per acceptam potestatem, humana voluntas seminando, et natura germinando procreant. Istum vero nonnisi Deus fecit, quamvis de Adam, quia non per Adam, sed per se, velut de suo. » (P. L., 158, 455.)

Verba Doctoris de Incarnatione dici possunt quæ dixit de homine gratias agente de ruina angelica : Etenim, Lib. I, cap. 28, *Cur Deus homo* : « Si angeli in illo perfecto numero facti sunt, et nullatenùs facti sunt homines nisi pro restauratione perditorum angelorum, palam est, quia nisi angeli ab illa beatitudine cecidissent, homines ad illam non ascenderent... Si quis vero dixerit, quia tantum lætabuntur electi homines de angelorum perditione, quantum gaudebunt de sua assumptione, quoniam absque dubio hæc non esset, nisi illa fuisset ; quomodo poterunt ab hâc perversâ gratulatione defendi ? Aut quomodo dicemus, angelos qui ceciderunt ex hominibus

restauratos, si illi sine hoc permansuri erant, si non cecidissent, id est, sine gratulatione de casu aliorum, isti vero sine illa esse non poterunt? Imo qualiter cum hoc vitio beati esse debebunt? Deinde quâ audaciâ dicemus, Deum non velle, aut non posse hanc restaurationem sine hoc vitio facere? » (P. L., 158, 384.) Si hæc gratulatio nequit admitti in hominibus de casu angelorum, a fortiori in Christo de casu hominis.

Ergo S. Doctor prædicat Primatum Christi.

§ XI. De his qui sæc. XII° floruerunt.

Wernerus Abbas (1126). Dicit quod officium conjugii ante peccatum proponeret sacramentum societatis inter Christum et Ecclesiam. Cf. p. 68.

Rupertus abbas (1135). Copiosè citatus est doctus abbas. Cf. p. 47, 58, 76, 95, 152, 171, 193, 202.

Sed notandum est quod prædicaverit expressè Christum venturum fuisse absque peccato, quo tamen interveniente, voluntarie propter nos mortale corpus induerit. Nam (Lib. XIII de gloria et honore Filii hominis) commentando hæc (Hebr. II, 10) : « *Decebat enim eum*, etc., hic primum illud quærere libet utrum iste Filius Dei, de quo hic sermo est, etiamsi peccatum, propter quod omnes morimur, non intercessisset, homo fieret, an non. Nam de eo, quod mortalis homo non fieret, quod mortale corpus non assumeret nisi peccatum accidisset, propter quod et nos omnes facti sumus mortales, nulli dubium est, nulli nisi infideli incognitum est. Illud quærimus utrum hoc futurum, et humano generi aliquo modo necessarium erat, ut *Deus homo fieret*, caput et rex omnium, ut nunc est : et quid de hoc respondebitur... Cum ergo de sanctis et electis omnibus dubium non sit (teste Augustino) quod nascituri forent omnes usque ad præfinitum numerum secundum propositum Dei, quo ante

peccatum benedicens, *crescite*, ait, *et multiplicamini*, et absurdum sit putare quod propter eos ut nascerentur peccatum fuerit necessarium; quid de isto capite et Rege omnium electorum et hominum erit sentiendum, nisi quod et ipse maxime, causam necessariam non habuerit ipsum peccatum, ut homo fieret ex hominibus, delicias suæ caritatis habiturus cum filiis hominum. »

(Prov., VIII, 31). « Tantæ caritatis propositum, quo proposuerat Deus, Dei Verbum deliciari cum filiis hominum, formam habendo circumscriptam ex natura humana in medio angelorum et hominum, mirum et adoratione dignum, quia non evacuavit ex adverso veniens peccatum, imo jam tunc factum est illud, quod alibi sive aliunde dictum est : *ubi enim abundavit delictum, superabundavit gratia* (Rom., V, 20). Ubi namque abundavit tantum tantæ prævaricationis delictum, ubi super mortem animæ, quâ mortui fuimus in illis parentibus nostris per illud originale peccatum, accessit mors altera, mors scilicet corporis... gratiosum accessit præceptum ad caritatem Filii obedientis quatenus ipse Filius talis fieret absque peccato, quales nos propter peccatum facti fueramus, id est, non solam nostram, quam proposuerat assumere naturam offensus non refugeret, verum etiam propter nos, usque ad mortem nostram descenderet. » (P. L., 168, 1628.)

Ut autem videas quam logice afferetur a theologis hæc distinctio Incarnationis, scilicet, in carne impassibili et passibili ut explicentur quædam fata Patrum quæ secum discordantia viderentur, audi hunc Primatûs Christi præclarum propugnatorem (Com. in Math., Lib. XIII): « Tu forte suspensa mente alta cœlorum suspiciens et illic intuens oculo contemplationis tunc altissimum Dei Filium stantem, sive sedentem a dextris Dei, ad dexteram majestatis in excelsis, tremebundus et magna formidine factus in corde tuo dicis : eheu ! quidnam erit de nobis servis iniquis et scelestis, quorum propter scelera talis ac tantus Dominus, tot et tantis affectus est contumeliis

usque ad mortem, mortem autem crucis ? Cum hoc vel huic simile aliquid dixeris, non sane videatur tibi quod ille veraciter respondere possit : non ego talis et tantus nunc existerem, nisi causâ tuî, nisi propter peccata generis humani. Et revera sic est : tanquam certum nobis esse debet, ac si ore proprio responsum hujus modi daret aut dedisset. Ut quid enim homo iste sive Filius hominis in Deum assumptus est ? Ut quid passus vel mortuus ? Nonne pro impiis ? Nonne pro inimicis ? *Videmus autem*, ait Apost. (Hebr., II, 9) *Dominum Jesum Christum propter passionem gloria et honore coronatum.* Ergo impii et scelerati causa fuerunt ei ut coronaretur et sederet a dextris Dei, coronatus gloria Regni, honore Pontificis. » (P. L. 153, 1630.)

Et Lib. II de operibus Spiritus Sancti C. VI : « Ecce enim homo Christus homo justus, hominibus peccatoribus multum debet : Confortentur manus dissolutæ et roborentur genua peccatorum debilia ; quia videlicet, si fide et pietate eruditi, si sapientes causidici, vel juris periti sint, habent, quo constringant judicem suum. Dicat enim: ego propter vestrum peccati diem natus, propter vestram iniquitatis noctem conceptus et qui Dominus Deus immortalis eram, homo mortalis factus sum. Dicant ad hæc peccatores fideles, peccatores pœnitentes : et si quidem multum tibi debemus nos, Deus Christe, quia homo factus es ; at tu e contra multum nobis debes, homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es. Nam nisi fuissemus peccatores, causa cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset. » (P. L. 167, 1610.)

Nullus scriptor expressioribus verbis propugnat Primatum Christi ; nullus etiam eumdem impugnare expressius videretur quam Rupertus Abbas si jam ipse superius non admisisset distinctionem inter nostram naturam (impatibilem) quam Deus proposuerat assumere et mortem nostram ad quam usque non refugit descendere propter nos. Sed omnia plana deveniunt, admissa Ruperti distinctione, quæ in posterum afferetur a theologis.

S. Bruno Episc. Signiensis († 1141). Nullo modo dubitandum est de ipsius mente circa primatum Christi, quem dicit ligno vitæ figuratum, ab Adam prophetatum, etc. — Sic autem in Expositione in Gen. Cap. I : « Ad imaginem, etc. : Sic etiam intelligi potest ut talem corporaliter quoque homini imaginem daret, qualem Filium... quandoque suscepturum ante tempora disposuerat »

Dicit etiam Jesum Christum fuisse Pastorem hominum et angelorum et angelos Christum imitatos fuisse. (Cf. p. 58, 69, 76, 170, 202.)

Hugo S. Victoris († 1142). Christum dicit figuratum fonte et ligno paradisi, annunciatum primâ institutione conjugii, et mysterium Christi et Ecclesiæ figuratum in costa Adæ. (Cf p. 69.) Notandum tamen quod dicit Lib. I de Sacramentis pars viii, Cap. vi *Cur Deus homo* : « Factus est itaque Deus homo ut hominem quem fecerat liberaret. » (P. L. 176-310).

B. Amedeus Episc. Lausann. (1149). Sacramentum ut duo essent in una carne impletum dicit in Incarnatione. (Cf. p. 69.)

Honorius Augustodunensis (1152). Præclarus hic theologus ex professo tractat de hâc quæstione in suo libello *Octo quæstionum*, capite II :

« *Discipulus :* Vellem... doceri utrum Christus incarnaretur, si homo in paradiso perstitisset ?...

» *Magist. :* Peccatum hominis non bonum sed maximum malum fuisse, clamat totus mundus cum miseriis suis... Et ideo peccatum primi hominis non fuit causa Christi Incarnationis sed potius fuit causa mortis et damnationis. Causa autem Christi Incarnationis fuit prædestinatio humanæ deificationis ; ab æterno quippe a Deo erat prædestinatum ut homo deificaretur, dicente Domino : Pater, dilexisti eos ante constitutionem mundi (Joan, xviii), subaudi, per me deificandos.

» Sicut autem Deus est immutabilis, ita et prædestinatio ejus est immutabilis ; oportuit ergo hunc incarnari, ut homo posset deificari. Et ideo non sequitur peccatum

fuisse causam ejus Incarnationis ; sed hoc magis sequitur, peccatum non potuisse propositum Dei immutare de deificatione hominis. Si quidem auctoritas Sacræ Scripturæ et manifesta ratio declarat, Deum hominem assumpsisse, etiam si homo nunquam peccasset.

» Denique provida Scriptura ante peccatum hominis promittit Christum, dicens : « Relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una. » (Math., XIX.) Hæc apostolus exponit ita dicens : « Sacramentum hoc magnum est, ego dico in Christo et Ecclesia. » (Eph. V.) Ecce adhuc nullum peccatum ab homine committitur et Christi et Ecclesiæ conjunctio in una carne prædicatur. Unde idem apostolus : « Deus inquit, ante mundi constitutionem elegit nos in Christo. » Ephes., I.) Christus est Deus homo in quo Deus ante mundi constitutionem prædestinatos ad vitam elegit, quia in Christo nos deificari constituit. Quando enim Deus humanam naturam induit, universa humanitas in electis dumtaxat in Deum tunc transit...

» Quod autem Christus mortuus est, qui est vita omnium, tres status sunt hominis : unus ante peccatum in quo mori et non mori potuit ; alter post peccatum, in quo mori necesse habuit ; tertius qui erat ei futurus si tentatus non peccasset, et adhuc post resurrectionem speretur, in quo mori non potuit.

» Si ergo Christus in primo statu venisset, nec ipse, nec homo unquam moreretur, sed jam deificatus completo numero ordinis decem angelis associaretur : quod utique factum ita esset, si homo tentatus non peccasset. Sed Christus hominem peccaturum et per hoc moriturum præscius, ideo in secundo statu venire et mori voluit, ut hominem de morte redimeret et ad statum vitæ reduceret. Et ideo dicitur pro humana redemptione venisse, quia nisi ipse moriendo mortem nostram destrueret, nunquam homo post culpam statum vitæ reciperet. Igitur Christi Incarnatio fuit humanæ naturæ deificatio, ejus mors nostræ mortis destructio, ejus resurrectio vitæ

nostræ reparatio, et hoc modo secundum apostolum : « Sicut in Adam omnes moriuntur ita in Christo vivificabuntur. » (I Cor. XV.) (P. L. 172, 1187-88.)

S. BERNARDUS AB. CLAR. (1155). S. Doctor multifarie prædicat Primatum Christi. (Cf. p. 77, 172, 195.)

Sed, objicies, manifestè huic Primatui adversatur. Etenim serm. I de adventu Domini, nº 7 : « Nec sane laborandum est in hâc parte (ad quid scil. venerit) cum manifeste adventus ejus causam et verba ipsius et opera clament. Ad quærendam quippe ovem centesimam, quæ erraverat, de montibus properavit. »

Ad intelligendum hæc verba audi ipsum Doctorem sic loquentem nº 220 de gratia et libero arbitrio : « Igitur qui rectè sapiunt triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrii, sed divinæ gratiæ in ipso, sive de ipso. Prima creatio, secunda reformatio, tertia consummatio. Primo namque in Christo creati sumus in libertatem voluntatis ; secundo reformamur per Christum in spiritu libertatis, cum Christo deinde consummandi in statum æternitatis. » (P. L. 183, col. 880.) — In Christo ergo *salvatore* creati, in Christo *redemptore* reformamur ; Christus autem de montibus properavit redemptor ad quærendam ovem centesimam.

Respondendum quod verba Doctoris in principio hujusce sermonis ex multis theologis et nobilioribus significent quod Christus fuerit occasio ruinæ angelicæ. Hìc ergo agitur de adventu in carne mortali, i. e., ut redemptore.

ERNALDUS BONÆVALLIS AB. (1156) non obscurè affirmat primatum Christi. Cfr p. 59, 77, 174.

VEN. PETRUS ABBAS (1158). Unus tantum textus ipsius abbatis in præsto est in quo suam mentem ostendit, cum Sapientiæ Dei, carne indutæ, Prov. VIII, 22, textum applicavit. Cf. p. 95.

PETRUS LOMBARDUS Episc. Paris. (1160), Neminem latet, quod Magister sententiarum in suis quatuor libris sententiarum exaraverit thema quod unicuique theologo-

rum scholasticorum videbatur commentandum. Non parvi ergo refert ut ipsius mentem de hâc quæstione sedulo investigemus.

Petrus Lombardus quæstionem non tractavit ex professo. Etenim Lib. III de Incarnatione Verbi, dist. I[a] : *Quare filius carnem assumpsit, non Pater vel Spiritus Sanctus*, hæc dicit :

« Solus Filius hominem assumpsit. Quod utique congruo ordine, atque alto Dei sapientia fecit consilio : ut Deus qui in sapientia sua mundum condiderat, secundum illud « omnia in sapientia fecisti, Domine, quæ in cœlis, sunt et quæ in terris » restauraret omnia...

» Ideo etiam Filius missus est et non Pater quia congruentius mitti debebat qui est ab alio quam qui a nullo est ;

» Sed Filius in carne missus est, non Spiritus Sanctus, sicut nec Pater. Quod ideo factum est, ut qui erat in divinitate Filius, in humanitate fieret hominis filius.

Distinctio II : *Quare totam humanam naturam accepit...*

» Et quia in homine tota natura humana vitio corrupta erat, totam assumpsit, i. e. animam et carnem,ut totam curaret et sanctificaret.

» Distincto XV. Illud quoque non prætereundum est quod Dei Filius naturam hominis accepit passibilem ; animam passibilem et carnem passibilem et mortalem. Ut enim probaretur verum corpus habere, suscepit defectus corporis, famem, sitim et hujusmodi. Et ut veram animam probaretur habere, suscepit defectus animæ scilicet tristitiam, timorem, dolorem et hujusmodi.

Lib. III, dist. XVIII, E : *De causa mortis et passionis Christi.* « Ad quid ergo voluit pati et mori, si ei virtutes ad merendum illa sufficiebant ? Pro te, non pro se. Quomodo pro me ? Ut ipsius passio et mors tibi esset forma et causa. Forma, virtutis et humilitatis. Causa, gloriæ et libertatis. »

Non videtur ergo de re tractasse magister Sententia-

rum ; quædam tamen affirmat quæ plane congruunt Christo primo prædestinato et difficulter explicantur in contraria sententia, v. g. Lib. IV, Sent., dist. XXVI : *De sacramento conjugii.* A. « Cum alia sacramenta post peccatum et propter peccatum exordium sumpserint, matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum a Domino non tamen ad *remedium* sed *ad officium*. Refert enim Scriptura Genesis in Adam misso sopore, atque una de costis ejus sumpta et exinde muliere formata, virum in spiritu intelligentem, ad quem usum mulier facta esset, post extasim propheticè dixisse : Hoc nunc os ex ossibus, etc...

» F. Cum igitur conjugium sacramentum sit, et sacrum signum est et sacræ rei, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesiæ, sicut ait apostolus (Eph. v, 31, 32) : Relinquet homo patrem, etc.., Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. »

Sed expressius in suis collectaneis in Epistolas S. Pauli (ad Romanos cap. I et ad Col. II) Primatum Christi affirmat. Cf. p. 175.

Concludendum ergo ex Petro Lombardo : 1° quod sacramentum matrimonii etiam ante peccatum fuerit signum sacræ rei, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesiæ ;

2° Quod prædestinatio Christi non fuerit occasione peccati, cum prædestinatus fuerit ut esset caput nostrum ;

3° Quod Christus eodem modo influxerit in angelos et in homines, cum eodem modo sit caput angelorum et hominum.

Congruè ergo Magister sententiarum inter propugnatores Primatûs numeratur, Christophoro Sylvestrano O. Carmel. dicente : «Et ita apparet quomodo multi ex scolasticis recedunt a scopo Magistri, tenentis quod etiamsi non intercessisset culpa, tamen Verbum assumpsisset naturam humanam. » (III Sent., dist. 2, lect. 8ª .)

Hugo Rothomagensis Episc. (1164) (Dial. lib. II,

cap.XIII) dixit de Christo : « Quem primus Adam præfiguravit. »

Et expressius ad Primatum Christi affirmat angelos a Christo accepisse gratiam. Ita cont. Hæret. sui temporis lib. I, cap. VII et lib. III, cap IX. Cf. p. 70, 177.

VEN. GERHOHUS PRÆPOSIT. REICHERSPERG. (1169). De Christo interpretatur hæc verba Geneseos « In principio » et ipsum esse fundamentum angelorum exponit. Cf. p. 48, 176.

RICHARDUS S. VICTORIS (1173). Dicit Christum esse principium creando et finem justificando. Cf. p. 202.

BANDINUS (1175). Sacramentum Christi et Ecclesiæ videt in formatione Evæ. Cf. p. 69.

PETRUS COMESTOR (1179). Adamum prophetam fuisse dicit Petrus. Cf. p. 78.

ARNULPHUS LEXOV. EPISC. (1184) : « Fœdus hoc (erunt duo in carne una) in persona Christi celebratum est. » Ita Arnulphus. Cf. p. 70.

S[a] HILDEGARDIS(1188). Hominem ad imaginem Christi creatum et Adamum prophetavisse prædicat S. Hildegardis. Cf. p. 58, 78.

GILBERTUS EPISC. LONDON. (1187). Ex Christo esse omnem beatitudinem et temporalem et illam quæ jamdiu angelis concessa est, dicit Gilbertus, ut et, Christum esse caput et principium omnium quæ sunt et quæ fuerunt et quæ futura sunt. Cf. p. 179.

PETRUS CELLENSIS (1187), Serm. LXXV, de Assumpt. Mariæ, serm. VIII : « Beata ubera tua (Maria) quæ angelos pascunt, justos reficiunt. » (P. L., 202, col. 868). — In suo libello « de Panibus » fusè explicat quomodo Christus sit panis angelorum : « Notandum, aliam esse mensam quâ singulariter sola Trinitas deliciatur, aliam quâ cum angelis amicabiliter epulatur, aliam quâ cum homine mortali visibiliter Jesus vescitur, aliam quâ sacramentaliter et invisibiliter fideles reficiuntur...

» Mensa eorum (Angelorum) est Propitiatorium cui versis vultibus semper intendunt et unde sua desideria

implere cupiunt. De hoc enim Propitiatorio, id est, Jesu, sive mensa angelorum, dictum est : *In quem desiderant angeli prospicere.* Ad hanc mensam, ex duabus naturis in unam personam Spiritûs Sancti artificio compactam adsistunt ministratorii Spiritus ministrantes Domino et edentes cum ipso, quæ ibi apponuntur : bonitatem videlicet Dei, reparationem generis humani, repletionem numeri sui imminuti per apostasiam... Angelus os aperit in laudem Dei ; Deus implet illud, tam adipe divinitatis quam carne et sanguine integerrimæ naturæ humanitatis. » (P. L., 202, 630.)

Ex ipsius verbis concludere licet quod « panis angelorum » non dependeat e lapsu hominis. — Sed ipse ven. abbas hanc conclusionem ponit dicendo de Maria : « Non ipsa pendet de futuris eventibus, sed omnes rerum mutabilitates de immobilitate ejus tanquam de universorum matrice egrediuntur. » (Serm. de B. V.) — Dicit etiam quod Lucifer ceciderit quia unionem hypostaticam desideravit. Cf. p. 128, 178, 195.

PHILIPPUS DE HARWIG, AB. BONÆ SPEI (1187). Gratia Christi angelos sanctos servat. Et Jesus stantibus angelis plenum misericordiæ vas propinat, ad medendum in terra ægrotis hominibus vas inclinat. Ita Philippus. Cf. p. 180.

HENRICUS S. R. E. CARDIN. (1188) non obscurè affirmat Primatum Christi quem dicit figuratum in statu innocentiæ, salvatorem angelorum et A et Ω. Cf. p. 70, 180, 202.

GARNERIUS CLARÆ VALLIS AB. (1198). Omnia quæ gesta sunt ab æterno dispensationem i. e. Incarnationem prætendunt. Cf. p. 128.

NICETAS CHONIATES (1200) dicit Incarnationem præfinitam fuisse ante mundi constitutionem, et de Christo interpretatur verba Proverb., VIII, 22. Cf. p. 48, 96.

PETRUS BLESENSIS (1200) dicit eâdem tunicâ i. e gratiâ induendos esse angelos et viros angelicos. Cf. p. 95, 181.

Petrus Pictaviensis (1200) dicit Christum caput Ecclesiæ secundum naturam humanam et diabolum esse caput malignantium ut Christus est bonorum, sed non cum tanta plenitudine. Ergo Christus caput angelorum concluditur. Cf. p. 181.

S. Martinus Legionensis (1202), cujus sola manus intacta conservatur in præmium operum, et numero spectabilium et cœlesti sapientia refertorum, nobis tradet sententiam hispanicam de Primatu Christi sæculo duodecimo :

In Christo omnia condita ; Adamum ad imaginem Christi creatum ; Christum ligno vitæ figuratum, quem et fundamentum angelorum prædicat S. Martinus. Cf. p. 48, 59, 70, 128, 181.

Alanus Insulensis (1202) Adamum dicit prophetam et Christum esse gloriam angeli et hominis. Cf. p. 78, 182.

Absalon ab Spinchirbach (1203) omnes sanctos et angelos in Christo dicit fundatos. Cf. p. 181.

Petrus de Riga (1208) exponit Adamum ad imaginem Christi conditum ; Christum esse lignum vitæ ; Adamum prophetasse ; Jesum esse principium et in ipso cœlum conditum. Cf. p. 59, 71, 78, 182.

Sicardus (1215) dicit Christum principium et finem. Cf. p. 203.

Innocentius III (1216) dicit ad Christum et Ecclesiam spectare illud « Hoc nunc os de ossibus », et quatuor ex causis Verbum incarnatum, inter quas, *ut amicos nutriret ;* quæ extitisset causa, Adamo non peccante. Cf. p. 70, 183.

Petrus Capuanus (XII° sæc.) affirmat lignum vitæ esse Christum. Cf. 70.

Hermanus Werdinensis (XII° sæc.) idem dicit. Cf. p. 70.

B. Georgius (XII° sæc. ?) prædicat Primatum Christi exponendo in Evâ imaginem Mariæ fuisse. Cf. p. 71.

Simeon archiepisc. Thessalon. (XII° sæc.) fusiùs

exponit angelos a Christo accepisse gratiam et salutem. Cf. p. 182.

N. B.— Nicolaus Cabasila et Gregorius Palamas, ambo archiepiscopi Thessalonicenses, XIV° sæculo floruerunt. Attamen eorum sententiam citare liceat quia ipsorum opera in Patrologia Migne inveniuntur.

Nicolaus Cabasila archiep. Thess. (XIV° sæc.) primarium finem Incarnationis dicit gratificationem hominis. Cf. p. 183.

Gregorius Palamus Thess. archiep. (XIV° sæc.) Mariam dicit causam eorum qui ante eam fuerunt ; fontem bonorum etc. Cf. p. 184.

S. Isidorus Thessalonicensis, Constantinopol. Patriarcha, concilio Florentino interfuit et decreto unionis assensus est. Cardinalis creatus ab Eugenio IV, et archiepiscopus Kiewiensis ad sedem Constantinopolitanam translatus fuit.

Multiformiter et multoties, singulis, ut ita dicam, sermonibus de Mariæ Primatu disserit. Cf. p. 58, 183, 196.

Testimoniis scriptorum ecclesiasticorum allatis, juvat summatim dicere de conciliis et de liturgia tam Occidentali quam Orientali ut Ecclesiam uno ore sui Sponsi Primatum per sæcula et singulis diebus conclamantem audire possis.

§ XII. De Conciliis.

Concilium Sardicense (347) : « Christus ut homo finis est quem Deus primo intendit. » — Primogenitum dicit Christum propter naturam humanam. Cf. p. 106, 188.

Concilium Nicænum (325). Patres dixerunt verba Prov., viii, 22, de Christo interpretanda. Cf. p. 86.

Concilium Sirmiense (357) Christum dicit mediatorem universalem ad quem omnia referuntur. Cf. p. 188.

Concilium Ancyranum (358) anathematizat qui dicit idem esse « genuit me » et « condidit me ». Nam condidit de Incarnatione interpretatur. Cf. p. 86.

Concilium Hispalense ii refert et suam facit sen-

tentiam S. Basilii Cæs., videlicet de forma servi verba Proverb., VIII, 22, interpretanda esse. Cf. p. 91.

CONCILIUM TOLETANUM XI : « Primogenitus (Christus) propter assumptæ carnis naturam. » Cf. p. 107.

CONCILIUM TRIDENTINUM. Liceat anticipare ut habeas maximi ponderis testimonium non irritum in ipsos Primatûs Christi impugnatores, ut rem perspicuam habebis infra.

Sessione 6, c. 7, definitum est causam finalem nostræ justificationis esse gloriam Dei et Christi.

§ XIII. DE LITURGIA.

MISSALE GOTHICO-GALLICUM Christum dicit principium mundi. Cf. p. 47.

MISSALE FRANCORUM idem dicit. Cf. p. 47.

MISSALE MIXTUM Christum dicit ostensum in Angelis, et primogenitum nostrum in gratia, quia nemo ante ipsum, alpha et omega, principium et finem. Cf. p. 58, 107, 128, 162, 201.

MISSALE FRANCISCANUM. Angelos et Adamum creatum Jesu nomine cantat missale romano-seraphicum. Cf. p. 81.

ECCLESIA GEMMETICENSIS (Prosa) :

> Christe Salvator, Jesu,
> Alpha et omega, eia.

ECCLESIA BITURICENSIS (Prosa). Cf. p. 127.

BREVIARIUM GOTHICUM prædicat in Christo cœlum et terram condita esse, de Christo dicenda verba Prov., VIII, 22, Christum esse requiem angelorum, coronam Ecclesiæ et alpha et omega. Cf. p. 47, 94, 162, 192, 200.

BREVIARIUM ROMANUM videtur dicere Adamum ad imaginem Christi formatum Cf. p. 56.

Imo Ecclesia Orientalis Primatum Christi ita proclam.t die 8 Nov :

Synaxis archistrategi Michaelis et reliquarum incorporearum Virtutum.

Quamvis συναξεως vocabulum in titulo festi positum directe atque immediate indicat sacrum fidelium conventum, solemnitatis SS. angelorum agendæ causa, in multis libris tamen indirecte ac veluti in obliquo adsignificat concordiam ac conspirationem eorumdem angelorum adversus Luciferum ejusque socios rebellantes, atque inde victoriam quam cum divini honoris adsertore ac vindice Michaele consentientes de Satana retulerunt. « Hujusmodi igitur angelorum conspiratio, inquit Menolog. Basil., pp. 149, 150, appellata est synaxis, hoc est attentio, concordia, unio... » Consentiunt et *Ephemerides figuratæ* in quibus angeli repræsentantur tenentes in medio infantem Jesum, seraphino impositum, quod scilicet omnes spiritus cœlestes propositum sibi Incarnationis mysterium, archangelo Michaele auctore ac duce, crediderunt, et conspiratione cum eodem facta rebellantes angelos ad tartara detruserunt. (Nilles, S. J., Kalendarium manuale utriusque Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis. De Kalendario commentarius, Par. I, p. 319.)

Conclude : universalis Ecclesia usque ad tertium decimum sæculum Primatum Christi ore fere uno prædicavit.

Præcipui ergo impugnatores Primatûs Christi, videlicet Angelicus et Seraphicus Doctores, specie auctoritatis non satis elucidatæ, suam sententiam propugnaverunt, quamvis concederent contrariam sententiam magis judicio rationis consonare.

PARS III

DE THEOLOGIS ET AUCTORIBUS QUI, INSTITUTA CONTROVERSIA, DE PRIMATU CHRISTI EGERUNT.

Excussâ Doctoris Angelici sententiâ, quædam parum concordantia in ipsius scriptis notavimus. Novatoriè enim Primatum Christi impugnat, dum tamen ipsum esse et exemplar et causam prædestinationis hominum et angelorum, ipsum causam finalem creationis affirmet.

Sed quomodo hæc concordare possint explicandum venit ipsius sectatoribus. Hìc autem labor. Hujus difficultatis testis est P. Didacus Alvarez Metinensis, Archiep. Tranensis (1635) : « Thomistæ, ut fatetur, variant in explicando opinionem S Thomæ.

» I[a] explicatio est Cajetani qui ut defendat doctrinam S. Thomæ, quinque signa rationis distinguit. In 1° cognovit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ tres modos possibiles quibus suam bonitatem poterat creaturis communicare. 1[us] est secundum ordinem naturæ tribuendo illis esse naturale. 2[us] est secundum ordinem gratiæ elevando creaturas ad supernaturalem finem. 3[us] modus est secundum ordinem gratiæ unionis, communicando suum esse per unionem hypostaticam. — In 2° signo decrevit Deus suam bonitatem creaturis communicare secundum ordinem naturæ et in hoc signo cognovit omnia naturalia et etiam peccata ut sunt defectus naturæ. In 3° signo decrevit se communicare secundum ordinem gratiæ... et cognovit peccatum originale... In 4° signo, præsupposita permissione peccati originalis decrevit... unionem Verbi hypostaticam...

» IIª explicatio est aliorum thomistarum qui solum constituunt tria signa rationis ; in quorum 1° cognovit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ tres illos modos quibus poterat se communicare creaturis. In 2° signo decrevit se communicare seipsum summo modo per unionem hypostaticam et in hoc signo nulla fuit facta mentio peccati, nec remedii illius, immo nec alicujus puræ creaturæ producendæ. In 3° signo decrevit Deus condere universum et elevare creaturas intellectuales ad ordinem gratiæ, omnia ordinando ad Christum...

» Convincuntur isti auctores argumentis quibusdam quorum potissimum est quod finis debet esse primus in intentione... Idem confirmant locis Scripturæ adductis, nam alias non salvatur quod Christus ut homo fuerit primogenitus inter omnes creaturas. » (De Incarnat. Verbi. Ad III S. Thomæ, qu. I, art. III, disput. 9, n° 5-6.)

N. B. — Hi auctores, ut patet, propugnant Primatum Christi quum prædicent ipsum prædestinatum ante omnes creaturas, ipsum et causam finalem.

Neutra tamen sententia difficultatis satis enodatoria quibusdam videtur. Adest tertia et quarta sententia, videlicet, Suareziana et eorum theologorum qui negant angelos a Christo accepisse gratiam ut et tutiore viâ impugnare possint Primatum Christi.

Varias ergo instituemus Theologorum classes, ut facilius de ipsorum mente clarescat.

Agemus, 1° de his qui recitant sententiam Doctorum Seraphici et Angelici quin agant de difficultatibus ;

2° De his qui objectionibus quæ ex Scripturis eruendæ videntur respondere conantur ;

3° De his qui a Christo gratiam accepisse angelos negant contra Angelicum, ut cum ipso impugnent Primatum Christi ;

4° De Cajetanam sententiam propugnantibus ;

5° De Suareziana sententia ;

6° De Primatum Christi prædicantibus.

CAPUT I

De his qui sententiam Doctoris Angelici propugnant quin respondeant argumentis Scripturæ.

Priusquam agatur de his theologis, quidam qui neutri dici possunt notandi videntur.

1° Riccardus a Mediavilla O. M. (circa 1300). In quæstionem : *Utrum contigisset Incarnatio permanente statu innocentiæ*, ponit hanc conclusionem :

« Sine præjudicio concedi potest, etiamsi natura humana permansisset in statu innocentiæ adhuc congruum fuisset Dei Filium incarnari.

» Alii dicunt, quod Incarnatio Filii Dei tantæ fuit dignationis quod numquam fuisset incarnatus nisi genus humanum lapsum fuerit...

» Qui vult tenere opinionem primam (affirmativam) potest dicere quod allegata ad oppositum procedunt de Incarnatione secundum quod accipitur per assumptionem humanæ naturæ passibilis.

» Qui vult tenere opinionem secundam (negativam) quæ magis videtur concors auctoritatibus sanctorum etc. » (In Sent. III, D. 1, art. 2, q. 4.)

In III Sent., Dist. XIII, art. 2, q. 2. Concludit Riccardus quod Christus sit caput angelorum quin exponat tamen utrum sit caput angelorum per gratiam et gloriam necne.

2° Marsilius d'Inghen o inguen (1390) (In III Sent. Dist. 1, q. 1, art. 1) : *Utrum Regnum increatum (i. e. Deum) fuisset incarnatum, dato, quod homo non cecidisset in peccatum ?* — Pro quo sciendum est quod de hoc

Doctores nostri habent contrarias opiniones, quæ ambæ (quia ad pietatem tendentes) sunt recitandæ... Ad quæstionem, nescio bene quid probabilius : ambæ enim opiniones a catholicis et valentibus doctoribus sustinentur. Ambæ etiam opiniones animam excitant ad devotionem, quamvis diversis viis secundum varias ac alias et alias considerationes. Bonaventura tamen dicit quod primus modus (opinio affirmans) magis videtur consonare judicio rationis... Eligat quis modum sibi magis placentem. Mihi vero propter testimonia N. et V. Testamenti, sanctorumque testimonia (quæ reperiuntur apud Thomam et Bonaventuram) magis placet opinio secunda (i. e, negans), nihil tamen asserendo propter auctoritates superius inductas.

3° JACOBUS ALMAINUS (1515). In III Sent. D. II, q. I : *Dubitatur utrum si Adam non peccasset nihilominus Deus incarnatus fuisset.* Exposita utraque sententia dicit : « Quantum ad hoc dubium, videtur mihi quod utraque pars probabiliter defensari potest... Ideo secundum primam opinionem (affirmativam) dicunt quod auctoritates quæ sonant, quod illius adventus est causa redemptionis, intelliguntur de adventu in carnem passibilem, quamvis concedatur, quod si Adam non peccasset, fuisset Christus incarnatus, non tamen assumpsisset naturam passibilem. Alia opinio quæ defensatur communius, in quam magis inclinant Thomas et Bonaventura est quod si Adam non peccasset, Christus non incarnatus fuisset. »

4° JOANNES DETTO MAJOR (1548). In III Sent. Dist. VII : « *An si Adam non peccasset, Christus incarnatus fuisset* ». Resp. : « Hìc sunt duæ positiones oppositæ. Partem affirmativam tenet Alex. Alensis et Dr Subtilis. Positio illa tenet : Christus fuisset incarnatus, sed non passus fuisset. Ita ad auctoritates plures oppositum insinuantes respondetur. — Alia est positio non minus communis tenentis partem negativam. In hâc parte non video argumenta stringentia.

» Pro solutione quæstionis pono duas conclusiones.

Quarum prior est : Si Adam non peccasset, nec aliquis alius, poterat Deus incarnari. Secunda conclusio : Problema neutrum est titulus quæstionis. Prior patet. Deum incarnari est contingens et a voluntate divina dependens. Ergo poterat incarnari, dato quod nullus peccasset unquam. Secunda conclusio non aliter probabitur, quam rationes topicas hinc inde adducendo et quidem paucas. Cum paucis verbis potest utrique parti fieri responsio. . »

Et concludit : « In hac materiâ, in qua exitus in fundo haberi non potest, non est curiose invigilandum. »

Hìc etiam notari possunt alii theologi qui nec de motivo Incarnationis, nec de gratia angelorum quæstionem instituerunt.

5° ANTONIUS ANDREAS CONVENT. in III Lib. Sent., Dist. III, q. 1ª. « Ad ultimum de pœnalitatibus potest dici quod non erat necessarium quod præservaretur ab ipsis (Maria), quamvis peccatum non contraxerit, quia non propriis meritis fuit immunis a peccato et ideo non injuste habuit dictas pœnalitates, sed juste sicut etiam contraxisset peccatum nisi speciali gratia præservata fuisset.»

Et dist. XX, q. 1ª, in finem : « In priori signo naturæ Deus prædestinavit electos quam prævideret Christi passionem. Sed consequentia non tenet. Propter quod sciendum est quod fuit ibi talis ordo ab æterno. Deus in 1° signo intellexit se sub ratione summi boni. In 2° signo intellexit in se creaturas. In 3° signo providit aliquos ex sua libertate debere finaliter bene agere et aliquos male, et illos etiam vidit, quos bene prædestinavit, circa alios habuit actum negativum non prædestinando. In 4° signo vidit omnes istos et illos casuros in Adam. In 5° signo præordinavit et prævidit de remedio quomodo scilicet omnes deberent redimi per merita passionis Filii. »

Non egit de motivo principali Incarnationis nec de merito Christi quoad angelos.

Idem dicendum de *Guillelmo Vorrilong.* (Repertorium in IV lib. Sent. Scoti), de *P. Josepho Angles* (Flores in

IV lib. Sent.) ; de *P. Mathurino le Bret* (in lib. Sent. Scoti) ; de *P. Paulo* O. M. (in I Scoti) ; de *P. Guillelmo Okam* (in 4 Sent.) etc.

Nunc agendum de his qui sequuntur S. Thomam.

Annibale ab Annibaldi (1272). Exponit et revera negativè concludit. Nam, in III Sent., Dist. I, art. 2 : *Utrum congruum fuerit Deum incarnari,* respondet : « Quod potissima ratio quare Deus incarnatus est secundum sanctos, sive secundum congruentiam est reparatio generis humani. »

Sed in eodem art. probat congruentiam Incarnationis sic argumentando : « Infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, decet per effectum infinitum manifestari. Sed nullus effectus Dei infinitus est, sed solus Deus. Ergo congruit, ut effectui suo conferret, quod esset Deus. »

B. Petrus a Tarentaise (Innocentius V) (1276). In III S., Dist I, q. I, art. 2 : Utrum contigisset Incarnatio manente statu innocentiæ.

Respondet inclinando in negativam sententiam propter auctoritatem.

Joannes de Turrecremata, S. E. R. Cardinalis (1388 1468) (Quæstiones Evangeliorum) : « Ad secundam quæstionem proceditur : *Utrum si homo non peccasset Verbum incarnatum fuisset.* »

Exposita sententia scotistica, S. Thomæ sententiam ut veriorem oppugnat : « Hanc ergo assertionem (S. Thomæ) sive opinionem tanquam veriorem sequentis dicimus etc. » Non agit de objectionibus de Scriptura excerptis.

Sed et S. Thomam sequitur in sanctificatione Mariæ de quâ : « Rationabiliter creditur quod beata Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur » et recitat verba Bernardi : « Beatam Virginem omnibus modis constat ab originali contagione priusquam nasceretur esse mundatam. »

Barlette O. P. (1470) (In festo nativitatis Domini sermo) : « *Utrum si homo non peccasset...* Ad hoc duæ sunt opiniones. Una Alexandri Ordinis Minorum ; alia

est Thomæ. Alexander dicit quod Christus incarnatus fuisset. Ratio illius est : Homo est creatus ad beatitudinem consequendam et est beatificabilis in utroque et quoad corpus et quoad animam. Sed beatitudo hominis quoad partem sensitivam est in aspectu humanitatis assumptæ. ... Alexander quoad hoc nihil probat, cum beatitudo hominis sit ex ipsa divinitate, ut ait Augustinus. »

Quin aliud argumentum proferat, non secus ac si unica esset hæc ratio, opinionem S. Thomæ propugnat.

Idem impugnat Conceptionem Immaculatam Deiparæ propter præsertim hanc rationem : « Asserere contrarium et oppositum ejus quod fere omnes doctores docent et tenent est impium et temerarium. » (Lugduni, 1436.)

P. Petrus de Candia, O. M. (410). In 3um lib. Sent. q. I, art. III : *Utrum beatissimæ incarnationis ultimata ratio et præcisa fuerit humani generis relevatio ad pristinam dignitatem ?...*

« 7a conclusio et finalis responsiva ad articulum est ista : Sola generis humani redemptio fuit finalis causa propter quam Verbum divinum incarnationis nuptias misericorditer celebravit....

» Teneo igitur propter sanctorum auctoritates et propter majorem inflammationem affectûs nostri ad Deum, quod, si primus parens non peccasset, Christus nec aliud divinum suppositum carnem humanam assumpsisset, cum non videatur major ratio de natura angelica quam humana... »

Et, Lynconensi impugnato, sic concludit Petrus : « Sic igitur apparet quid sit dicendum ad rationes istius opinionis (contrariæ), quæ positio in rei veritate subtilior est quam ista quam teneo, licet ista quam sequor sit devotioni et auctoritatibus sanctorum consonantior... ; et similiter sentit Dominus Bonaventura, vel potius ego cum eo. »

Thomas ab Argentina Erem. Aug. (1357) (In Sent., lib. III, dist. I, q. I, art. IV) : « *Si homo non peccasset Filius Dei humanam naturam non sumpsisset...* Quod

probo sic : Cessante causa, cessat effectus. Christus venit in hunc mundum ut peccatores salvos faceret (I Tim, I). »

UDALRICUS seu ULRICUS AB ARGENTINA, discipulus Alberti Magni (In III, dist. I, q. 2 summa 5° lib.) : « Videtur de tanto secreto (motivo Incarnationis) satis assertorie loqui... In hac re credendum est ei qui de seipso testatur : « Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat »... Contra quod dicimus, est quod si Deus incarnatus fuisset quamvis necessaria non fuisset redemptio, tunc aliud a redemptione esset principalis finis Incarnationis et iste est tantum finis per accidens. Cumque Scriptura finem illum principalem et per se nunquam assignet, sequitur quod Scriptura sit irrationalis et diminuta in eo quod est unum de principalioribus totius fidei, ac doctrinæ Scripturæ et assertores illius opinionis melius sciunt et sentiunt de his quam Apostoli et Prophetæ et quam aliquis S.S. Doctorum, imo quam Christus ; quod absit ! Blasphemia enim est. »

Ita Uldaricus, dicit Dionysius Carthus, in his sicut in aliis multis immoderate se effundere videtur...

JOANNES CAPREOLUS, O. P. (1444). — Dicit, ut S. Thomas, quod salvandi electi fuerunt absolute et ante voluntatem permissivam peccati ;

Quod incarnatio occasionata fuerit peccato : « Deus voluit animam Christi esse priorem cæteris in gratia et gloria ; et omnes alios et beatitudinem et gratiam et redemptionem eorum ordinari in gloriam animæ Christi. »

Attamen non decrevit Incarnationem nisi ad reparandas creaturas lapsas.

J. GERSON (1429) (De artic. fidei. Lib. I, q. III[a]) : « Præcipua causa incarnationis Domini fuit reparatio generis humani... quia nisi ovem suam Deus perdidisset, de cœlo ad terram non descendisset. »

Attamen idem Gerson (Tract. V, super *magnificat*) : « (Maria) causa, finis et affinis omnium generationum, ab initio et ante sæcula creata, hoc est prædestinata. »

HIERONYMUS DE MEDICIS (Summæ theologicæ

S. Thomæ formalis explicatio; 3ª pars, q. I, art. III): « *Utrum si homo non peccasset*, etc. Huic assertioni (S. Thomæ) magis assentiendum videtur... quia, in S. Scriptura utique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur. »

Hieronymus sequitur S. Thomam, *de gratia capitis*, q. VIII et q. XXIV, de prædestinatione Christi causa nostræ prædestinationis.

Ergo ex Hieronymo, Christus influit vitam angelis et hominibus; Ipse est causa nostræ prædestinationis et Deus præordinavit ut Incarnatio esset nostræ salutis causa, et tamen magis tenendum videtur quod, Adamo non peccante, Filius Dei incarnatus non fuisset...

FRANCISCUS A CHRISTO, Ord. Eremit. D. Augustini (Commentariorum in III lib. Sent., libri duo. De Verbo incarnato, dist. I, quæst. IVª): « *Utrum si homo non peccasset, Dei filius*, etc. (Concl. Iª):

« Si genus hominum peccato primi parientis non fuisset deperditum, Dei filius non fuisset incarnatus.. »

S. Thomæ doctrinam propugnat dist. XIII, q. IV, de capitatione Christi.

1ª Conclusio... « Porro Christum esse caput angelorum hinc ostenditur... ut qui sit Deo conjunctior et de cujus plenitudine non homines modo, verum etiam angeli accipiant. »

Et quæstione Vª, IIª concl.: « Licet totus Christus influat gratiam, vis tamen influendi primario convenit animæ Christi. » (Conimbriæ, 1579).

PELBARTUS DE THEMESWAR, O. M. (Corona, lib. I, p. 1ª, artic. I): « *Primum consilium*. Possumus pie imaginari quomodo ante creationem mundi in consistorio sanctæ Trinitatis consilium habitum est de hujus mundi creatione... Prima quæstio: utrum creari debuerat natura angelica; secunda quæstio: utrum creari debuerat insuper natura humana; tertia quæstio: utrum rationalis creatura creari debuerat vertibilis in arbitrio libera...

» *Secundum consilium*. Pie possumus contemplari

quomodo sancta Trinitas prævidens rationalem naturam tam in angelo quam in homine ruituram, tractavit consilium de reparatione, ne civitas superna vacua suis civibus maneret... Tertio, quia conclusum est quod Deus homo debet facere hanc satisfactionem, quæstio mota est : Quæ Personarum divinarum deberet incarnari ut Deus homo fieret et satisfaceret.

» *Consilio tertio*, 1ª quæstio : utrum ante peccatum tempore innocentiæ Filius deberet incarnari. — Determinatum est quod ante peccatum tempore innocentiæ non deberet Filius Dei incarnari... Quia Incarnatio medicina debet esse et est contra peccatum, ergo post peccatum debuit Filius Dei incarnari. — Hæc Bonaventura, Richar de Mediavilla et communiter alii doctores. »

Attamen,secum discors,dicit quod Christus fuerit caput Ecclesiæ in statu innocentiæ ; quod Lucifer peccaverit per invidiam quia noluit se subjicere Christo, quod involvit Christum fuisse causam meritoriam gratiæ angelorum et Adami innocentis.

ADAMUS TANNERUS S. J. (1572-1632.) (Disputationes theologicæ. In IIIªᵐ Partem S. Thomæ, disput. I, nº 18) : « Verior et Scripturæ et Patribus, adeoque tam Dei erga homines lapsos caritati, quam fidelium consolationi, conformior est S. Thomæ sententia, Christum ex vi præsentis decreti divini (de alio enim frustra quærimus) non fuisse venturum nec in carne quidem impassibili, (de passibili enim res liquida est), si homo non peccasset juxta illa Scripturæ testimonia etc... — Ordine ergo independentiæ sive secundum subsistendi consequentiam non fuit prædestinatus Christus ante prævisionem peccati...

» Nº 19. Fatemur nihilominus, ordine intentionis Christum ante omnes homines, omnemque peccati prævisionem esse prædestinatum, velut caput et finem secundarium omnis creaturæ, quod satis aperte docet Scriptura...

» In quam sententiam etiam in Concilio Trid. (sess. 6,

c. 7) definitum est, causam finalem nostræ justificationis esse gloriam Dei et Christi.

» Hæc series instantium seu signorum in mente divina constituenda est : I. Voluit Deus gloriam suam, adeoque seipsum rebus omnibus ut supremum finem ; II. Gloriam et exaltationem Christi ut nempe caput esset et princeps tam hominum quam angelorum, adeoque finis omnis creaturæ. III. Voluit creare homines et angelos ad propriam beatitudinem. IV... Voluit permittere peccatum.... VI. Prædefinivit media electis... » (Ingolstadii MDCXVIII).

Aperte ergo sibi ipsi contradicit. Nam Primatum Christi expresse ponit in serie instantium seu signorum, quem impugnat n° 18, disp. I^a.

GUILLIELMUS ESTIUS, *Academiæ duacensis Cancellarius* (1613.)

(In III Sent. Com., Dist. I, § II.) Utrum homine non peccante, Christus fuisset incarnatus.

S. Thomæ opinionem sequitur præsertim quia « Scriptura causam adventus Filii Dei non aliam cognoscit quam liberationem hominis a peccato ».

« Denique ad refellendam contrariam opinionem vel nullum illud sufficere potest, quod ea nusquam in scriptis veterum Patrum orthodoxorum expressa reperiatur. » (Tomus tert., p. 2. Parisiis, 1596.)

AUGUSTINUS OREGIUS (1577-1635.) Theologia 3^a pars, tract. I, quæs. IV : « *Si Adam non peccasset...* Affirmantem sententiam quam gravissimi docent auctores nec absurdum nec rationibus carere suadetur...

» Verumtamen respondetur dicendum : Si Adam non peccasset nulla est ratio quæ Verbum carnem sumpturum fuisset convincat. »

P. JOAN. ROA DAVILA, Ord. Can. Reg. S. Aug. (Apologia pro Im. Conceptione B. Mariæ Virginis.) Expositâ utraque sententiâ S. Thomæ et B. Scoti, S. Thomæ opinionem amplectitur — et addit infra : « Est de fide redemptionem peccatorum et gratias omnes divinas

(præter justitiam originalem primorum parentum et gratiam angelorum) esse nobis a Christo. » (Bracciani, 1624.)

Christophorus Silvestranus O. Carm. (III. Sent., Dist. 2, Lect. octava) : « Assumo primam conclusionem videlicet causam Incarnationis, quæ est quod propter curationem et sanctificationem humanæ naturæ fuit facta Incarnatio. Et ita apparet quomodo multi ex scolasticis recedunt a scopo Magistri, tenentis quod etiam licet non intercessisset culpa, tamen assumpsisset naturam nostram. »

P. Nicolas Caussin S. J. (1651.) (Le buisson ardent.) Discours 12e « Les théologiens disputent sur le vrai motif de l'Incarnation... Sur quoi je dis que quoique l'on ne puisse pas décider cela absolument sans quelque marque de témérité, il y a néanmoins bien de la probabilité et de la bienséance dans cette pensée (que sans le péché le Verbe se serait fait chair) pour les raisons naturelles et théologiques.

» Quand S. Paul, qui a étudié à l'école des anges, parle de Jésus-Christ, il le regarde comme le premier chef et le but de toutes les œuvres de Dieu. Tout est à lui, tout est pour lui, son Père céleste l'a envisagé de toute éternité comme la plus haute perfection et le dernier accomplissement de ses ouvrages. Tout ce qu'il faisait auparavant dans le monde n'était qu'un essai et un rude crayon pour aboutir enfin à la gloire du Verbe Incarné. Il le contemplait dans les grandes idées, comme les premiers pas de ses communications, le commencement de ses voies, l'original de toutes les grâces... car bien que sa sainte humanité ait été créée et formée après tant d'essences, qui avaient déjà paru dans le monde devant qu'il vînt pour le sanctifier, il faut toutefois avouer que tout ce qui avait été créé et tout ce qui était à faire, ne subsistait que dans la considération de cet homme Dieu.

» N'est-il pas donc très probable que Dieu nous a

plutôt rapportés à son Fils que son Fils à nous, l'envoyant au monde non pas seulement comme dans un hôpital pour y bander des plaies et y appliquer des cautères, mais comme dans un temple pour y présider en qualité de vrai Pontife et y enseigner les plus pures maximes de la religion... ?

» Toutefois, comme nous jugeons des choses plus par l'évidence des effets que par la conjecture des présages nous avouons avec l'Ecriture et les Saints Pères que la cause la plus notoire de l'Incarnation a été la Rédemption et le soulagement des misères de ce monde. »

Hæc conclusio quæ non videtur consequi ex præmissis, concordat cum dictis S. Thomæ et S. Bonaventuræ : una sententia plus consonat judicio rationis ; altera autem plus pietati fidei.

De la Chetardie (Hom IX de Incarnat. IIª Pars.) : « *Gratia uberior* (facta est per Incarnationem) ad quod investigandum operæ pretium est scire quod si Adam non peccasset, omnium hominum caput permansisset... »

At subdit : « Gratia quippe Christi mediatoris defluit non in solos homines, sed et in omnes angelos... Quin vero Christus caput est non solum hominum, immo et angelorum... Ergo in illos influit lumen, operationem, virtutem. » (Paris, 1706).

Becanus (De Inc. c. 1, 9, 6) : « Christus est finis omnium operum divinorum ut Deus... ; est etiam finis ut homo creaturæ renovatæ. »

Antonius Senensis Lusitanus, O. P., secundum doctrinam S. Thomæ exponit Christum fuisse caput hominum et angelorum et ipsis tam angelis quam hominibus influxisse gratiam, attamen finem Incarnationis principalem fuisse liberationem hominis a peccato.

Thomassinus (1619-1695) fuse probat? quod Verbum propter peccatum incarnatum fuerit.

Recitatis verbis Jacobi Naclanti Clugiensis Episcopi et Ruperti : « Perelegantia ista sunt, ut vides, nec tamen adamussim satis expensa et castigata sunt... Quid enim

Christus, quam Deus exinanitus ? Quid Deus incarnatus quam Deus exinanitus ? Peccatores ergo non gloriam Christi, sed exinanitionem imputare sibi debent. » (De Incarn., Lib. II, cap. VI, n° IV.)

Attamen ibid., De Incarn., Lib. II, c. VI, n° XII : « Assensum impetrabimus, ut spero, si serio spectemus prius Deum suis, quam nostris rationibus prospicere Omnia enim propter semetipsum fecit, omnia et propter semetipsum refecit. Nobis salutem, sibi gloriam post calamitatem nostram quæsivit ; sed prius sibi gloriam et ita demum nobis salutem... Hanc Verbo suo, hanc sibi gloriam præmolitus ab æterno Deus post prævisam calamitatem nostram, ex consequenti, ut moris illi est, ad nostræ salutis providentiam defluxit.. His ita conclusis atque perfectis, nostra detumescit superbia nec palmam primariæ prædestationis Christo præripere nos posse jam speramus. In ipso et secundum ipsum nos prædestinamur, non singuli tantum, sed universi, non singillatim tantum, sed universim omnes. Illius causa nos eligimur; ad illum referimur, illi mancipamur, non ille nobis. »

Ergo ex Thomassino referimur ad Christum et illi debetur primariæ prædestinationis palma.

Sed si Christus est causa nostra finalis, si est causa exemplaris et meritoria nostræ prædestinationis, noli ipsum dicere priorem nobis decretum. Nec etiam dicas quod Christus, nostra causa finalis et causa prædestinationis, fuerit et causa prædestinationis angelorum. Inde enim catastrophe, et illamentatæ ruinæ et forsan finis Ecclesiæ.

Sed audi auctorem :

Ibid., cap. XI, n° XXIV : « Frustra enim laborant qui gratiam illam qua donati sunt primi angeli Christi hominis meritis imputant. Obluctantur enim Scripturis, obluctantur Patribus, obluctantur Ecclesiis, consonantissime vociferantibus, peccato uni expiando servire exinanitionem Verbi.. Si per carnem operata est Deitas Verbi salutem angelicam, patritiæ atque apostolicæ

theologiæ fundamenta penitus convelluntur. Perinde enim et humanam salutem extruere potuerit in extranea quapiam natura sibi copulata. At hinc quam foeda christianorum dogmatum labefactatio ! Labat enim illud quod in naturâ victâ vincendus fuerit victor diabolus.

»... Labat illud quod liberatum non sit quidquid assumptum non est. Labat illud quod nisi carnem, animam, mentem induerit, haec vel omnia vel singula sint in nobis salutis cassa et expertia.

»... Omnia demum collabescunt fidei catholicæ adversus hæreticas munimenta et impunè jam insultabunt Manichæi, Eutychiani, Nestoriani etc... »

CAPUT II

De theologis qui Primatum Christi impugnantes ad ea quæ sibi ex Scriptura et Patribus objiciuntur respondere conantur.

Vasquez, S. J. (1604), sententiam S. Thomæ sequitur, fundamentum Suarezianæ sententiæ, videlicet duorum finium totalium impugnat, et sic objectionibus respondet : (In 3 Part. S. Thomæ, Tom. I, q. I, Disp, X, art. III, cap. VIII, n° 113) : « Primum testimonium est Proverb. 8 : *Dominus creavit me initium viarum suarum.* Ex quo, nisi suo marte adversarii illud interpretentur, nihil pro sua sententia colligere possunt. Nam primum, si sequamur vulgatam lectionem, ex qua efficax argumentum deducere sibi videntur, hoc modo dicitur : *Dominus possedit me.* Planior autem sensus est, sicut ait Jansenius in eum locum, ut ibi sermo sit, non de sapientia humana, neque divina aut increata speciatim, sed de sapientia secundum se et in universum tanquam ab utraque abstracta et introducatur per figuram prosopopæiam tanquam de seipsa loquens illis verbis : *Dominus possedit me.*

» Ad secundum testimonium ex cap. I ad Colos. et ad Rom. 8, respondeo, ideo dictum fuisse Christum primogenitum omnis creaturæ, non quia prius ordine causæ prædestinatus est a Deo, quam alia futura præfinirentur, sed quia honore cæteris antecellit, sic enim Hieronymus exponit et nullus hactenus de eo genere prioris, de quo adversarii interpretantur, intellexit hunc locum. Quod vero subdit Paulus in illo cap, I ad Colos : « Quoniam in ipso condita sunt universa » omnes expositores referunt

ad divinitatem Christi, et, *in ipso*, idem est, quod, *per ipsum* ut de multis locis Scripturæ late ostendi..., nullusque hactenus illud *in ipso*, dixit idem esse, quod, *propter ipsum*, neque de humanitate intellexit, etiamsi includas Anselmum quem pro se citant adversarii ; excipio tamen Rupertum, qui sententiam oppositam sequitur, tametsi illud quod postea sequitur : *Et omnia in ipso constant*, nos interpretati sumus in paraphrasi illius loci et aliqui alii, ut denotet causam finalem et sensus sit, propter ipsum constare omnia, nam in græco non dicitur ἐν αὐτῷ, sicut supra dicitur, ubi vulgatus legit « *in ipso condita sunt universa*, » sed dicitur εἰς αὐτὸν, hoc est, in ipsum. Porro autem prædicta hæc verba « *quoniam in ipso*, etc.) intelligenda esse de divinitate ipse contextus planè indicat.

» Ad testimonium ex I ad Cor. III : « Omnia vestra sunt, vos autem Christi. » Ergo Christus est finis creationis ; dicit Vasquez sensum hunc nullum adhuc interpretum secutum fuisse, et verum sensum esse, nos et nostra omnia esse Christi, non quia nos simus creati primaria intentione propter Christum, sed quia tota nostra vita debet esse consecrata Christo, eo quod jure redemptionis tanquam servi emptitii ad ipsum pertineamus. »

Nemo non videt interpretationem Vasquezii dictis Patrum adversari.

Etenim 1° ipsius distinctio de sapientia quæ, Jansenio teste, nec est increata nec incarnata, sed tanquam ab utraque abstracta, est apud Patres inaudita, imo et contraria eorum interpretationi.

Pluris facit ergo interpretationem Jansenii quam doctrinam Patrum et Conciliorum.

Adde, ut dicit Henno, O. M., quod sapientia in genere nihil sit reale et consequenter non potest creari cum terminus creationis (et possessionis) sit quid positivum.

2° Christum dicit primogenitum non quia prius ordine causæ prædestinatum sed quia honore cæteros antecellentem. Sed contra, — ut verbis Fabri, O. M. utar, —

si Christus non esset primus prædestinatorum, sed ultimus et ordinatus ad sublevationem aliorum prædestinatorum, procul dubio non esset primus in honore ; quia non esset primus sed ultimus et esset occasione aliorum volitus, non propter se ; alii vero propter se ; nec posset dici primogenitus sed ultimus genitus. Sensus ergo litteralis convincit Christum ut hominem esse primo prædestinatum.

3° Dicit quod contextus plane indicet hæc verba : « In ipso (ipsum) condita sunt universa τα παντα εις αυτον εκτισται » intelligenda esse de divinitate. Sed adversatur multis scriptoribus ecclesiasticis et innumeris theologis, ut videbitur, qui occasione hujus textûs dicunt omnia propter Christum, Deum hominem creata.

4° Ut pateat hunc textum I Cor. III probare omnia esse propter Christum et interpretationem Vasquezii non concordare cum sensu litterali videndum qua occasione hæc scripta sint. Paulus reprehenderat, ait Faber, Corinthios quia gloriabantur in eis a quibus baptizati et edocti fuerant... et dicit Apostolus quod non debent gloriari in hominibus sed in Christo ; nam ipsi non erant facti propter homines illos, sed illi baptizantes, vita eorum, mors, præsentia etc., erant facta propter prædestinatos. « Quo verbo, ait Chrysost., Hom. 10, magistrorum insolentiam tollit, ostenditque non modo nullam illis discipulos gratiam, sed illos discipulis debere, propter hos enim tales facti sunt. »

Ergo ex sensu litterali dicendum est nos creatos fuisse propter Christum.

De Lugo, S. J. (1583-1660.) (De Incarnatione Disp. VII) sic exponit motivum Incarnationis : « Diximus mundum fuisse a Deo ex speciali affectu erga Christum, non directe sed indirecte, quatenus affectus erga bonum illud, quod resultare debebat ex adventu Christi Redemptoris, temperavit malum, quod imminebat ex peccato futuro, si mundus crearetur ; quare Deus, qui alias mundum non creasset, nec peccatum permitteret, præ-

videns tamen per scientiam mediam gloriam Christi venturi in remedium peccati, creavit mundum... affectu erga Christum ; nam affectus ille impedivit ne odium peccati Deum removeret a mundi creatione. *Illa itaque ipsa creatio erat effectus prædestinationis Christi ;* oriebatur enim saltem indirecte ex speciali affectu erga Christum ; et quidem licet ille affectus non esset formaliter voluntas absoluta de adventu Christi, erat tamen virtualiter et æquivalenter... »

Hæc est expositio mere phantastica, nullo modo fundata in Patribus. Vide autem quomodo respondeat objectionibus ex Scriptura.

(De Incarn. Disp. VII, sect. II) « Dissolvuntur objectiones :

» 1°. Dominus possedit me in initio viarum suarum. Resp. LXX : non habent « in initio viarum » sed « initium viarum ». Item pro illis verbis « antequam quidquam faceret » dicunt « in opera sua vel ad opera sua ». Itaque Patres qui prædictum testimonium accipiunt de Christo, intelligunt de Christo volito ad restauranda opera Dei. *Initium* dicitur non ordine causalitatis sed excellentiæ.

» 2° Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Eph., I. — Ibi solum significari prioritatem durationis quasi dicat : antequam essemus, jam Deus nos elegerat, ut obiter jugulet errorem eorum qui ponebant animas ab æterno.

» 3° Omnia vestra sunt, vos autem Christi... Faciliùs explicatur, ut sonat, nos debere esse consecratos Christo sicut Christus est Deo.

» Cæterum adhuc ut majorem Christi dignitatem in hâc etiam parte ad placitum adversariorum tueamur, addere possumus, Christum fuisse finem dilectum a Deo in creaturarum productione, seu ex affectu Christi aliquo modo cætera Deum voluisse ; ad hoc enim non requiritur decretum condendi mundum, v. g. processisse ex intentione efficaci Incarnationis ; sufficiet processisse ex affectu

simplici circa Christum... Potuit ergo Deus prius complacere in Christo et ex complacentia in ipso velle reliquas creaturas, quibus pararetur via ad gloriam Christi ; ita ut Christus saltem esset finis *cui* respectu creaturarum vel finis etiam *cujus gratia*, aliquo modo, non quidem efficaciter sed per simplicem affectum dilectus !.. »

Quæritur quomodo « creatio potuerit esse effectus prædestinationis Christi nondum decreti. » Et respondetur : 1° de interpretatione Prov. VIII, 22. Patres loquuntur de Christo in se volito et non ad restauranda opera Dei. Quæ expositio caret fundamento, nec non, ait Frassen, O. M. aperte contraria est his sequentibus illius oraculi verbis : *Antequam terra fieret, ante omnes colles parturiebar.*

Quod addit : « *Initium* dicitur non ordine causalitatis sed excellentiæ » jam responsum est occasione Vasquezii.

2° *Elegit nos in ipso ;* inaudita apud Patres hæc interpretatio. Attamen integram relinquit vim probativam textûs. Si Deus nos in Christo elegit, electio Christi antecedere debuit nostram electionem.

3° Omnia vestra etc. jam supra apud Vasquezium responsio invenitur.

4° Quis dabit nobis intelligere quod « affectus simplex circa Christum quo vult reliquas creaturas quibus pararetur via ad gloriam Christi » non sit tamen « decretum condendi mundum ex intentione efficaci Incarnationis »?...

P. JOANNES PRÆPOSITUS, S. J. (†1631) (Commentaria in 3am partem S. Thomæ. De Incarnatione. Quæst. I, art. 3, n° 65.) S. Thomam sequitur.

« Contra tamen objicitur Proverb. VIII : Dominus possedit etc. quod multi Patres intelligunt de Sapientia incarnata... Respondeo hunc locum nihil omnino juvare primam sententiam (Scoti) si recte consideretur. Nam sensus litteralis simplex et planus videtur esse is quem adfert Jansenius ibidem, nimirum quod ibi per quamdam prosopopæiam introducatur sapientiâ in genere tanquam

persona loquens de seipsa et mortales ad sui amorem adhortans ex consideratione excellentiæ ipsius...

» Licet sequamur lectionem 70 « Dominus *creavit* me » eamque referamus ad Christum secundum humanitatem dico nihil favere prædictæ sententiæ. Optime potest explicari quod Deus creaverit Christum secundum humanitatem initium seu principium viarum suarum, id est, PRAECIPUUM *opus* suum, quamvis non creaverit nisi sumpta occasione ex peccato... »

Quæ explicationes jam supra refutatæ sunt. Et quod dicit quod principium seu initium viarum significet Christum creatum occasione peccati aperte contrarium est sequentibus verbis : *antequam terra fieret* etc. Nam dicitur creatus a Deo, hoc est, decretus antequam cæteræ creaturæ decernerentur.

PHILIPPUS GAMACHÆUS, Doct. Sorbonicus et Sacræ Theologiæ professor (1625). Summa theologica, Tom. III, com. in tert. part. S. Thomæ, cap. X.

« Posteriorem (sententiam) quæ simpliciter negat (incarnationem) sublato peccato... præ cæteris defendere statuimus, maxime vero quia videtur omnino esse divi Augustini... et aperte est divi Thomæ ; quos quidem duos auctores tanti facimus, ut quamvis cætera essent valde paria, eorum tamen sententiam adhuc sequi mallemus quam oppositam... »

Et si ei objiciantur verba Proverb. « Dominus possedit, etc. » et ad Colosseos. I « Primogenitus omnis creaturæ » et Eccl. 24-26 initio et ante sæcula. »

« Respondemus, ait, vocari *initium viarum Domini et primogenitum omnis creaturæ*, ratione dignitatis ; quatenus est caput omnium electorum, et Deus subjecit omnia sub pedibus illius... huncque ordinem dignitatis non impedire, quin peccatum semper supponatur in priori signo rationis, tanquam occasio, vel causa sine qua non, ita ut, hoc sublato, non esset futura Incarnatio. »

Quam sententiam sic statuit infra in fine : « Primum vidit Deus ab æterno, si hunc mundum crearet, qui nunc

est ac peccatum permitteret futurum esse, ut homo reipsa laberetur ; præterea vidit, posito peccato, se in prompto varia habere remedia, præsertimque unigeniti Filii Incarnationem, quia pro omnibus pateretur et omnes sua morte redimeret ; 3° vidit hanc Filii mortem esse posse, non solum in remedium peccati sed etiam ad maximam Filii gloriam, nominisque ejus exaltationem ; tandem igitur decrevit hunc ipsum mundum creare potius quam alterum, et creare in illo statu, eaque dispositione in qua omnia essent propter Christum, tanquam causam finalem, quatenus scilicet præviso peccato, Christus esset venturus et passurus pro toto genere humano. Ex prædictis apparet quid sit dicendum de gratia primo parenti concessa... Constat enim procul dubio (eam concessam fuisse) ex illius (Christi) meritis prævisis ab æterno. Cum scilicet Christus sit causa finalis omnium rerum et causa exemplaris omnis gratiæ, tam in angelis quam in hominibus supposita tamen præscientia futuri peccati. »

Jam in Com. 1æ Part. Q. 23 de Prædestinatione : « Ergo hinc rectè sequitur prædestinationem Christi præcedere omnium hominum et angelorum electionem, sicque electos non prædestinari sola Dei voluntate absque prævisione meritorum. »

JOANNES WIGGERS DIESTENSIS (1571-1639.) In 3am partem D. Thomæ. De Verbo Incarnato, Qu. I, art. IV : « *Utrum si homo non peccasset* etc. » « Multi doctores præsertim ex recentioribus existimant Deum assumpturum fuisse humanam naturam etiamsi homo non peccasset... Responsio D. Thomæ est negativa... quæ sententia longe videtur Scripturis et SS. Patribus conformior...

» Sed objicitur primo : ad Colos. 3, dicitur Christus *primogenitus omnis creaturæ,* i. e. prædestinatus, inquiunt, ante præordinationem creaturarum. Resp. neg. cons. et istam expositionem. Dicitur enim Christus primogenitus omnis creaturæ, quia genitus ex Patre ante omnem creaturam, quod illi convenit ut Deo, non ut homini... »

Non agit de Proverbiis.

« Quæst. autem 19, art 3 et 4, dubium XIV. *an Christus meruerit electis ipsorum electionem et prædestinationem.*

» Conclusio I^a^ : Quod hos elegerit Deus ante prævisa eorum opera voluntate efficace ad gloriam, potius quam illos, non fit ob merita Christi, sed ex solo beneplacito divinæ voluntatis...

» Conclusio II^a^ : Ista tamen Dei voluntas qua præelegerit prædestinatos considerata præcisè, ut est efficax ipsorum dilectio, habuit fundamentum et rationem in Christi meritis...

» Sed objicitur : Si Deus dilexit hos prædestinatos propter meritum Christi, ergo ante illam efficacem dilectionem supponitur prævisum illud meritum ad ordinandum seu offerendum a Christo pro his electis potius, quam præ cæteris hominibus : consequens videtur falsum et contra prius dicta ; ergo etc.

» Respondetur negando conseq. Sufficiebat enim quod in illo signo præviderit Deus Pater merita Christi ut sufficientem rationem diligendi homines saltem aliquos actu efficaci ad gloriam...

» Dubium XV. *Utrum Christus meruerit Angelis gratiam et gloriam ?*... Negat.

His verbis quæ objiciuntur ex doct. Thoma. « Joannes, I. De plenitudine ejus nos omnes accepimus. » Omnes accepimus scilicet omnes apostoli etc. et etiam omnes angeli... plenitudo gratiæ quæ est in Christo est causa omnium gratiarum quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis » respondet : « Hæc verba non potui in commentario divi Thomæ invenire. »

Admittit etiam Christum fuisse causam finalem omnium rerum. Nam dubio XIV, n° 158 : « Quod vero apud apostolum in illa particula, *in ipso* (elegit nos in ipso ante mundi constitutionem) denotetur habitudo causæ meritoriæ non autem finalis (licet nonnulli sic interpretati fuerunt) potest colligi ex diverso loquendi

modo divi Pauli : nam paulo infra, quando agit de causa finali et docet electos prædestinatos ad gloriam et honorem Christi, tunc dicit *in ipsum*, non *in ipso.* »

Ergo 1° Joannes interpretatur hæc verba : « Primogenitus omnis creaturæ » contra sententiam Patrum et Conciliorum.

2° Ex ipso, merita Christi fuerunt fundamenta et ratio efficacis Dei dilectionis erga electos seu prædestinationis.

3° Tamen ante illam efficacem dilectionem non sunt supponenda illa merita Christi...

4° Electi prædestinati fuere ad gloriam Christi...

5° Denique negat quod Christus angelis meruerit gratiam et gloriam quia... in operibus S. Thomæ non invenit verba quæ ipsi tribuuntur. Si autem invenisset ? Certo certiùs Christo hanc gloriam tribuisset. Valet ergo sententia unius Doctoris dum cassa et inania sunt asserta Patrum !

Rodericus de Arriaga, S. J. (1592-1667.) (Tract. de Incarn. Tractatus II. De ordine decretorum Disp. 14) « *Utrum si Adam non peccasset...*

» Sectio II[a]. Quæstio hæc nullam penitus difficultatem habet, si solius rationis momenta libremus ; cum enim tota illa pendeat a pura Dei voluntate, certe stantibus omnibus rationibus quæ adferri possunt liberum Deo fuit, vel velle Incarnationem vel e contrario illam nolle.... Itaque in hoc puncto ea erit judicanda probabilior sententia quæ Scripturæ, Conciliis et Patribus conformior erit... »

Sic ibid., sect. III, subsect. IV, n° 4, objectioni respondet : « Dominus possedit me in initio, etc.

» Respondeo eis omnibus in quibus dicitur primus ante omnem creaturam, sermonem esse vel de Verbo ipso incarnato non secundum Incarnationem, sed secundum id quod ante illam habet, vel de primatu ordine dignitatis et excellentiæ, ut de Behemot Jobi 40 dicitur : Ipse est principium viarum Dei...

» In aliis denique locis, in quibus de nostra salute agitur, ut quod in ipso simus electi etc., multo minus quidquam continetur contra nostram conclusionem ; etenim etiamsi Christus sit prædestinatus post peccatum Adami, est tamen prius quam tota nostra gratia ; quid ergo mirum si dicamur in ipso electi et prædestinati...

» Potest autem omnibus his locis responderi ex meis principiis potuisse Christum eligi efficaciter ut Redemptorem ante prævisum ipsum peccatum absolute futurum, eo modo quo nos eligimur efficaciter ad gloriam ante prævisa merita ; inde tamen non sequi nos eligendos, si non essent merita. »

Hoc præsertim respondendum venit. Si Deus prædestinavit Christum Redemptorem ante peccatum prævisum hæc sequuntur : 1° Contra Scripturam quæ dicit Deum non fecisse mortem sed ipsam introductam fuisse propter peccatum, affirmat auctor Deum decrevisse mortem Christi ante prævisum peccatum. 2° Mors Christi, quæ erat medium ad peccatum remittendum fuit prius prævisa peccato. Ergo medium prius fine, quod est inauditum. 3° Sors Christi conditione Adami deterior fuit, quum Adam ad mortem damnatus sit solum prævisum post peccatum.

MARTINUS GRANDIN Dr et Socius Sorbonicus (1604-1691.) Opera theologica. Alterum volumen. De Incarnatione Christi. Quæst. I, art. III, unica conclusio : « *Si homo non peccasset Deus incarnatus non fuisset.* Probatur etc.

» Objicies. Prov. VIII. Dominus possedit me (Septuag. Dominus creavit me εκτισε per ι, non εκτησε per η.)

» Respondeo Christum considerari vel secundum æternam vel secundum temporalem generationem. Priore modo dici non potest decretus .. fuit tamen ante omnem creaturam. Et de ista generatione possunt intelligi citata Scripturæ loca...

» Posteriore modo Christus, ut homo, dicitur creatus ante omnem creaturam prioritate non temporis, vel intentionis, sed honoris ac dignitatis...

» Objicies 3° Christus est caput angelorum et hominum; est primus prædestinatorum et exemplar prædestinationis nostræ... Ergo prius decerni debuit.

» Nego consequentiam. Nam potuit constitui caput omnium et exemplar prædestinationis nostræ quamvis post angelos ac primos parentes decretus fuerit...

» Adverte 2° hunc esse ordinem inter actus Dei secundum rationem et nostrum concipiendi modum. Deus decrevit mundum condere in eo statu, in quo eum sive in naturalibus sive in supernaturalibus creavit; abstrahendo a modo, quo dona supernaturalia communicaret. 2° Prævidit primum hominem peccaturum... 3° Ad reparandum genus humanum statuit mittere Filium suum, qui carnem humanam assumeret. 4° Hac occasionne data, voluit gratiam, quæ angelis et hominibus destinata erat... dependenter a meritis Christi inferri.

» Adverte 3° nos ita velle gratiam quam habuerunt tum angeli tum primi parentes ante peccatum pependisse a Christo, ut potius indicemus id ita fieri potuisse, quam certo factum esse asseramus. »

Attamen hic ipse Grandin, Q. VIII, art. IV : *An Christus sit caput angelorum?* Ita :

« Unica conclusio : *Christus est caput angelorum.* Ita theologi communiter cum S. Thomâ hìc, contra quod docuerat in 3^{um} dist. 13...

» Dices 2° S. Thomam videtur solum ponere in Christo respectu angelorum influxum secundum dominationem.

» Respondeo S. Thomam non obscurè admittere interiorem gratiæ influxum secundum quem Christus sit hominum et angelorum caput... »

QUÆST. tandem XXIV, art. III, unica conclusio : « *Prædestinatio Christi est exemplar et causa nostræ prædestinationis* ».

» 2° Causa est, tum meritoria..., tum finalis, quia nostra prædestinatio refertur ad gloriam Christi tanquam ad finem, Dei gloriæ subordinatum. Quod explicavimus supra, ubi negavimus Christum necessarium finem aut

causam fuisse gloriæ hominum, cum Adamo non peccante, venturus non fuerit. Ideo S. Thomas hic ad 3^{um} : Si Christus non fuisset incarnandus, Deus præordinasset homines salvari per aliam causam. Sed quia præordinavit Incarnationem Christi simul cum hoc præordinavit ut esset nostræ salutis causa. »

Ergo Christus causa salutis hominum et angelorum.

Causa finalis hominum saltem... sed non primus prædestinatus !...

Textum verò Proverb. VIII contra sententiam Patrum interpretatur.

Ludovicus Mœratius Trecensis, S. J. (Disp. in Sum. S. Thomæ Tract. de Incarn., disp. IX, sectio I.) « *An si primus parens non peccasset* etc. Duæ sunt de eâ sententiæ. Prima affirmat, estque Scoti, Alberti, Suarezii etc. Secunda negat, estque S. Thomæ : Quam sententiam probo primo auctoritate Patrum, quorum cùm permulta et clarissima habeamus testimonia... »

Sectione VII solvuntur argumenta :

« Tertius locus habetur ex Prov. VIII, in quo sic : Dominus possedit me, etc. Sed hujus loci triplex est expositio. Prima multorum Patrum citatorum a Gab. Vasq. disp. 10, cap. 2, eum de Christo, ut homine, intelligentium......

» Licet autem juxta primam (adversarii) desumant aliquod (argumentum), infirmum tamen est, nam non propterea omnia quæ cap. illo VIII dicuntur de Sapientia Dei incarnata, dicentur de ea secundum carnem seu humanitatem spectata ; hæcque nominatim quæ habentur ab eo loco « ab æterno ordinata sum » erunt intelligenda de ejus æterna a Patre generatione...

» Hoc vero solum « Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio » de ejusdem temporali generatione erit intelligendum ; neque sensus erit humanitatem Christi fuisse prius a Deo decretam quam quidquam aliud decerneret, quo sensu *nullus Patrum* aut interpretum hactenus hæc verba

intellexit, sed fuisse decretam, ut daret initium divino illi operi, quod est humani generis reparatio. »

Ibid., sectio II :

« Ex dictis colliges primum a Deo prævisum angelorum peccatum non potuisse in eo esse positum, quod Christum sibi revelatum et propositum ad adorandum, adorare per superbiam noluerint ; si enim in eo positum esse potuisset, consequens necessario esset prius decretum et prævisum a Deo fuisse Christum in carne venturum, quam futurum et prævisum a Deo illud eorum peccatum, cum tamen eo posterius ille decretus et prævisus fuerit...

» Secundum est, gratiam et gloriam datam angelis non fuisse datum ex Christi meritis ; quoniam hæc et illa non modo in re sed etiam in prævisione et decreto Dei prior Christo fuit : quem tamen ea priorem fuisse necessarium esse, si ex meritis ejus data fuisset. » (Lutetiæ, 1633.)

Nota 1° interpretationem Mœratii de Prov. VIII, 22, contra sententiam Patrum ;

2° Ipsius sententiam de gratia angelorum quæ est contra doctrinam Angelici doctoris.

MATTHAEUS KELLISONUS, Collegio Anglorum Duacensi præses (De Incarnat. qu. I, art. 3, dub. I) :

« Dico 3° opinionem divi Thomæ esse veriorem. » Et sic respondet objectioni ex Prov. :

» Objicies 6° ex Script. Proverb. : Dominus creavit me etc... Respondeo Jansenium, etc. (jam citatum)... Et quamvis multi ex Patribus intelligant de Sapientia incarnata, tamen nemo illorum dicit Sapientiam incarnatam fuisse initium creaturarum causalitate, sed ideo solum dici æternam, vel ante omnem creaturam fuisse, quia fuit prædestinata ab æterno ante existentiam, non ante prævisionem rerum aliarum...

» Objicies 8° ex I Eph. « Benedixit nos etc... »

» Respondeo Christum fuisse prædestinatum et incarnatum in remedium peccati... Christo jam prædestinato

et præviso, prædestinati sunt homines ex meritis ejus, et sic Christus est primo prædestinatus inter homines et nos sumus prædestinati in illo. Inde tamen non sequitur Christum prædestinatum iri, non existente peccato, quia prædestinatus est in remedium illius : sequitur tamen prædestinationem Christi non dependisse ex prædestinatione hominum sed illam præcessisse.

» Objicies II ex Conc. Trid., sess. 6, cap. 7, ubi Christus dicitur finis nostræ justificationis : ergo prævisus erat Christus ante peccatum a quo justificamur.

» Respondeo Christum fuisse prædestinatum in remedium peccati atque adeo primo intentum fuisse remedium peccati ; Incarnatio autem jam facta, fuit causa nostræ justificationis quæ postea cessit in honorem Christi.

» Qu. 24 art. 4 : Notandum est, nos esse causam prædestinationis Christi et Christum nostræ, sed diversimode. Nam si Adam non peccasset Christus non fuisset incarnatus neque prædestinatus, et si Christus non fuisset prædestinatus, nos non fuissemus prædestinati ad gloriam, quia nostra gratia et gloria provenit ex meritis Christi prædestinati. »

Matthæi interpretatio Proverbiorum fundatur in sententia Jansenii contra mentem Patrum et Conciliorum.

Ipsius responsio objectioni ex I Eph. *Benedixit nos* etc. contrariatur verbis sequentibus : « Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per J. Ch. in ipsum... in laudem gloriæ gratiæ suæ in qua gratificavit nos in dilecto filio suo. » — Sed Adam innocens erat filius adoptivus Dei : et ergo gratificatus fuerat in dilecto Filio Dei.

Contrariatur etiam verbis Apostoli Rom. VIII, 30 : « Quos autem prædestinavit hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et justificavit. » Ergo 1° prædestinatio ; 2° vocatio ; 3° justificatio. Ergo Adam ante justificationem prædestinatus erat.

Contrariatur doctrinæ S. Thomæ dicentis prædestinationem factam fuisse ante prævisa merita ; a fortiori ante prævisa peccata. Sed si Christus prædestinatus est

in remedium peccati et si nos prædestinati sumus ex meritis ejus, prædestinatio hominum subsequitur prævisionem peccati.

P. GEORGIUS DE RHODES, S. J. (1661.) (Disputationes theologiæ scholasticæ. Ad 3am partem Summæ. Disp. I, de Incarn., q. IV, sectio Ia.)

« Dico 2° motivum principale ac primarium prædestinandi Christum et decernendi absolute Incarnationem, non fuit excellentia mysterii, aut gloria Christi sed salus hominum. » Quod probat quatuor rationibus.

« 3a ratio est quia si decreta Incarnatio fuit priusquam ullius hominis aut etiam ipsius mundi decerneretur creatio, certe beneficium creationis et gratiæ omnes Adamo datæ ante peccatum dici possunt gratiæ per Christum. Consequens illud falsum est damnatum in Concilio Palæstino et sæpe rejectum ab Augustino (Lib. de nat. et grat., cap II, epist. 115, sermo II de verbis Apostoli a cap. 4 ad 12) quia nihil meruit Christus nisi ut Redempor. »

Deinde dicit quod Christus nihil meruit nisi passibilis ; ergo post prævisum peccatum : « Quo argumento convellitur, inquit, præcipuum adversariorum argumentum qui volunt gratias omnes angelis datas fuisse causatas ex meritis Christi, quod est manifeste falsum... »

Objectionibus autem sic respondet : « 1° Dominus possedit me, etc. : intelligi posse vel de creaturis primo producendis vel de illis ut reparandis ; si de creandis intelligatur, non possunt intelligi nisi de Sapientia increata, de qua sola locum illum intelligunt Evaristus I et S. Ignatius martyr, Epist. ad Tharsenses, aliique multi apud Valentiam quæst. I, de Trinit., puncto II. Si autem de creaturis reparandis, loquuntur de Sapientia incarnata quæ prior est sine dubio reparatione omnium creaturarum.

» 2° Col. I. Qui est... primogenitus omnis creaturæ. Eccl 24 : Ego ex ore Altissimi prodivi. Resp. : Sapientia prout æterna primogenita est creaturarum ut primo conditarum, et prout incarnata, primogenita est creaturarum ut reparatarum.

» 3° Omnia vestra sunt ; vos autem Christi, I Cor. III.— Christum vocari finem creaturarum non ut primo conditarum sed prout reparatarum. »

Animadverte :

1° Manifeste falsum dicit P. Georgius a Christo angelos accepisse gratiam, quod tamen asserunt permulti Patres et ipse Doctor angelicus ;

2° In suis responsionibus contra sententiam Patrum et conciliorum loquitur ;

3° S. Augustino tribuit de gratia Adam innocentis quæ nunquam dixit S. Doctor. Etenim : S. Augustinus (De nat. et gratia lib. Ius, cap. II) refutat Pelagianos et dicit quod *fides in Christum ad salutem necessaria non est, si homo sine illa potest juste vivere* — et sic concludit argumentando : « Si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est ? Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari et redimi ab ira Dei justissima, hoc est, a vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem et sacramentum sanguinis Christi. » (P. L. 44, 249.)

Epist. 115 (series Migne) non agit de gratia Christi. Sed Epist. CII, quæst. II, n° 15, sic : « Et tamen ab initio generis humani, alias occultiùs alias evidentiùs, sicut congruere temporibus divinitùs visum est, nec prophetari destitit (Christus), nec qui in eum crederent defuerunt ab Adam usque ad Moysen... Itaque salus religionis hujus, per quam solam veram salus vere veraciterque promittitur, nulli unquam defuit qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit. » (P. L. 33, 876.)

Sermone XXVI (alias 11) — de verbis Apostoli — (cap. IV-XII) impugnat Pelagianos. Cap. IV.. « Fideles si sumus, gratia Dei sumus.... Cap. VI... Excepta illa gratia quâ condita est natura humana, hæc est major gratia, non quod per Verbum homines creati sunt, sed quod per Verbum carnem factum fideles facti sumus. Unus enim Deus, et unus mediator... Quid est mediator ? Per quem conjungeremur, per quem reconciliaremur, quia peccatis

propriis separati jacebamus, in morte eramus, prorsus perieramus. Non erat Christus homo, quando creatus est homo ; ne periret homo, ille factus est homo » (P. L. 38. 172-176.) — Cap. VIII. *Gratia* Christi præter naturam et legem necessaria admitti debet. »

Ergo Augustinus in hisce locis non *rejicit quod gratiæ Adamo datæ ante peccatum dici possint gratiæ per Christum.* De mente vero Augustini vide superius p. 150.

JOSEPHUS RAGUSA, S. J. (Lugduni, 1619:) (Com. in III Partem S. Thomæ, quæst. I, disp. XXVII, art. III) : « *Utrum si homo non peccasset*, etc. »

Sententiam negantem sequitur. Et confirmat : « Incarnatio ejusmodi opus est, ut suapte natura respiciat aliquam necessitatem maxime peccati expiandi et pendeat ab occasione et poscat existentiam ex suppositione. Similiter voluntas Dei in ejus decreto supponit talem necessitatem ac prævisionem peccati : ergo non potest institui propter excellentiam mysterii et propter alios fines quos passim extra necessitatem assignant. »

Respondet objectionibus : Dominus possedit me, etc. (Proverb. VIII, 22.)

« Respond. 1° unum sensum... » recitat Jansenii sententiam.

» Etiamsi daremus intelligi hunc locum de Primatu Sapientiæ incarnatæ supra omnes creaturas, ostendemus quo sensu possit dici Christus principium earum secundum humanitatem. »

P. PETRUS WADINGUS, S. J. (1636 ?) In suo Tract. de Incarn. disput. III, Dubium II, opinionem S. Thomæ secutus sic objectionibus respondet :

« N° 16 : Dices : Scripturæ mysterium propter se et ante prævisionem peccati decretum volunt. Prob. : Prov 8 : Dominus possedit, etc.

» Respondeo : Hunc locum vel exponimus ex mente aliquorum Patrum, vel secundum se et sensum litteralem communem : si priori modo est directe contra Scotistas; si posteriori, non facit ad præsentem quæstionem, nam sen-

sus communis est... Et recitat sententiam Jansenii ». Sensus Jansenii contra Patres !... (Antverpiæ, MDCXXXVI, p. 88.)

PHILIP. MONCŒUS, S. J. (Disputationes. In III S., pars I, q. XXI). Arguit contra auctores qui dicunt angelos ex Christi meritis accepisse gratiam et gloriam ; ergo sentit contra S. Thomam quem deberet sequi ex suis constitutionibus et quem revera sequitur in quæstione de motivo Incarnationis.

Objectioni ex Proverbiis sic respondet : « Dicitur ergo Christus primo prædestinatus primitate tantum excellentiæ et *initium viarum Domini* quia principalis auctor operum salutarium.

» Verba apostoli *Primogenitus* usque ad illa verba: *ipse est caput Ecclesiæ*, intelligenda sunt ad litteram de Sapientia increata ». (Parisiis, 1622). Arguit ergo contra sententiam Patrum.

P. IRENÆUS A S. JACOBO, CARMEL. TURONENSIS PROVINCIÆ (1676), De Verbo Incarnato.

Sententiam S. Thomæ secutus sic objectionibus respondet :

« Dominus possedit me, etc. » Respondet sententiam Jansenii recitando.

« Patres, qui de Sapientia incarnata exponunt, quæ sit initium viarum Domini, per *vias* intelligunt redemptionem et reparationem generis humani.

» Omnia vestra sunt (I. Cor. III, 12).

» Significat omnia ordinari in gloriam Christi, utique ex momento quo decretus est, quatenus per eum innovantur omnia non autem quod in prima rerum genesi Christus fuerit primo loco decretus, deinde cætera propter ipsum condita ».

His verbis explicat Patres asserentes mundum ob Christum et Mariam conditum fuisse : « Opinor eos sic exponendos esse, ut mundus jam decretus et creatus ob alia Dei motiva primaria, fuerit deinde ordinatus in gloriam et utilitatem electorum quos inter primus est Christus ; et

secunda, B. Virgo, saltem ex eo momento quo Deus decrevit Incarnationem !!! » (Cap. 3, sectio I, § 5, p. 60. Paris, MDCLXXVI).

Sunt ergo in Deo mutationes et etiam decreta cassa et inania.

JOANNES PUTEANUS, AUGUSTINIANUS. (Comment in Sum. Theol. D. Thomæ, in III Partem, qu. I, art. III. Dubium ultimum). S. Thomæ opinionem propugnat et huic objectioni : « Prædestinatio Incarnationis Christi præcessit in mente divina prædestinationem cujuslibet hominis, ut colligitur ex cap. VIII Proverb. : Dominus possedit me in initio viarum suarum etc. » sic respondet: « Locum Proverbiorum intelligendum esse ex multorum Patrum sententia de humana Christi natura, quæ dicitur illic facta, seu creata ante omnem creaturam, non quidem ordine causalitatis, sed dignitatis et præstantia...

» Propter hanc eamdem causam dicitur Christus primogenitus omnis creaturæ ; antecellit enim dignitate et honore, cæteris omnibus creaturis.

» Posterior denique locus ex cap. VIII Roman. : « quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui » tantum probat Christum fuisse prædestinatum ante cæteros homines prædestinatione consequenti et efficaci, non autem inefficaci et antecedente ac proinde non erat futura Incarnatio Verbi, Adamo non peccante !... »

Et tandem quæst XXIV, art. II in fine : « Dices solam Dei voluntatem esse causam nostræ prædestinationis, ex Paulo ad Rom. IX : Respondeo hoc esse verum si nomine prædestinationis intelligatur simul prædestinatio nostra et prædestinatio Christi ; aliter vero si nomine prædestinationis intelligatur nostra, præcisa et separata a prædestinatione Christi ; hoc ergo modo considerata prædestinatio nostra pendet a prædestinatione Christi, velut a causa exemplari, et item tanquam a causâ meritoria, itemque finali, ut definitum est in Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 7.

Et quæst. VIII, dubitatio II : an Christus sit caput

angelorum : « Objicies angelos in statu viæ credidisse in Christum, et item prædestinatos fuisse dependenter a meritis Christi.

» Resp. primam propositionem esse certissimam, non tamen habuerunt angeli fidem Christi dependenter a meritis ejusdem, sed tantum per specialem Dei largitionem. Deinde non est absurdum fateri angelos credidisse in Christum pro eo tempore quo fuerunt in via implicitè non autem explicitè...

» Secundo respondeo propositionem istam : Angeli fuerunt prædestinati dependenter a prædestinatione Christi, esse falsam ».

Adversatur ergo S. Thomæ in sententiâ de gratiâ angelorum, SS. Patribus in interpretatione Prov. VIII. — Ut autem effugiat vim probativam Scripturæ Sacræ recurrit ad distinctionem prædestinationis efficacis et inefficacis.

Explicandum esset auctori quid audiendum sit de hac propositione quod angeli « fuerunt in via implicitè non autem explicitè »...

Attamen suam sententiam propugnat ut conformiorem Sacræ Scripturæ et Patribus!....

EUSTACHIUS A SANCTO PAULO, Ord. Cister. (Summa Theologiæ. — Secunda pars. — Tract. 1^{us}, q. V) : « *An si homo peccasset*, etc., tenet partem negativam propter Scripturam et auctoritatem. Sic autem respondet objectioni ex cap. VIII Proverb.: « 1° Locum illum intelligendum esse de Sapientia Dei ut increata, non ut incarnata; *sic enim a SS. Patribus usurpari solet ad probandam æternam Verbi generationem* !!...

» 2° Etsi illic intelligeretur ut incarnata, non tamen propterea existimandum est Christum eo sensu dici præordinatum ante omnia !... »

Ut autem hoc mysterium intelligas audi auctorem sic : « Diligenter nota quod licet præsciti fuerint tum angeli cum primi parentes ac præcipuus ipsorum lapsus antequam secundum nostrum concipiendi modum præsciretur Christus, non tamen prædestinatos fuisse sive

angelos sive homines ullos per media conducibilia ad gloriam ipsis aliquando exhibenda ante Christum prædestinatum. Etsi enim voluntate quadam antecedenti secundum nostrum concipiendi modum Deus determinaverit se daturum angelis gratiam sicut et primis parentibus in statu innocentiæ ante prævisa Christi merita, voluntate tamen consequenti et absoluta voluit gratiam illam per quam tum angeli cum primi parentes gloriam consequi poterant, illis conferre propter merita Christi, sicque ipsos sicut et omnes homines in Christo jam prædestinato ac prædestinatorum capite prædestinavit !... »

« Itaque Christus dicitur ante omnia præscitus et primogenitus omnis creaturæ : 1° ordine prædestinationis divinæ, quia est primus omnium prædestinatorum ; 2° ordine causæ finalis, non quasi Deus ipsum primo ante omnia intenderit, sed quia in ipsa rerum executione omnia ad ipsum gloria et honore decorandum ob ipsius passionis meritum ex æterno decreto ordinaverit ; 3° ordine dignitatis... ; 4° denique in ratione causæ saltem moralis et meritoriæ dicitur Christus præscitus seu præordinatus ante omnia, quatenus ipse est author et causa meritoria gratiæ et salutis tum angelorum cum hominum ; neque enim determinavit Deus se angelis et hominibus salutem per media conducibilia daturum, nisi postquam determinavit se filium in mundum missurum ut authorem gratiæ ».

Recurrit ergo auctor ad subtiles explicationes textui, ut videtur, contrarias, apud Patres inauditas, sicut et Prov. VIII verba contra sententiam Patrum interpretatur; ponit etiam prædestinationem post prævisum peccatum, quod implicat.

Franciscus Albertinus catanzariensis, S. J. (1619) (Corollaria seu quæstiones theologicæ. Ex sexto principio philosophico, quæstio I^a theologica in primum corollarium). Exponit de motivo Inc. sententiam Scoti et Suarezii, etc. :

« His tamen non obstantibus, verior et communior

opinio est Verbum non fuisse incarnatum ex vi primi decreti si non fuisset peccatum primi hominis ».

Attamen infra,(dubium circa hanc quæstionem primam) impugnat triplicem Cajetani ordinem, his verbis : « Præterea Christus est causa finalis omnium creaturarum; non ergo potest dici quod creaturæ fuerunt volitæ in priori signo secundum ordinem naturæ. Antecedens probatur præcipue Prov. VIII : « Dominus possedit... » in quo loco secundum Patres sermo est de Sapientia incarnata !»

Videtur ergo sibi ipsi contradicere.

Carolus Witasse socius Sorbonicus (1660-1716) (Tract. de Inc. : De Causa finali, q. IV, art. 1) propugnat sententiam S. Thomæ, et addit : « Deus est finis primarius rerum omnium... Christus non est nisi secundarius et consequens. Poterat enim rerum universitas esse sine Christo ut homine ; et reipsa sine ipso extitisset si Adam non peccasset : sed posito peccato Adami, etc. »

Negat angelos accepisse gratiam a Christo et etiam Christum fuisse caput Adami innocentis et sic respondet objectionibus :

Dominus possedit me, etc. *Ego ex ore altissimi prodivi.* Ergo Christus ut homo ante omnes creaturas. « Resp.: Christus ut Deus, concedo ; ut homo, nego. Hæc enim omnia Scripturæ testimonia de origine Christi æterna sumenda sunt ! !

» Omnia vestra sunt, vos autem Christi... Ergo Christus finis omnium rerum et prior omnibus.

» Resp. : Christus ut Deus, conc. ; ut homo, est finis secundarius conc. ; primarius, nego. Primarius finis est in rebus prior quæ ad ipsum referuntur, non autem secundarius. »

Hæc omnia contra Patrum dicta. Idem dicendum de :

Jacobo Robbe, professore in Sorbonâ (1643-1721) (Tractatus de Incarn., quæst. 3[a], artic. 1 : De fine Incarnationis), propugnat redemptionem fuisse præcipuum finem Incarnationis. Objectionibus sic respondet :

« 1° Dominus possedit me initio, etc.

» Hæc verba de Sapientia increata accipi possunt... Quod spectat ad authoritatem Patrum qui textum citatum de Sapientia incarnata interpretati sunt, dico illos in hanc interpretationem inductos fuisse versione Septuaginta ubi legitur ἐκτισε... Ut objectionem Arianorum diluerent inter alia responderunt hocce vocabulum ad carnem assumptam referri posse ; ita ut tamen nostræ etiam adhærerent expositioni quæ videtur esse naturalis loci interpretatio.

» 2° Omnia vestra sunt, vos autem Christi. — Resp. Christus ut Deus est finis rerum omnium : Concedo. Christus est homo : subdist. Eo sensu quod postquam decretus est, omnia ad ipsum referri voluerit Deus, concedo. Eo sensu quod ante omnia decretus sit, nego. »

TOURNELY (1658-1722) (De Incarn.— De causa finali): « Si Adam non peccasset Christus non venisset. »

Negat angelos a Christo accepisse gratiam et sic respondet objectionibus :

I. Proverb. Dominus possedit...

« Laudatus Proverbiorum textus intelligendus est de æterna Verbi divini generatione, non de temporali carnis assumptione... Si quis tenaciùs 70 versionem sequi vellet, facile esset reponere, Christum Sapientiam incarnatam esse initium viarum Domini quantum ad opus redemptionis humanæ.

» II. Coloss. I, 13, Primogenitus omnis creaturæ... ratione divinitatis, concedo; humanitatis, subdist.; honore ac dignitate, concedo ; tempore et ordine, nego.

» III. I Cor. III, 23. Omnia vestra sunt...

» Christus dicitur finis, ratione suæ divinitatis, concedo ; ratione humanitatis, iterum dist. Est finis creaturarum, supposito peccato et decreto de homine redimendo, concedo ; secluso peccato et decreto de homine redimendo, nego. »

Quæ omnia manifestis Patrum dictis adversantur.

LE GRAND (Tractatus de Incarnatione, dissert 7ª, cap. III, de causa finali Incarnationis).

« Conclusio II. Probabilius est decretam non fuisse Incarnationem nisi consequenter ad peccati prævisionem ac proinde vi præsentis decreti Christum venturum non fuisse si Adamus non peccasset... » Probat Scriptura et Patribus et addit :

« In hypothesi quam tenemus quis non videt Christum ut hominem ob excellentiam suæ personæ 1° debuisse constitui angelorum caput omniumque creaturarum dominum, cujus omnia essent, ipse autem esset Dei... 3° Posita sententiâ quam probabiliorem defendimus in Christum hominem quadraret etiam illud Prov. VIII « Dominus possedit etc.» Ad id enim satis esset Deum hanc rerum dispositionem decernendo et condendo, maxime ad Christum respexisse... Atqui posita nostra sententia Deus ad Christum hoc modo respexisset. »

Et in fine capitis : « Attamen duo dissimulanda non sunt. Primum, multos e Patribus hæc loca, præsertim versic. 22, cap. VIII Proverb., de Christo homine esse interpretatos ; alterum, posita ejusmodi interpretatione, eosdem textus de Incarnatione ante res omnes, ipsamque Adæ peccati permissionem decreta facilius et magis propriè explicari. » (Paris, 1750.)

Hi sunt præcipui theologi quos invenire potui et qui, secuti divum Thomam, conantur respondere objectionibus e Sacra Scriptura. Vide, benigne lector, quantum hæ responsiones adversentur Patrum dictis. Notandum tamen quod hi auctores suam sententiam propugnent ut conformiorem Scripturæ et Patribus !

N. B. — His theologis addi possunt sequentes S. Scripturæ commentatores :

RODOLPHUS BAYNUS Episc. Conventriensis in Anglia (1562). In Prov. Salomonis Com. (Paris, 1555), cap. VIII, 22. *Dominus possedit me* etc. Hæc de Sapientia increata explananda sentit.

MALDONATUS, S. J. (1583). Com. in Joan., cap. I. De Christi gratiæ plenitudine, n° 146. Qui post me venturus est ante me factus est quia prior me erat.. Credo ego ad

divinam prædestinationem, ordinationemque referendum; tanquam dicat, *antè me factus est*, i. e. prædestinatus, designatus, constitutus est a Deo in majore dignitatis gradu, ut Rex, ut Redemptor sit, cum ego redemptoris tantum minister sim.

HIER. OSORIUS EPISC. ALGARBIENSIS (1580). Com. in Parabolas Salom. hæc verba « Dominus possedit » de Sapientia increata explanat.

Idem THEODORUS PELTANUS, S. J. (1582.)

Idem NICOL. GUILLIBERT (Paris, 1635.)

JOAN. ARBOREUS (Com. in Proverb. Salom., VIII, 22) « Dominus possedit... Salomon in hoc loco aperte disserit de Sapientia Dei increata..)

CAPUT III.

De Theologis qui Primatum Christi impugnantes negant angelos a Christo accepisse gratiam.

Inter discipulos S. Thomæ sunt multi qui fatentur quod nullatenus cohærere possint hæ duæ propositiones : *Christus prædestinatus est occasione peccati*, et : *Christus meruit angelis gratiam et gloriam*. Re maturè perpensa, maluerunt negare Primatum Christi quam admittere Christum meruisse gratiam angelis. Inter quos theologos sunt plures qui ita argumentantur : Prædicare angelos accepisse gratiam a Christo est dicere Verbum incarnandum fuisse, etiam Adamo non peccante, quod est contra Angelicum Doctorem.

Probandum ergo venit quod negare Christum meruisse gratiam Angelis et Adamo innocenti sit contra expressam sententiam Divi Thomæ. Jam probatum est hoc esse contra omnes scriptores ecclesiasticos.

Quid ergo docuit D. Angelicus de hâc re ?

Duplex fuit ipsius sententia. Patet quod standum sit posteriori quâ priorem retractavit.

Jam supra vidimus quid dicat de Christo capite et causâ meritoriâ angelorum ; sed res attentius inspicienda est.

(2 Sent., d. 9, q 7, art: 8, ad 2). Dicit Doctor quod meritum hominis merito angeli efficacius sit... quia « merita nostra efficacius habent ex merito Christi, cujus gratia est quodammodo infinita. » — Ergo non ita de merito angelorum.

Quæst. 29 de veritate, art. 7 : « Nihil angelis meruit (Christus), quantum ad præmium essentiale, quia quantum

ad hoc non sunt viatores. Sunt autem aliquo modo viatores respectu præmii accidentalis in quantum ministrant, ad quod valet eis meritum Christi. » Ergo pro angelis in via Christus non meruit.

Quam sententiam retractavit Doctor Angelicus in Summâ et in commentariis S. Joannis.

Sententiarum enim libros commentavit an. 1253-1258. Librum vero de veritate scripsit an. 1259. Ita de Rossi.

Commentaria autem in Ev. S. Joan. dedit an. 1269-1271 et Summam scripsit ultimo decennio vitæ suæ. Tertia pars composita fuit an. 1271-1274.

Vide superius p. 30 quid dicat in Com. Ev. S. Joan., Epist. ad Heb. et in Ps. 39.

In Summâ, 3 p., q. 6, art. 3 ad 3um: « De plenitudine Christi omnes homines accipiunt secundum fidem, quam habent in ipsum... Sicut autem nos in ipsum credimus, ut jam natum, ita antiqui crediderunt in ipsum ut nasciturum... Habet autem fides quæ est in Christum virtutem justificandi ex proposito gratiæ Dei... Unde quia hoc propositum est æternum, nihil prohibet per fidem Jesu Christi aliquos justificari etiam antequam ejus anima esset plena gratiâ et veritate. »

Quod Christus fuerit caput Adami innocentis dicit S. Thomas (Sum., 3 p., q. 8, art. 6): Christus est caput Ecclesiæ... Caput in alia membra dupliciter influit etc.

Ibid. art. 3 : « Corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius. »

Art. 4 : « Unum corpus similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum secundum distinctos actus sive officia. Manifestum est autem, quod ad unum finem qui est gloria divinæ fruitionis ordinantur et homines et angeli. Unde corpus Ecclesiæ mysticum non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex angelis. Totius autem multitudinis Christus est caput. »

Jam art. 3 indicaverat diversos gradus capitationis Christi: « Primo et principaliter est caput eorum qui actu uniuntur sibi per gloriam. Secundo eorum qui actu uniun-

tur sibi per charitatem etc. » Ergo unio membrorum cum capite in gloria est perfecta et finalis ad quam præparat unio per fidem et charitatem. Adam innocens fuit Christo unitus per fidem et charitatem.

Ibid., art. 4 respondet objectioni : Videtur quod Christus secundum quod homo, non sit caput angelorum etc : « Influentia Christi super homines principaliter quidem est quantum ad animas, secundum quas homines conveniunt cum angelis in natura generis, licet non in natura speciei. Et ratione hujus conformitatis Christus potest dici caput angelorum. »

Et objectioni : « Illorum Christus est caput, qui pertinent ad Ecclesiam, quæ est corpus ejus. Sed Angeli non pertinent ad Ecclesiam : nam Ecclesia est congregatio fidelium ; fides autem non est in angelis », respondet : «Ecclesia secundum statum viæ est congregatio fidelium ; sed secundum statum patriæ est congregatio comprehendentium. Christus autem non solum fuit viator sed comprehensor ; et ideo non solum fidelium sed comprehendentium est caput, utpote plenissime habens gratiam et gloriam. »

Sed multi theologi dicunt quod Christus ut Verbum est caput angelorum et ipsis influit gratiam dum, ut homo, ipsam influit hominibus. Quod objectum fuit S. Thomæ : « Augustinus dicit super Joan. (tract. 23 ante medium et tract. 19) quod sicut Verbum, quod erat in principio apud Patrem vivificat animas, ita Verbum caro factum vivificat corpora quibus angeli carent ; sed Verbum caro factum, est Christus secundum quod homo ; ergo Christus secundum quod homo non influit vitam angelis, et ita secundum quod homo non est caput angelorum. »

Sic respondet Angelicus : « Ad 3^{um} dicendum quod Augustinus loquitur secundum quamdam assimilationem causæ ad effectum, prout scilicet res corporalis agit in corpus et res spiritualis in res spirituales ; tamen humanitas Christi ex virtute spiritualis naturæ, scilicet divinæ,

potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus angelorum, propter maximam conjunctionem ejus ad Deum, scilicet secundum unionem personalem. »

Hoc « *aliquid causare* » significat gratiam et gloriam influere. Objectitur enim quod « Christus ut homo nequeat gratiam influere angelis. »

I p., q. 57, art. 1. : *Utrum angeli cognoscant mysteria gratiæ?* — Objectioni sic respondet : « Videtur quod angeli mysteria gratiæ cognoscant ; quia inter omnia mysteria excellentius est mysterium Incarnationis Christi Sed hoc angeli cognoverunt *a principio*. Dicit enim Augustinus, super Gen. ad litt. c. XIX circa medium, quod sic fuit hoc mysterium absconditum a sæculis in Deo, ut tamen innotesceret Principibus et Potestatibus in cœlestibus. Et dicit Apostolus, I Timoth. III, quod apparuit angelis illud magnum sacramentum pietatis. Ergo angeli mysteria gratiæ cognoscunt. »

Haec verba « a principio » intelligenda sunt in eodem sensu quo Augustinus, id est « cum essent in via. »

P. Reginaldus Lucarino, O. P. (Manuale Thomist. Controv, Part. 2, VI. Sent.), sic recapitulat quod docuit Dr Angelicus de hâc quaestione : « Thomas igitur semper docuit angelos sanctos a principio suæ beatitudinis cognovisse Incarnationem et Passionem Christi, nec unquam in hâc sententia varius fuit. In via vero angelis non innotuisse nisi Incarnationem ; latuisse vero Passionem S. Doctorem dixisse, patet ex eo quod effectum Passionis Christi dæmones non cognovisse. »

Adamus innocens fidem habuit de Incarnatione 2. 2. q. 2, art. 7 : « Mysterium Incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes : diversimode tamen secundum diversitatem temporum et personarum. Nam ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per Passio-

nem et resurrectionem : quia homo præscius non fuit peccati futuri ; post peccatum autem fuit explicite creditum mysterium Incarnationis non solum quantum ad Incarnationem, sed etiam quantum ad Passionem et Resurrectionem. » — Ergo Adam innocens debuit proferre actum fidei de Christo Salvatore ut et angeli. Nam ibid. : «Illud proprie et per se pertinet ad objectum fidei per quod homo beatitudinem consequitur. Via autem hominibus veniendi ad beatitudinem est mysterium Incarnationis et Passionis. Et ideo mysterium Incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum... »

(Sum. 3 p., 9. 59, art. III) : « Judiciaria potestas nonnisi Christo competit et propter divinam Personam et propter capitis dignitatem et propter plenitudinem gratiæ habitualis.

» Quær. *Utrum judiciaria potestas Christi se extendat ad angelos.*

» Angeli subduntur judiciariæ potestati Christi non solum quantum ad divinam naturam prout est Verbum Dei, sed etiam ratione humanæ naturæ... Subsunt autem judicio Christi, uno modo quantum ad dispensationem eorum quæ per ipsos aguntur...; secundo quantum ad alia accidentalia præmia bonorum angelorum... *Tertio quantum ad præmimm essentiale angelorum*, quod est beatitudo æterna et quantum ad pœnam essentialem malorum angelorum quæ est damnatio æterna : sed hoc factum est per Christum, in quantum est Verbum a principio mundi. »

Hoc « in quantum est Verbum » dicit necessario « cum respectu ad Incarnationem. » — Nam si non ita, esset contradictio cum asserto Doctoris quod *Christus ratione humanæ naturæ judiciariam habeat potestatem in angelos quantum ad præmium essentiale.*

Hæc clausula « in quantum est Verbum a principio mundi » addita est ut responderet objectioni quod Angeli fuerunt judicati a principio mundi et non indigent iterum judicari.

Unde Suarezius (Disp. 42, sect. I) : « Hic locus parum urget, ut patet ex ratione quam ibi subjungit in corpore et ad 1um, scilicet quia judicium illud consummatum est ante Incarnationem et non est iterandum : unde ad eumdem modum loquitur de judiciis particularibus hominum factis ante Incarnationem. » (Cfr Risi.)

CONCLUSIO

Nullus ergo potest esse de mente divi Thomæ dubitandi locus ; nam in ultimis operibus quod in prioribus docuerat de capitatione Christi retractavit.

Ergo Thomistæ qui, ut S. Thomam sequantur, impugnant Primatum Christi et qui negant angelos a Christo accepisse gratiam, S. Thomam impugnant.

Silvester (Franciscus) Ferrariensis, O. P. (1528) (In Sum. D. Thom. contra Gentes lib. IV, c. 35) dicit : « Secundum quod nobis innotescit ex Scriptura, oportet ut prius intelligamus Deum prævidisse casum humani generis et voluisse ejus remedium ; deinde quod voluerit illi per Incarnationem Filii sui remedium afferre et consequenter oportet prius intelligere in Deo præscientiam peccati Adæ quam prædestinationem animæ Christi. »

Dicit quod « angeli non sint pars Ecclesiæ Christi et quod Christus non sit caput angelorum nisi in quantum Deus ; nam illa ratione fuit auctor eorum gratiæ et gloriæ. »

Franciscus Toletus, S. J. (1596) (In Sum. Theol. S. Thomæ Aquinatis enarratio.) Com. de articulo in quo exponitur difficultas de Incarnatione sic : « Non parva existit difficultas erga hoc : *an Deus carnem assumpsisset si peccatum non esset.* »

Deinde citat opusculum Catharini (De eximia prædestinatione Christi) cujus argumenta dicit vana et levia. Prosequitur his verbis :

« Ut tamen in Dei gloriam et erroris expulsionem veritas manifestetur, et argumenta ipsius (Catharini) et opinionem referam, ac manifeste refutabo. »

Juxta Toletum est ergo erroneum affirmare Deum fuisse incarnandum si Adam non peccasset. Nam argumentando sic prosequitur *gloriam Dei et erroris expulsionem.*

Et nunc appende primam ipsius conclusionem : « Non est error, nec temerarium dicere et sustinere Deum fuisse incarnandum, si Adam non peccasset. Hanc conclusionem pono propter S. Thomam qui talem opinionem dicit esse probabilem et propter doctos viros qui eam sustinent ; quamvis ut vero fatear, non mihi tam probabilis appareat. Imo puto, quod si doctores antiqui vidissent tot ac tantorum SS. testimonia in contrarium, quæ ego modo adducam nullam ei probabilitatem concederent. Unde apud me, salva pace, nihil probabilitatis, nihil veritatis, nihil ingenii continet. »

Et recitat tantum quosdam Patres græcos et latinos qui dicunt fere idem quod Patres a S. Thoma et Bonaventura citati, et omnes explicantur sic : « Auctoritates illæ loquuntur de adventu in carnem passibilem ad redimendum et non in carnem simpliciter. »

Ita concludit : « Hinc patet hujus resolutio quam aliquantulum late proposui quia multi putant hoc esse quæstionem de nomine et pro utrâque parte probabilem et revera non est ; quum sit una pars *contra omnes sanctos et rationibus innitatur falsis* » — Vide superius an omnes sancti Primatum Christi impugnaverint.

Nota tamen quod, ut suam defendat sententiam, recedere debet a quodam principio Divi Thomæ, cujus tamen doctrinam sequi teneretur. Nam in quartâ conclusione : « Adverte maxime, quod si teneamus opinionem illam S. Thomæ, quæ dicit Deum prædestinasse et reprobasse homines, nulla habita ratione operum, vel peccatorum, sed ex mera sua voluntate, tunc difficile possemus evadere difficultatem hanc, scilicet cum Christus sit primus omnium prædestinatus ad gloriam, si alii ante peccati præscientiam nostro modo intelligendi sunt prædestinati, ergo et Christus fuisset... At vero nos aliter dicimus etc. »

Et etiam contra Angelicum negat angelos a Christo accepisse gratiam et ita ratiocinatur (in 3 p., 9. 8, art. 4, com. 1) : « Si angeli habuerunt gratiam merito Christi consequenter etiam habuerunt gloriam. At hoc esse omnino falsum ostendo. Sequeretur quod non habuissent illam donec Christus moreretur ; quod est hæreticum. *Angeli enim*, dixit Christus, *vident faciem Patris mei.* Sequela probatur : quia pretium gloriæ nondum erat solutum. Ob id enim homines sanctissimi, et aliqui multi sanctiores angelis quantum ad gradum gratiæ detinebantur in limbo : Quia expectabatur pretii solutio per Christum. Ita debuit esse in angelis ; quod tamen falsum est. Christus dat gratiam per modum redemptionis, scilicet, morte et passione suâ. At angeli nulla indigebant redemptione, quia non habuerunt peccatum ante gratiam. Ergo non receperunt eam a Christo » — Argumentum probare posset si ageretur de angelis prævaricatoribus a Christo *redemptis ;* sed agitur de fidelibus a Christo salvatis, et patet quam claudicat hoc argumentum.

Martinus Bonacina (1631) (Tractatus de sacrosancta Christi Incarnatione).

(Disputatio II, q. I, Punctum V) : « Unica propositio : Incarnatio facta fuit ad tollenda peccata... Ratio est, quia Scriptura pro causâ Incarnationis semper assignat redemptionem hominum... »

Et disp. II, q. XVII, Punctum IV de Prædestinatione Christi :

« 2ª propositio. Prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis in triplici genere causæ finalis, exemplaris et meritoriæ. »

Ibid. q. XXII, Punctum VII : « Major est difficultas utrum Christus meruerit angelis gratiam et gloriam. Respondeo negativè juxta valde probabilem multorum Doctorum sententiam .. Ratio quia negotium angelorum consummatum fuit ante prævisum peccatum Adæ ; prius enim prævisum peccatum angelorum quam Adæ, cum peccatum angelorum aliquo modo fuerit causa peccati Adæ.

» 2° gratia et gloria angelorum independens fuit a morte Christi, cum merita Christi supponant peccatum Adæ.

» 3° Christus non dicitur Redemptor angelorum », et objectioni : Christus est caput Ecclesiæ, ergo angelorum et hominum, respondet : « *Alia ratione dicitur caput hominum quam angelorum.* » (Lugduni, MCD. XXXI).

P. Didacus Alvarez, O. P. (1685). De Incarnatione Verbi Disputationes 80 ; disput. IX, n° 21.

Opinionem Angelici doctoris amplectitur et infra : « Licet enim Christus non fuerit angelorum Redemptor, fuit tamen consummator gratiæ et beatitudinis ipsorum.

» Ad confirmationem respondetur, prædestinationem et glorificationem angelorum quoad substantiam non dependere ex meritis Christi, sicut pendet prædestinatio et glorificatio hominum ; nam gratia angelorum quoad substantiam non fuit illis collata ex meritis Christi prævisis, sicut nec fuit homini collata per merita Christi gratia status innocentiæ ».

P. Didacus Nugno Cabezudo (In 3 P., q. 1, art. 3): « Conclusio B. Thomæ ut jacet... videtur mihi ita certa, ut oppositum *parum* vel nihil habeat probabilitatis. »

Attamen in quæstione de gratia angelorum arguit contra Doctorem Angelicum (in 3 p., 9. 8. a. 4) : « Difficultas gravissima, utrum Christus ut homo causet in angelis ipsam substantiam gratiæ et gloriæ, ita ut a principio fuerit illis collata gratia et gloria ex meritis Christi futuri et ex ordine ad Ipsum... Sententia magis communis inter *veros* Thomistas est, gratiam et gloriam quantum ad essentialia non fuisse collatam ex meritis Christi, neque per ordinem ad ipsum. Prob... Quarta ratio (et principalis) sequitur ex opposita sententia quod etiamsi Adam non peccasset Filius Dei venisset. Consequens est contra B. Thomam ut vidimus... »

Conceditur totum.

Franciscus Feu (1699) (Theologici Tractatus. De Incarnatione. Quæstio 4) : « *Utrum non peccante homine,*

etc. Negative. Paucis rem absolvemus ; cum præsertim hic de occulta Dei voluntate moveatur quaestio, huicque locum præbuerit non Scripturarum obscuritas, aut antiquorum in diversos sensus abeuntium dissensio, sed subtilis disquisitio theologorum. *Aperta est enim Scriptura et unanimis Patrum qui de hac quæstione sermonem habuerunt consensio !...* »

Non respondet objectionibus ex Scriptura.

Ibid., q. X^a, art. II. Sed disputant theologi an Christus angelorum sit caput sicut et hominum et, Augustino citato : « Non enim pro angelis mortuus est Christus, sed ideo etiam pro angelis fit, quidquid hominum per ejus mortem redimitur et liberatur a malo ; quoniam eum eis quodam modo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt et ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur. »

P. VINCENTIUS CONTENSON, O. P. (1640-1674) (Theol. ment. et cord. lib. IX, dissert. 4, c. 2, speculatio 3^a.) — « Ultima pars (videlicet quod Angeli a Christo gratiam et gloriam essentialem non acceperint) est prorsùs consentanea principii D. Thomæ, qui docet Christum non venturum Adamo non peccante. Ergo censet Christi plenitudinem non influere in gratiam angelorum vel gloriam eorum essentialem... »

Et hoc cum fundamento dicitur. Sed D^r Angelicus tam expresse affirmavit angelos gratiam et gloriam essentialem a Christo accepisse quam explicite asseruerit Adamo non peccante Christum non venturum fuisse. Quandonam D. Angelico credendum ?

P. PETRUS LABAT, O. S. B. (1725-1795) (In 3 p., tract. I, disp. 5, dub. 5, § 1) : « Dico secundo Christum non meruisse angelis gratiam et gloriam essentialem sed dumtaxat gloriam accidentalem... quia *ut suadetur ex dictis supra disp. 1*, Incarnatio Christi fuit a Deo de facto decreta per dependentiam a peccato protoparentis præviso... »

P. DOMINICUS PEREZ (De ineff. Incarn. mysterio juxta D. Thomæ mentem. Tract. 2, q. unica, dub. 4, § 2) negat a Christo angelos accepisse gratiam essentialem quia : « Juxta talem (decretorum) ordinem Christus intelligitur pro posteriori omnino ad meritum angelorum bonorum et peccatum dæmonum... cum hæc prius fuerint prævisa quam peccatum Adæ. Sed quia Christus intelligitur pro posteriori omnino ad peccatum originale, non influit ullatenus in justitiam originalem præcedentem Christum... Ergo... »

P. DION. PETAVIUS (1652) (Lib. XII de Incarn., c. X.) negat Christum influxisse gratiam in angelos quia (et jurè) : « quod de adventu et Incarnatione Filii Dei, utrum absque peccato Adami foret, futura hæc esset, idem et de præsenti disputatione sentiendum est. »

EUSTACHIUS FROMOND (Com. in Ep. ad Colos., I, 18). « *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Ex omnibus fidelibus coadunati, non autem ex angelis quasi meritum Christi gratiam et gloriam influat in angelos, sicut homines, ut quidam non bene interpretantur. » (Rothomagi, 1710.)

BILLUART (1757) sic instantia in Deo instituit : 1° De se et omnia possibilia in Essentia sua intelligens voluit gloriam suam per effusionem suæ virtutis ac bonitatis, suorumque attributorum manifestare ; 2° ad talem gloriam propalandam hunc mundum ex omnibus possibilibus elegit ; 3° creaturam intellectualem ad ordinem supernaturalem evehere constituit ; 4° inscrutabili judiciorum abysso, ejus lapsum permittere voluit ; 5° præviso peccato mederi voluit ; 6° ad tale remedium Filium suum incarnari voluit et.. omnia in signis prioribus decreta Christo subjecit, et ad ejus gloriam ordinavit.

Ita Gotti, Capreolus, Gazzaniga etc.

P. JOANNES A S. THOMA sententiam Doctoris Angelici amplectitur et affirmat S. Thomam in explanatione hujus textus : « Ex plenitudine ejus etc. — et etiam angeli », agere de gratia accidentali et non de essentiali. (In 3 p., q. 8, disp. 10, art. 3.)

P. Vincentius Asturicensis (Relect. de Christi gratia, q. 6, dubit. 3, § 3) negat angelos a Christo accepisse gratiam, quia : « Omnis gratia ex Christi meritis promanans est gratia Redemptoris et gratia sanans. Sed angeli non sunt participes redemptionis factæ per Christum : non enim ipsos redemit Christus neque pro ipsis mortuus est. Non ergo angeli gratiam ex Christi meritis provenientem acceperunt. »

P. Vincentius Ludovicus Card. Gotti (De gratia Christi q. III, de gratia Christi ut capitis) Dubium 4. Utrum Christus sit caput angelorum.

§ II. Resolutio dubii. Dico probabilius et proximius menti S. Thomæ videtur, Christum caput non influxisse in angelos justificationis gratiam et gloriam essentialem et proinde angelos non fuisse justificatos ex fide in Christum, nec gloriam assecutos ex meritis ejus. »

Validius autem argumentum quod proponit est : « Si gratia et gloria essentialis fuisset primo collata angelis ex meritis Christi... futurum utique erat meritum Christi ante peccatum Adæ ; unde etsi status innocentiæ perseverasset et Adam non peccasset, Filius Dei supponeretur venturus in carnem. Sed hoc supra negavimus. »

P. Bonifacius M^a^ Grandi (in 3 p. q. 8, a. 4.) « Prævisio peccati Adæ supponit in Deo decretum gratiæ et gloriæ essentialis angelorum. Sed juxta sententiam S. Thomæ decretum Incarnationis Verbi divini supponit in Deo prævisionem peccati Adæ : ergo juxta sententiam S. Thomæ decretum Incarnationis Verbi divini supponit decretum gratiæ et gloriæ essentialis angelorum. — Restringamus sic : decretum Incarnationis supponit decretum prædestinationis Angelorum. Quomodo potest imaginari, quod Deus intuitu meritorum Christi Domini formaverit decretum prædestinationis angelorum ? »

Wirceburgenses : « Postquam Deus, præviso peccato, in ejus remedium decrevit mittere Christum, decrevit simul ad ejus gloriam ordinare creaturas. » De Inc. sect. III, art. 4. — Sic instituunt decreta in Deo : « Supposita

scientia simplicis intelligentiæ et mediâ, quâ præsciebat Deus ab æterno tum quid ipse in quavis rerum serie et combinatione facere posset, quique in omnibus circumstantiis futuri essent eventus, unico et ex parte subjecti sive divinæ suæ voluntatis decreto indivisibili ordinavit : 1° creare universum, angelos, homines, elevare eos ad statum et finem supernaturalem ; 2° angelis et primis parentibus conferre habitualem gratiam ; 3° constituere Adamum caput morale humani generis ; 4° per scientiam visionis malorum angelorum viso lapsu bonorum perseverantia, his gloriam, illis supplicia destinavit ; 5° viso similiter Adami lapsu, misertus hominis decernit mittere Christum Redemptorem illique subjicere omnia. »

Card. de Lugo (de Incarn. disp. XVII et XXVII, sect. 3) « Communis sententia negat meruisse Christum angelis nisi aliquas illustrationes,gaudium de reparatione... et his similia. »

Ita P. Egidius Conink, de Verbo incar. disp. XXI, dub. 7.

P. Bartholomæus a Medina, O. P. In 3 p., q. I, a. 3.

P. Aug. Bernal de Inc. disp. XXXII, sect. 2, n° 27.

P. Leonardus Lessius de prædest. Christi, sect. II, n° 29.

P. Gaetan Felix Veramus C. R. de Incarn. disp. 6., sect. 5.

P. Laurentius Berti August. de theol. disciplina, lib. XXVII.

P. Gabriel Antoine T. I, de Incarn. c. 3, art. 1, § 2.

Ludovicus Habert de Incarn. c. X, q. 2.

Thomas ex Charmes de Inc. disp. VII ; c. 4, concl. 4.

Ludovicus Caspensis de Inc., disp. V, sect. 8, n° 87-89.

P. Nicolaus Gavardi August. in III Sent. q. VII, art. 3, § 24-34.

P. Antonius Gonzalez de Rosenda, C. R. M. de Just. Orig. tr. 3, disp. 9.

Alexander Pesanti Romanus in 3 p., q. 8, disp. 1.

S. Thomas Compton Curleton in 3 p. disp. 47, sect. 4.

P. Jos. Zagaglia Carm. De Incarn. disp. V, sect. I, § 3, nº 30.

P. Jac. Platelius de Inc. c. VI, § 2, nº 350.

P. Ant. de la Parra de Arteaga C. R. min. de Inc. disp. I, q. 7.

P. Carolus Sardagna, de gratia Christi art. I, nº 98.

P. Michael Marcelli August. Inst. theol. lib. XXIV, c. VII.

L'Herminier, Summa theol. de Inc.

J. B. Franzelin, S. J., Tract. de Verb. Inc. theor. XLI.

P. Raphael Garcia tract. de gratia Christi art. 2.

Bernardus Iungmann de Inc. p. 1, c. 2, art. 8, nº 254.

P. Billot, de Verbo Inc. Com. in III, p. I S. Thomæ in qu. 8.

P. Hurter, S. J., medulla theol. dogm. Tract. VII de Christo Redemptore.

Camillus Card. Mazella, S. J. Prælect. de gratia Christi disp. I, art. I, § 2, nº 12. Sed hic dicit : « Solutio quæstionis pendet ex alia nempe an Adamo non peccante, etc. »

Jam citati sunt supra Ludovicus Mæratius Trecensis, S. J. ; Georgius de Rhodes, S. J. ; Philip. Moncœus, S. J. ; Jean. Puteanus, August. ; Witasse ; Tournely.

Infra autem citandi sunt Bannez, Salmanticenses.

His addendi qui negant Christum fuisse caput Adami innocentis : WADAMUS SYRUS in 3 p., q. 7, art. 3 : « Est communis.... gratiam et merita quæ habuerunt primi parentes ante peccatum fuisse collata illis sine ordine ad Christum tanquam ad causam meritoriam. »

Ita etiam PP. Puig, et Xarrie. Instit. theol. de Inc. c. 3.

Gavardi (in 3 Sent. q. 3, art. I, nº 26.)

Zagaglia (Incarn. tract. I, disp. V, sect. I.)

Silvius (3 p. q. I, art. 3 ad 5um.)

Becanus (De Inc. c. I, q. 6, nº 23)

De Theologis S. J. notandum est quod contra sententiam explicitissimam D. Angelici affirment angelos non accepisse gratiam a Christo, dum ex suis constitutionibus tenerentur S. Thomæ doctrinam propugnare.

Hi sunt ergo *veri* Thomistæ qui, teste Didaco Nugno, propugnant sententiam genuinam Divi Thomæ, sed contra Doctoris Angelici expressam sententiam et innumera testimonia Patrum et scriptorum ecclesiasticorum qui unanimiter affirmant angelos a Christo accepisse gratiam. Si non omnes Patres seu scriptores ecclesiastici agunt de hac quæstione, non est, ni fallor, qui contradicat.

CAPUT IV

De sententiâ Cajetanâ.

Dicit Angelicus Doctor Verbum incarnatum esse propter peccatum remittendum ;

2º Affirmat Christum esse causam exemplarem et meritoriam nostræ prædestinationis ; ab ipso angelos accepisse gratiam. Dicit etiam, implicitè saltem, omnia propter Christum condita, dum exponit omnia creata fuisse propter electos ; sed Christus est principalis et etiam primus electus.

De his propositionibus non curaverunt plurimi Theologi qui amplexi sunt sententiam Doctoris Angelici. Quos in duobus prioribus capitibus recitavimus. Nonnullis autem apparuit contradictio, ita ut unam ex his propositionibus negandam crediderint ; de quibus superius. Pro quibusdam autem S. Thomæ discipulis adest tantum difficultas, ad quam enodandam Cajetanus suum struxit systema. Liquido constat scopum hujus sententiæ esse S. Thomæ assertorum conciliationem. Etenim Salmanticenses fatentur sententiæ Cajetanæ adhæsisse quia « hæc duo (asserta S. Thomæ) non aliter nec aptius conciliantur inter se quam modo præmisso... Isto enim modo, cuncta quæ hìc oportet cohærent. » (Tract. XXI, disp. 2, nº 30.)

Addi posset sententia Suareziana. Conciliatio enim S. Thomæ et B. Scoti esset revera conciliatio prædictarum Doctoris Angelici propositionum.

Dicendum ergo de Cajetanâ et Suarezianâ sententiâ.

Thomas Cajetanus Card., O. P. (1534), in Sum.

3am Part. S. Thomæ, qu. I, art. IV, Scoti argumentis ut respondeat, sic :

« Et si perspicacius tres qui de facto in universo inveniuntur ordines consideraverimus, videlicet ordinem naturæ, ordinem gratiæ et ordinem Dei et creaturæ simul, videbimus quod secundus præsupponit primum et tertius præsupponit utrumque, et præordinatio et prævisio primi præsupponitur a præordinatione et prævisione secundi, et prævisio tertii præsupponit præordinationem et prævisionem utriusque. Ita quod Deus primo ordinavit universum secundum ordinem naturæ et quoniam universum secundum talem ordinem non attingit ad fruitionem divinam superaddidit ordinem gratiæ ; et quum talis ordo non pertingit ad unionem summo modo possibilem cum Deo, præordinavit creaturam ad unionem personalem cum Deo. Quocirca cum peccata pertineant partim ad ordinem naturæ, partim ad ordinem gratiæ ut opposita illi, consequens est quod prædestinatio Jesu Christi ut sit Filius Dei præsupponat prævisionem futurorum peccatorum utpote spectantium ad præsuppositos ordines in genere causæ materialis. »

Ut autem facilius intelligas hanc Cajetanam distinctionem et scopum ipsius distinctionis, audi præclarum Vasquezium sic dicentem (de prædestinatione Christi) : « Non paucis neque indoctis Thomistis probatur distinctio illa Cajetana, duplicis nimirum prioritatis, alterius secundum causalitatem, alterius vero quæ dicitur consequentiæ. Scopus autem hujus distinctionis est ut ex una parte defendant Christum in genere causæ finalis fuisse prædestinatum ante omnem creaturam et ante omnem gratiam tam angelorum et hominis in statu naturæ integræ, quam hominis in statu naturæ lapsæ ; atque adeo omnem gratiam etiam angelorum et hominis in priori illo statu fuisse per Christum collatam ; ex alia parte asserant cum S. Thoma Christum non venturum nisi Adamus peccasset. »

De hâc autem distinctione sic loquitur Catharinus, O. P., eximius theologus : « Prætermisi autem respondere quibusdam Cajetani argutiis, quibus conatur illam partem (scilicet quod Adam non peccante, Deus non fuisset incarnatus) apud D. Thomam defendere. Existimabam enim illas probare ut efficaces neminem posse hominum, nisi vel protervum omnino ac depravati cordis et mentis vel penitus insanum. »

P. GONET, O. P. (1681). Sententiæ theologicæ, decursu temporis et re accuratiùs et diligentius discussâ, enucleatius quandoque traduntur. An ita fuerit de distinctione Cajetana apud Patres et scriptores ecclesiasticos inaudita, quærendum est. Quod videre licet apud Gonet præclarum hujus sententiæ propugnatorem.

Qui ita (Clypeus theologiæ thomisticæ, tom. VI, disputat. v^{a}, De motivo Incarnationis) :

« Dicimus quod ordine intentionis prius fuit volitus Christus quam omnia alia sive ordinis naturalis sive supernaturalis et quam permissio peccati, in genere causæ finalis, posterius vero in genere causæ materialis. Vel, ut alii dicunt, licet Christus prius fuerit prævisus et intentus in ratione finis *qui* quam ordo naturæ et gratiæ et quamvis peccatum intelligatur esse permissum a Deo ; tamen prioritate finis *cui*, prius volitum fuit remedium peccati, seu genus humanum ut redimendum, quam fuerit prævisa et volita Incarnatio.

» Nota 2° finem qui est adæquatum intentionis objectum, dividi a philosophis in *finem qui*, sive ut alii loquuntur in finem *cujus gratiâ*, et in *finem cui*, quem aliqui appellant *finem effectum*. Finis qui, sive cujus gratiâ, est illud bonum quod appetitur, et cujus gratia media assumuntur. Finis vero *cui* est illud subjectum sive illa persona, cui vel propter quam appetitur tale bonum. In medico desiderante sanitatem ægroto, finis *qui* est sanitas ; propter quam procurandam infirmo præscribuntur potiones. Finis *cui* est ipse infirmus cui sanitas desideratur.

» Prima pars hujus resolutionis quæ asserit Christum

ordine intentionis, prius esse volitum, ut finem qui, quam res ordinis naturalis et ordinis gratiæ et quam permissio peccati, probatur primo ex illo Apost. : « Omnia vestra sunt, vos autem Christi. » Ubi D. Thomas ait significari quod quemadmodum omnia propter prædestinatos creata sunt, ita omnia creata, et ipsi prædestinati, sunt propter Christum, ut est homo, tanquam propter finem... Ergo Christus in ratione finis qui, sive cujus gratiâ, est prius volitus et intentus quam res ordinis naturalis sive supernaturalis, subindeque quam permissio peccati.

» 2° Finis cujus gratia sive ultimus, sive proximus magis diligitur, quam id quod ob illum amatur. At inconveniens videtur dicere, Christum fuisse a Deo minus dilectum quam remedium peccati, seu genus humanum ut redimendum. Ergo genus humanum non est finis qui, seu cujus gratiâ, prius a Deo intentus, sed potius ipse Christus in mente et intentione Dei talem prioritatem in genere causæ finalis obtinet...

» Stat optime prædestinationem Christi esse priorem in mente divina præscientiâ peccati seu genere humano ut redimendo in aliquo genere causæ, et nihilominus ab ipso, in aliquo genere dependere, subindeque Christum non esse venturum, nullo peccato existente... Colliges 1° quod in genere causæ finalis prius fuit in ordine intentionis decretum Incarnationis, decreto creationis, glorificationis, justificationis, et permissionis peccati, cum posterioritate in genere causæ materialis jam explicata.

» Colliges 2° quod quando Scriptura, SS. Patres dicunt Christum prædestinatum *propter* nostram salutem non denotant finem qui seu cujus gratiâ, sed *cui*. »

Ut autem pateat quam durus labor respondere objectionibus ex prædestinatione Christi erumpentibus, attente legas eumdem Gonet (Manuale Thomistarum, Tract. I, de Incarn., caput III) exponentem quod Incarnatio locum habuerit ob peccatum et sic objectiones solvere conantem :

« Objicies primo : Christus est volitus et prædestinatus a Deo ante præscientiam peccati Adami ; ergo prædesti-

natio Christi est independens a tali peccato. Quod probatur ex Scriptura : Christus enim est « primogenitus omnis creaturæ » (Col., I) ; est « initium viarum Domini » (Prov., VIII)...

» Huic argumento quod apud adversarios palmarium est, tripliciter respondent nostri Thomistæ. Aliqui enim, concesso antecedente, negant consequentiam ; quia, inquiunt, etsi Christi prædestinatio antecedat præscientiam peccati Adami et decretum hominis redimendi, eo ipso tamen, quod non alio modo, neque alio medio, voluit Deus eam exequi, nisi media permissione peccati, fit inde quod si homo non peccasset Christus non venisset. Eo proportionali modo, quo licet intentio quam habet Deus dandi suam gloriam electis, sit prior decreto de bonis operibus ipsorum, atque adeo prævisionem hujusmodi operum antecedat (juxta communiorem et veriorem sententiam) nihilominus, quia Deus non aliter statuit voluntatem suam sive intentionem adimplere, quam per bona opera electorum, verum est dicere quod nullus electorum absque bonis operibus salvabitur.

» Alii vero respondent decretum Incarnationis et Christi prædestinationem esse quidem priorem in mente divina, in genere causæ finalis, ideoque appellari primogenitum creaturæ, et initium viarum Domini, et Apostolum dicere ad Cor. : « Omnia vestra sunt, vos autem Christi... » Quibus verbis significat, ut interpretatur S. Thomas, quod quemadmodum omnia propter prædestinatos creata sunt, ita omnia creata, ipsi quoque prædestinati, sunt propter Christum, ut est homo, tanquam propter finem, sicut et illa omnia et ipsemet Christus sunt propter Deum.

» Nihilominus ut volitum et prædestinatum, esse posteriorem permissione et præscientia peccati originalis, in genere causæ materialis, seu occasionalis, quia ex tali peccato Deus sumpsit occasionem volendi Incarnationem et prædestinandi Christum, ut hominem redemptorem, sub qua ratione intendi nequit, nisi præviso homine, ut

materia perficienda, et peccato, ut materia destruenda. Non enim (inquit) repugnat id quod est prius et independens in uno genere causæ, esse posterius et dependens in alio, cum causæ sint sibi invicem causæ.

» Alii demum sic distinguunt principale antecedens : Christus est volitus et prædestinatus a Deo ante permissionem et præscientiam peccati Adæ : si illa particula *ante* denotat prioritatem in omni genere causæ, negant antecedens. Si denotet duntaxat prioritatem in genere finis *qui*, vel *cujus gratia*, concedunt antecedens et negant consequentiam. Nihil enim vetat Christum in ordine intentionis prius fuisse volitum ut finem *qui* seu *cujus gratia* quam remedium peccati, seu humanum genus ut redimendum, et posterius in rationem finis *cui*, quia nimirum Incarnatio ordinatur ad redemptionem hominum et cedit in bonum et utilitatem humanæ naturæ. Id explicant exemplo medici desiderantis sanitatem infirmo. Ipsa enim sanitas est prior ægroto in ratione finis *qui* seu *cujus gratia*, æger vero cui sanitas desideratur est prior in eodem genere causæ finalis in ratione finis *cui*...

» Objicies 2° : si genus humanum ut redimendum esset finis et motivum, ob quod Deus Christum intendit, sequeretur Christum esse minus dilectum a Deo quam genus humanum... Medium cum diligatur propter finem, minus diligitur quam ipse finis...

» Respondeo negando sequelam majoris et ad ejus probationem distinguo antecedens ; medium minus diligitur quam finis quando habet rationem puri medii, concedo antecedens ; quando non solum habet rationem medii sed etiam finis, nego antecedens. Christus autem non habuit rationem puri medii ad redemptionem generis humani, cum ea ad gloriam et exaltationem Christi tanquam ad finem referatur, sicut exaltatio Christi ad gloriam Dei tanquam ad finem ultimum ordinatur : Omnia vestra sunt... »

Vides ex his explicationibus et responsis quam difficile sit, ne dicam impossibile, explanare difficultates seu inter

se repugnantia hujus sententiæ Cajetanæ. Ut autem hoc evidentius pateat, inter theologos qui hunc triplicem ordinem Cajetani impugnant duos citare liceat, videlicet Philippum Faber et Catarinum, in fine addita aliquâ responsione ad Gonetum.

1° PHILIPPUS FABER FAVENTINUS, O. M. Lib. III. Disputationum theologicarum, disput. XX : « Utrum si Adam peccasset, etc. » hoc triplici ordine exposito, sic adversatur : « Isti tres ordines hoc modo dispositi (1° ordo rerum naturalium ; 2° ordo gratiæ ; 3° ordo Dei et creaturæ simul in quo est unio hypostatica) adversantur D. Thomæ. Deinde includunt multa pugnantia.

» 1° Sunt contra fundamenta doctrinæ D. Thom. Nam admissa hac doctrina Cajetani quod peccatum pertineat ad primum ordinem universi et quod ideo præcedat prædestinationem et quod prædestinatio gratiæ et unionis hypostaticæ pendeat ex eo sequitur directè quod prædestinatio habeat aliquam causam temporalem et præter divinam voluntatem quod est contra ipsum D. Thom., I p. q. 23, art. V, ubi D. Thomas in principio corporis artic. et in responsione ad tertium dicit, quod prædestinatio divina non habet ullam causam, neque ex parte actûs volendi et prædestinandi, neque ex parte volitorum, sed solum habet pro ratione divinam voluntatem ex qua effectus prædestinationis habet principium et in quam ut in finem tendit : consequentia autem est evidens quia dicunt Cajetanus et alii hujus opinionis, quod peccatum Adæ prævisum fuit causa motiva divinæ voluntatis ad prædestinandum animam Christi ad gloriam et ad unionem...

« Quod autem peccatum nudum ut peccatum non fuerit causa prædestinationis, convincitur ex hoc quia peccatum nudum ut peccatum formaliter est simpliciter malum et ideo non potest movere divinam voluntatem ad aliquod bonum faciendum, solum potest esse occasio boni ; non est autem occasio boni nisi ut reparabile.

» 2° In his ordinibus continentur multa pugnantia, et

admisso quod peccatum sit in primo ordine et pertineat ad esse naturæ rerum, nihilominus concluderet argumentum Scoti sic : in ordine naturali rerum sunt omnes res secundum esse suum naturale per se ; sed anima Christi est unum ens naturale ut anima Judæ, anima Petri, etc. ; ergo anima Christi continebatur in hoc ordine. Tunc subsumo. Sed per te, in illo ordine, licet sint entia positiva et defectus, tamen prius cognoscuntur positiva quam defectus ; ergo anima Christi prævisa fuit a Deo ante quemcumque defectum et peccatum. Iterum subsumo : at anima Christi nunquam fuit sine Verbo et sine unione hypostatica ad Verbum, et hæc unio est quid positivum ; ergo Deus prævidit prius animam Christi unitam Verbo quam præviderit peccatum. Sed. Deus non prævidet nisi futurum, quia, per te, quod non est futurum est non ens, at non ens non est scibile ex primo posteriorum ; ergo anima Christi debebat prius esse unita quam prævideretur peccatum ; ergo peccatum non fuit causa Incarnationis.

» Confirmatur adhuc sic. Quæro quid intelligat Cajetanus per gratiam quando dicit in secundo ordine poni ea quæ pertinent ad ordinem gratiæ. Vel enim intelligit habitus gratuitos et auxilia divina varia quæ ipsis creaturis, ultra dona naturalia largitur Deus, vel intelligit gratuitam Dei voluntatem ; si primum intelligit, ut vere ipse intelligit, tunc in hoc ordine non est ponenda gratia unionis, quia ipsa non est aliquis habitus creatus superadditus naturæ, ut patet, neque pendet ab aliquo istorum habituum quia ista gratia unionis præcedit gratiam habitualem, ut ostensum est in 2 Dist. Si intelligit gratuitam Dei voluntatem et condescentionem, tunc verum est quod unio est gratia. Sed ista pertinet ad primum ordinem rerum naturalium quia etiam creatio angelorum, hominum et totius mundi est gratuita Dei voluntas ; hæc enim omnia posita sunt in esse ex gratia Dei, scilicet, ex mero beneplacito et condescentione Dei...

» Alii sic arguunt, ut Suarez 3ª par., disp. 5, lect. 1

Isti tres ordines Cajetani ponuntur distincti ab invicem et hoc involvit multa quæ stare non possunt; quia mors prædestinati pertinet ad naturam, est enim defectus naturæ, et tamen præscientia mortis illius non antecedit electionem illius ad gloriam et gratiam, sed potius talis mors cum talibus circumstantiis est effectus talis prædestinationis.

» Peccatum crucifigentium Christum est peccatum; ergo ex Cajetano pertinet ad ordinem naturæ; ergo prius prævidit peccatum crucifigentium Christum quam ipsum Christum, quod est absurdum... Nec valet responsio quam Cajetanus innuit in eodem commentario, quod peccatum duobus modis considerari potest, ut est contra ordinem naturæ, et ut est privatio gratiæ : primo modo præcognoscitur in ordine naturæ, secundo modo in ordine gratiæ; non valet, inquam, quoniam sunt peccata multa quæ ex suo primario objecto non sunt contra ordinem naturæ sed gratiæ, ut peccatum infidelitatis, ut est etiam peccatum crucifigentium Christum quod habuit suam malitiam ex dignitate personæ Christi. »

2° CATARINUS, O. P. sic impugnat Cajetanum :

« Si vere peccata pertinent ad ordinem naturæ et hic ordo præcedit ordinem gratiæ, sequitur ut coram Deo omnia peccata hominum præsentata fuerint, antequam sit datio gratiæ cujuscumque, puta Adæ, ita ut in mente Dei, et providentia sua prius oportuit peccare Adam et antichristum quam Adam ipse præpararetur ad gratiam. Prius igitur expectavit Deus videre peccatum Adæ, ut sic præpararet illum ad gratiam. Et similiter omnium peccatorum habuit prævisionem (etiam antichristi, quia peccata sunt in ordine naturæ) priusquam vellet Adæ, aut cuiquam hominum (etiam ipsi Christo) gratiam. Qui autem potest ista sibi persuadere, certe auctoritate ducitur, non ratione; voluntate, non intellectu. Nimis enim absona sunt hæc et absurda.

» Ad hæc : prius ergo est peccatum antichristi, et omnia peccata mundi, quia spectant ad ordinem naturæ

et gratiæ, quam sit Incarnatio ipsius Christi in mente Dei, et ita peccatum quod est contra gratiam et antichristus, qui est contra Christum, præsupponitur ipsi gratiæ, et ipsi existentiæ Christi. Quomodo ergo dicitur antichristus ?

» Vide quid faciat, velle defendere positionem ex zelo ad æmulationem. Nihil enim puto posse absurdiùs, imo ignominiosiùs dici adversus dignitatem existentiæ Christi, quam ipsius existentiæ prædestinationem in mente Dei fuisse post provisionem ac prævisionem omnium creaturarum et omnium effectuum tam bonorum quam malorum, quod tamen necesse est dicere juxta hanc doctrinam .. quod est non solum contra manifestissimas Scripturas, verum etiam contra id quod sanæ mentis homo possit admittere ; cum hæc doctrina maxime dignitatem Christi extenuet.

» Ad hæc : prædestinatio aliorum præter Christum pertinet ad ordinem gratiæ, quia Christus pertinet ad tertium ordinem unionis. Ergo prior est aliorum prædestinatio quam prædestinatio ipsius Christi. Quis vero piæ mentis homo ista cum audit non exhorrescat ? Siquidem quotquot prædestinati sunt in ipso Christo Domino nostro, ut testatur Apostolus, prædestinati sunt. »

Hæc ergo maneant dicta contra Cajetanum et omnes ipsius sectatores, inter quos Gonetum jam citatum.

Fas sit tamen addere responsum istius theologi dictis particularibus.

1° Dicit quod Christus fuerit priùs prævisus et intentus in ratione finis *qui*, seu cujus gratia, quam ordo naturæ et gratiæ ; tamen prioritate finis *cui* prius volitum fuit remedium peccati, seu genus humanum redimendum quam fuerit volita Incarnatio.

Sed hæc distinctio non tenet. Etenim, ait Frassen (Tract. de Inc., disp. I, a. II, sect. III, q. 1[a]) : Si Incarnatio duntaxat decerneretur ob solam remissionem peccati, consequens esset quod illa non foret nisi existeret peccatum et consequenter quod haberet duntaxat

existentiam occasione remittendi peccati et sic, secundum se et absolutè, ordinatur ad aliud, ita quod habeat duntaxat existentiam propter illam ordinationem, non ordinatur solum ad finem *cui* sed etiam ad finem *qui* seu *cujus gratia*. — Ad id enim dicitur ordinari ad aliud tanquam ad finem *qui*, saltem immediatum, quando duntaxat producitur ob aliud, nec ullam haberet existentiam si ita ad aliud non ordinaretur. Ergo ex Gonet redemptio est finis *qui* Incarnationis.

2° Dicit quod Christus sit finis creationis i. e. ad eum referimur — et tamen, sine peccato Adæ Christus non fuisset...

Sed, ut ait Bartholomæus Durandus, si Adamo non peccante Christus non venisset, sequeretur quod, Adamo non peccante, Deus nihil creasset ; sed hoc falsum est, tum quia peccatum esset causa motiva creationis, tum quia Deus non operatus fuisset omnia propter semetipsum, quod est inauditum. — Prob. sequela. Deus voluit et fecit omnia propter Christum : ergo homine non peccante, Christus non venisset, nec ea quæ propter Christum facta sunt...

Si Christus non venisset, Adamo non peccante, sequeretur... 2° quod peccatum Adami utile fuisset *a)* omnibus prædestinatis, quia si Adam non peccasset, Christus qui est eorum caput non venisset ; *b)* omnipotentiæ Dei, cum non produxisset perfectissimum opus ; *c)* Christo qui non habuisset existentiam ; *d)* B. V. Mariæ, cum non fuisset Mater Dei.

In hoc triplici ordine, qui jure rejicitur, fundatur hæc distinctio causæ materialis et causæ finalis apud Cajetani discipulos perusitata. Dicunt enim, licet verum sit in genere causæ finalis antecessisse voluntatem Incarnationis permissionem peccati, tamen in genere causæ materialis permissionem fuisse priorem quatenus illius voluntatis occasio fuit. Sed proprie, ait Suarez, nulla hìc fingi potest ratio causæ materialis. Quia si peccatum fuisset occasio Incarnationis, potius ad finalem causam esset

revocanda, quia nihil aliud est esse occasionem quam movere Deum ad misericordiam et ad remedium tanti mali. Unde fit ipsum remedium peccati esse finem, peccatum vero ipsum sub hoc fine claudi tanquam occasionem ejus. Quod si vocetur materialis causa tantum, quia est veluti materia circa quam remedium hoc versatur, non est contendendum, quia erit quæstio de modo loquendi, quamvis materia circa quam potius habeat rationem objecti et objectum ad finem revocetur.

His dictis contra omnes Cajetanæ sententiæ propugnatores, de his agendum est.

N. B. — Ut propugnatores sententiæ Cajetanæ citabuntur omnes theologi qui utuntur ipsius distinctione de duplici causalitate et dicunt Christum prædestinatum in genere causæ finalis ante omnes creaturas, in genere autem causæ materialis prædestinatum post prævisum peccatum ad redimendum hominem.

Bartholomæus a Medina, O. P. (1581) (In 3^am^ Part., q. I, art. 3) : « *Utrum si homo non peccasset* etc... neque in alterutra parte hujus quæstionis asserenda est aliquid erroris aut apertè temeritatis... Opinio S. Thomæ quam amplectimur... longe probabilior est et verior... » Et paulo infra : « Si omnes sancti dicerent quod nemo salvatur sine pœnitentia, dicere oppositum est ingens temeritas. Sed dicunt universi Patres, quod si Adam non peccasset Deus incarnatus non fuisset : ergo hæc glossa *temeraria* est et improbabilis. » Videas quomodo hæc cohæreant.

Ex Bartholomæo a Medina hæc summatim :

1° Opinio divi Thomæ... longe probabilior est et verior ;

2° Christus Dominus fuit primus prædestinatus in quo omnes prædestinati sunt electi... In quo significatur quod Christus Dominus non solum sit causa efficiens nostræ prædestinationis, sed exemplar omnium prædestinatorum ;

3° Christus fuit prædestinatus in remedium peccati.

Sed ut respondeat huic objectioni : « Illud est simpliciter prius quod habet rationem finis ; sed gloria animæ Christi est finis propter quem Deus permittit mala fieri ; ergo Deus vult prius gloriam Christi quam permiserit mala fieri » : « Respondeo non esse inconveniens concedere quod in diversis generibus causarum idem sit prius et posterius altero, et sic gloria animæ Christi in genere causæ finalis prior est quam universa entia creata sive sint naturalia sive supernaturalia juxta hoc I, Cor.. III : omnia vestra sunt, vos autem Christi etc... » et in hoc genere ordo gratiæ est prior quam ordo naturæ. Natura enim est propter gratiam, sed in genere causæ materialis et veluti occasionaliter præsupponitur peccatum in cujus remedium Christus est prædestinatus. »

Non agit de argumentis ex Scriptura sumptis, nec respondet objectionibus e Prov. erutis.

Et quæst. VIII, art. IV : « *Utrum Christus sit caput angelorum*. Et sic. A parte affirmante hæc sunt argumenta... » Quibus expositis : « In hâc quæstione explicanda quidam doctores existimant, et eorum opinio probabilis est et pia, quod angelis fuit collata gratia et gloria ex meritis Christi ; verum mihi contraria sententia semper visa est probabilior et magis consentanea divinæ theologiæ. » — Et jure suam sententiam ita confirmat : « Nam si Christus esset causa justificationis gratiæ et gloriæ angelorum, sequeretur quod Dei Filius veniret in carne etiamsi homo non peccasset ; consequens est contra doctrinam veram. » Quod argumentum, ut patet, solidissimum est.

BANNES, O. P. (1527-1604).

(Com. in I^am^ Partem Angelici Doctoris, q. XXIII, Art. II) Sententiam Cajetanam propugnat.

« Nota 3° quando quæritur *utrum voluerit Deus prius esse res in esse naturæ quam in esse gratiæ ? Et utrum voluerit prius Incarnationem Filii sui quam permittere peccatum Adæ ?* — Respondendum est quod si isti effectus considerentur secundum rationem prioritatis

causæ finalis, sic esse gratiæ est prius volitum a Deo, tanquam finis totius esse naturæ ; sed rursus quia esse naturæ præsupponitur in genere causæ materialis et subjectivæ, inde est quod prius intelligimus Deum voluisse creare universum quam intelligamus sic voluisse diligere mundum ut Filium suum unigenitum daret. Proportionaliter permissio peccati priùs est volita in genere causæ quasi materialis, quam Incarnatio Christi et quam sacrificium altissimum quod obtulit in cruce, quod est bonum quoddam in mundo excellentissimum et ideo in genere causæ finalis prius volitum quam ipsa permissio peccati. »

Et (in 2, 2, S. Thom., q. 2, art. 7) « Angeli non sunt salvati per fidem Christi, neque membra efficiuntur illius per beatitudinem talem (i. e. videndo in essentia divina Incarnationem Verbi), quamvis Christus Dominus etiam angelos perficiat in beatitudine *accidentali ;* et propterea etiam dicitur illorum caput ».

Quod est contra Doctorem Angelicum.

P. GREGORIUS DE VALENTIA, S. J. (1551-1603). (Comm. Theol. in 3 p., disp. 1, q. 1, punct. VII) : « Nullam fere utilitatem hæc quæstio habet ; nec aliquid satis probabiliter in alterutram ejus partem statui potest ».

Attamen addit : « De quæstione hâc mihi probatur judicium D. Thomæ (lect. IV in cap. I, epist. I ad Timoth.) quod ille expressit his verbis : hæc quæstio, inquit, non est magnæ authoritatis : quia Deus ordinavit facienda secundum quod res ipsæ faciendæ erant, et nescimus quid ordinasset si non præscivisset peccatum.

» De facto probabilius est (Deum) non suscepturum fuisse carnem si Adam non peccasset. »

Et infra respondendo textui S. Aug., Lib. XIV, de Civ. Dei, c. 23, dicit : « Non est absurdum dicere non futuram fuisse Incarnationem nisi per occasionem peccati. »

Respondet autem objectioni ex Prov., VIII, 22 :

« 1° Dominus creavit me, etc... Prov., VIII. Quod volunt

intelligi de Sapientia seu Verbo divino secundum humanitatem assumptam quæ sit creata ante omnia secundum quemdam ordinem præscientiæ divinæ et decretum divinum antecedens alia omnia.. Respondeo quod hic locus intelligi potest de Filio secundum generationem ejus æternam, sicut aliqui Patres intelligunt...

» Si autem intelligamus eum locum de Filii generatione secundum humanam naturam ut aliquos Patres interpretari diximus, tum quidem de ea generatione Filii, ut existente, non in re sed in præscientia oportet hunc locum intelligi. Verumtamen ne tum quidem ille locus suffragatur illi opinioni. Non enim qui *omnibus modis prius* et *independenter* a quibuscumque aliis Incarnatio præordinata sit, significatur ibi fuisse præordinata ante omnia alia. Sed ob duas alias causas.

» Primo quia in genere causæ cujusdam *finalis* Christus etiam ut homo Deus, est primum quidem inter omnia Dei opera quatenùs scilicet omnia censeri debent a Deo facta ad hunc Deum hominem gloria et honore decorandum ob meritum ipsius passionis ». — Quod probat verbis Apostoli Philip., 2: Propter quod et Deus exaltavit eum. Ad Hebræos, 2, et testimonio Ruperti ! « Religiose est dicendum reverenterque audiendum quia propter istum filium hominis gloria et honore coronandum Deus omnia creavit. »

» Secundo ob id etiam *ante omnia alia* fuisse præordinatam Incarnationem dici potest quia est ipsa *præcipuum* et *maximum* opus Dei, quod omnibus aliis dignitate longe antecellit !...

» Cæterum quamvis juxta has duas considerationes Incarnatio priusquam omnia alia divinitus fuerit præordinata tamen secundum quamdam aliam considerationem fuit præordinata posterius quam Deus statuerit permittere peccatum et voluerit ei adhibere remedium. »

Et hoc est sententia Cajetana, nempe quod in genere causæ materialis prius fuit prævisum peccatum quam prædestinaretur Christus.

P. Deodatus Gentilis Genuensis, O. P. S. Theologiæ Lector. (Mystica urbis descriptio. Genuæ, 1589). Ipsius dicta idem sonant ac duplex prioritas Cajetana.

« Principium cœlestis urbis Christum dicimus... Jesus venit in hunc mundum ut peccatores salvos faceret, I Tim., I. Ideo his oraculis astricti, negare nequimus Verbum carnem assumpturum non fuisse si Adam non peccasset, verum haud credimus istam exstitisse præcipuam ac potissimam causam sui adventus, quamvis concedamus proximam et sine quâ non, sed aliam altiorem et digniorem perscrutamur, et hæc ea est cujus gratia nunc tot verba effundimus, Principatus, scilicet, Christi in sancta Hierusalem, ac mystica urbe electorum, et Ecclesia, ad quem ante omnem prædestinationem cujuscumque alterius præordinatus fuit ipse a divina voluntate ; non enim primo fuit ad gloriam prædestinatus, sed ad naturalem Dei filiationem, unde ipsius anima summam gloriam quæ creaturis conferri valeat indipiscitur, inde in Principatum electorum, ad quem directa fuit, et aliorum electio, et peccatum, in cujus remedium, et aliorum reparationem, adventum, passionem, mortemque Salvatoris statuit Deus. Hâc de causâ sacrum eloquium resonabat sub voce angeli mystici : « In initio viarum suarum possedit me Dominus » et vas electionis profundebat hinc : « Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. »

Si Redemptio non fuit causa « præcipua et potissima Incarnationis » ergo secundaria. Sed quomodo admittere potest quod causa præcipua et primaria, licet deficiente secundaria, effectum non sortiatur suum ?

Paulus Metezellus Cong. Oratorii (1572-1632). (Theologia sacra juxta formam Evangelicæ prædicationis distributa. De sacratissimo Incarnati Verbi mysterio).

« Et certe multorum opinio et assertio fuit ideo in hâc carne nostra venturum Dei Filium etiamsi primus homo et parens noster Adam non peccasset, nimirum ob perfectionem atque complementum universi et nostræ

pariter animæ glorificationem. Quæ interim sententia licet quidem pia et veneratione digna, parum aut nihil certè probabilitatis habet... præterquam quod adhuc quamdam esset Incarnationi necessitatem imponere, si quis diceret opera Dei absque Incarnatione perfecta non esse... »

(Quomodo sententia quæ nihil habet probabilitatis potest esse veneratione digna ?)

Sententia Cajetana fusè exposita addit : « Quare jam ut omnia hìc dilucidiora fiant, est attendendum quod cum multiplex sit et diversus ordo dependentiæ et causæ tam Christi ad creaturas quam creaturarum ad Christum, nempe vel secundum effectivam causam, vel materialem, vel formalem, exemplarem seu dignitatis ; vel denique finalem seu intentionis ; si ille ordo dependentiæ sit secundum causalitatem effectivam, cum Christus causa meritoria sit atque adeo effectiva omnis gratiæ et gloriæ sive hominum, sive angelorum, ut sic quidem prior est et prius a Deo decretus et volitus author omnis gratiæ et sanctitatis quam ulla fuerit decreta creaturarum sanctificatio. Si vero secundum causalitatem materiæ ille ordo consideretur, prius a Deo decreta est permissio peccati, quam ejus per Christum reparatio. Quod si ordo sit secundum causalitatem intentionis et finis, gloria et gratia hominum et angelorum prius a Deo decreta est quam Christi merita, eo quod hæc ad illam ut media in finem referuntur. Si vero secundum dignitatem spectetur, utique prius a Deo Christus est decretus, qui est primogenitus omnis creaturæ. Et quia tandem omnium hominum sicut angelorum sanctificatio et glorificatio ad gloriam et sanctitatem Christi ut ad finem et exemplar refertur, propterea ut sic, et ut consummatio est et finis omnis sanctitatis, prioritate causæ exemplaris, prius a Deo volitus est et decretus... ! »

Vides quod post hanc expositionem omnia, ut dicit auctor, dilucidiora fiant....

Cornelius a Lapide (1566-1637). Sententiam Caje-

tanam sequitur Cornelius. Etenim (Prov., VIII, 22 : Dominus possedit me) : « Decretum Dei de creatione mundi, angelorum et hominum ac de permittendo Adæ lapsu, peccatoque originali fuit prius decreto de Incarnatione Christi in genere causæ materialis ; eodem tamen fuit posterius in genere causæ finalis et quasi formalis : Christi enim Incarnatio fuit finis, decor, forma et complementum creationis angelorum, et hominum, ac totius universi. Quocirca inter creationem mundi et Incarnationem Verbi fuit mutua quædam contrådependentia. Nec enim Deus decreverat creare mundum, angelos, Adam, ejusque lapsum permittere, nisi simul decernendo Christi Incarnationem ad restaurandum Adæ lapsum et ad complementum, decoremque totius fabricæ suæ ; nec vicissim decreverat Incarnationem Christi, nisi simul decernendo creare mundum, ac permittere Adæ lapsum utpote in cujus remedium decernebat Christum incarnari. »

Attamen sequentibus vers. præclare exponit Virginem Mariam fuisse causam exemplarem, finalem ordinis naturalis et gratiæ : « Igitur B. V. ab æterno prædestinata fuit, ut esset principium, i. e., prima princeps et domina omnium operum Dei ; puta omnium purarum creaturarum. *Secundo*, ut esset idea sanctitatis, juxta quam sanctos angelos, apostolos, martyres, etc., efformaret. Cum ergo Deus B. V. mente concepit et prædestinavit, hos omnes... prædestinavit. *Tertio* principatum gratiæ et gloriæ ei decrevit... *Quarto* Deus eam fecit primitias operum suorum. Solebant Deo offerri primitiæ frugum, ut per has cæteræ fruges censerentur oblatæ et sanctificatæ : ita mundus obtulit Deo Beatam Virginem quasi primitias naturæ humanæ, per quam omnes homines totaque natura censeretur ei oblata, purificata et sanctificata. Quâ de causa pulchre Rupertus in cap. 2 Cant. Virginem ita de se loquentem inducit : « Priusquam nascerer, Deo præsens aderam : antequam fierem bene illi cognita eram... Elegit me ante mundi constitutionem,

ut essem sancta et immaculata in conspectu ejus in caritate... » Consonant veteres... et vers. 25 : « Fecit Deus B. Virginem in sui conceptu et ortu nobiliorem et pulchriorem omnibus Angelis etiam seraphinis ; imo fecit eam ideam perfectionis, virtutis et sanctitatis, ut ipsa esset exemplar decoris et gratiæ tam angelorum quam hominum, quin et creaturarum omnium... »

Ergo Cornelius qui videtur Primatûs prædicator est revera impugnator, inconciliabilia Cajetani secutus.

P. FRANCISCUS AMICUS, S. J. (T. I, disp. XV, sectio III, nº 43) (Douai, 1640). Decreta in Deo sic explicat : « Deus præviso peccato Adami et posterorum ejus, scientia tantum conditionata saltem, motus fuit ex sola sua libera voluntate, ad volendum hunc ordinem rerum quem de facto condidit, cum mutua rerum inter se dependentia ; ut si non prævidisset peccatum Adami scientia conditionata, Christum nullo modo prædestinasset : atque ideo Christi prædestinatio decreta est dependenter a peccato Adami, prævisa tantum scientia conditionata : rursus Christum Deus prædestinare decrevit excellentiori modo quo fuit possibile ; unde, quia excellentior modus fuit ut omnes homines et angeli prædestinarentur dependenter a meritis ipsius Christi prævisis scientia visionis, quia hoc magis redundabat in gloriam et dignitatem Christi, prædestinavit illum ut causam meritoriam et finalem omnium prædestinandorum... Demum omnia hæc et Christi incarnationem et nostram et angelorum justificationem prædestinationemque ultimatè ordinavit Deus ad Christi exaltationem et gloriam quam in hoc decreto principaliter intendit. » Sed nonne Primatus redundat in gloriam Christi ?

Quamvis expresse non agat de sententia Cajetana tamen hæc dicta fundari nequeunt nisi in duplici prioritate causæ finalis et causæ materialis quæ in hoc casu inter se discordantes probatæ sunt.

QUIROS (T. II in I p., disp. 22, sect. 2) exponit Deum scientia simplicis intelligentiæ infinitos mundos prævi-

disse et scientia conditionata præcognovisse quid singulæ creaturæ in variis circumstantiis constitutæ pro libera sua voluntate operaturæ essent, et etiam quid futurum esset, permisso peccato in Adam et posteris ejus, si Unigenitus ipsius in remedium illius incarnaretur. « His sub conditione prævisis, in posteriori signo rationis efficaciter decrevit hunc mundum condere sub iis circumstantiis sub quibus illum præviderat scientia conditionata. In quo signo voluit hæc omnia per modum unius adæquati et totalis objecti cum mutua dependentia et connexione inter se; Christum ut finem, causam meritoriam et exemplarem priorem Adamo cæterisque creaturis; Adamum vero cum virtuali prævisione peccati absolutè futuri priorem in genere causæ materialis, dependenter a quo prædestinatus est Christus, finis et caput ipsius cæterorumque prædestinatorum. »

Joannes Paulus Nazarius (1556-1647) (D. Thomæ in I^am^ partem, quaest. vigesima tertia, art. I, controv. 2^a^) postquam in expositione *præmittendorum* tam fusè quam obscurè disseruerit de sententia Cajetana, sic concludit :

« Hoc igitur modo comprehenditur uterque ordo naturæ et gratiæ in decreto prædestinationis Christi. Nam Christus non absolutè fuit prædestinatus, sed in reparationem humanæ naturæ. Fuit igitur huic materiæ nimirum naturæ nostræ et ejus gratiæ reparandæ adaptata Christi prædestinatio. » — Non agit de discussione textuum.

Franciscus Sylvius a Brania comitis,(1651) In Com. S. Thomæ pedetentim Doctorem Angelicum sequitur.

Sed quæst. I, art. III : « Tertium observandum est quod Christus recte dicitur esse primo omnium prædestinatus, tum quia prædestinatus est ut caput, alii autem ut membra corporis mystici quod est Ecclesia ; tum etiam quia prædestinatio Christi est causa finalis prædestinationis omnium hominum ; finis autem est prior secundum intentionem in mente artificis quam ea quæ

ordinantur ad finem ; tum denique quia prædestinatio est causa meritoria et exemplaris nostræ prædestinationis... Cum autem ex eo quod Christus est primo omnium prædestinatus infertur quod ejus prædestinatio sit prior prævisione peccati, distinguendum est consequens : quoniam si intelligatur de prioritate in genere causæ materialis, et consequens falsum est et non sequitur ex illo antecedente. Si autem intelligatur de prioritate causæ finalis, verum est consequens, sed non est contra doctrinam articuli. Quamvis enim Christus sit primo omnium prædestinatus tanquam finis aliorum prædestinatorum, in genere tamen causæ materialis et quasi objective prius fuit prævisum peccatum (in cujus remedium ipse est prædestinatus) quam ipse prædestinaretur. Peccatum enim ut abolendum et destruendum, sive peccati, quod futurum Deus præsciebat, remissio et abolitio erat materia circa quam versari deberet Christi incarnati operatio. Ad hoc enim prædestinata fuit Incarnatio ut adferretur remedium peccato humani generis...»

Reginaldus, O. P., sic in secundi principii secunda parte : « Sequitur 1276. — Finem propter quem Deus assumpsit naturam humanam esse gloriam suam ut manifestandam per reparationem generis humani.

1277. — Incarnationem in genere causæ finalis et ordine intentionis prius esse volitam a Deo quam quæcumque alia creata.

Sequitur 1288. — Quod si Incarnatio Verbi divini volita sit et decreta in satisfactionem peccatorum et reparationem generis humani, ex vi hujus decreti non fuisset Incarnatio nisi fuisset peccatum saltem originale.

1289. — De facto Incarnationem non futuram, si Adam non peccasset, ex vi præsentis decreti, quantum nobis innotescit.

1290. — Asserere quod ex vi alterius decreti in Deo latentis, Incarnatio esset futura, etiamsi Adam non peccasset, est prorsus divinari et ariolari. » (Tolosæ, 1670).

Petrus de Godoy, Episc. Oxoniensis, Ord. Præd. (Tract. de Incarnatione, disp. VIII, § I) An Verbum carnem assumeret vi præsentis decreti, Adamo non peccante ?

« ... Secunda sententia docet nullum fuisse in divina voluntate decretum efficax circa Incarnationem Verbi cum peccato Adami non connexum... Ita S. Thomas. Quæ sententia a nobis pro conclusione statuitur... »

§ X autem inter corollaria hoc statuit : « Denique infertur ordinem inter divina decreta sic esse in mente divina statuendum, ut primo in genere causæ finalis sit volitus Christus, non solum secundum substantiam Incarnationis sed etiam ut passibilis, ut redemptor et ut actualiter redimens quam ordo universi et quam permissio peccati, cum dependentia tamen ab illis et posterioritate in alio genere causæ, nempè, in genere causæ materialis.

» Secundo in vi meritorum Christi prævisi in vi decreti intentivi prædestinati sunt angeli et homines quorum prædestinatio ordine intentionis ordinem universi præcessit et ex ordine prædestinationis omne, quod est in universo, fuit volitum juxta illud Pauli : Omnia vestra sunt, vos autem Christi... »

Disp. XXIX, De gratia Christi capitali §° ultimo : An meruerit gratiam angelis ? Affirmanti sententiæ subscribit ut probabiliori (Venetiis, 1686).

Beuvelet, Prêtre du Séminaire de St-Nicolas. (Le Symbole, prosne II^e, 1^er point).

« L'Église en deux endroits notables de l'office nous donne la raison (de l'Incarnation)... par où elle nous apprend que la cause de l'Incarnation et de la venue du Fils de Dieu au monde n'est autre que le salut des hommes ».

Attamen (prosne X^e : *Dominum nostrum,*) sic procedit : « Nous sommes à Lui (Jésus-Christ), dit ce grand Saint (Bernard), *jure creationis, merito redemptionis et dono patris.* Pour ce qui est de la création, la chose est

manifeste... Mais, dira quelqu'un, le Père et le S.-Esprit ne sont-ils pas aussi bien nos Seigneurs que le Fils?... Cela est vrai; mais on dit néanmoins du Fils qu'il est notre Seigneur, par un titre spécial... Toutes les choses célestes et toutes les terrestres sont faites *in ipso*, en lui comme cause exemplaire ; *per ipsum*, par lui comme cause opérante *et in ipso* ou, suivant le texte grec, *ad ipsum*, pour lui comme pour la cause finale, tout n'étant que pour l'honorer et le servir. Vous voyez donc comme quoi nous sommes à J.-Ch. par titre de création...

» Par titre de donation... « En quoi il semble, dit un pieux docteur, que le Père se soit comporté, comme un grand et puissant Roy, qui, ayant fait bâtir à son fils un magnifique palais qu'il a richement meublé, lui a fait son train selon la dignité de sa naissance et la grandeur de l'affection paternelle qu'il lui porte : Car Dieu le Père a créé pour son Fils N.-S. J.-Ch. le ciel et la terre comme une maison royale qu'il a remplie d'anges, d'hommes et d'autres créatures, en très grand nombre et très grande variété, comme autant de serviteurs et d'officiers pour le servir et exécuter ses volontés. » Hæc omnia cohærere nequeunt nisi in sententia Cajetana.

P. Philippus a Sanctissima Trinitate, Carmel. Discalc. (Disputationes theologicæ, tom. IV. De mysterio Incarn., disputatio I, dub. VI). *Conclusio :*

« Dicendum quod si homo non peccasset non fuisset facta divina Incarnatio ; unde in executione erat futura posterior peccato hominis et ad ejus remedium. 2° Quamvis ordine intentionis decretum ipsius præcesserit prævisionem peccati : quod sic declaratur. Deus primo vidit scientia simplicis intelligentiæ et necessaria tres modos, sive ordines, quibus se ad extra communicare posset, scilicet per naturam, per gratiam, per unionem hypostaticam. — 2° Decrevit Deus in communi communicare se tribus istis modis, sive in hoc triplici ordine, sed mediis debitis et convenientibus ; ita ut nobilior sit prius in intentione, tanquam finis aliorum quum hoc

exigat ipsius natura ; cum enim a fine dependeant et regulentur omnia, quæ ad ipsum ordinantur et perfectius non dependeat ab imperfectiori, sed e contra... ita ordo hypostaticus est primus volitus... Quia vero finis non attingitur aut habetur, nisi per media, ideo intentio finis non est omnimode absoluta, sed connotat media ; sic decretum de fine, ante electionem mediorum non est omnino absolutum et efficax sed connotat ipsa media eligenda... Communicatio autem per unionem hypostaticam exigebat pro medio, non quidem disponente ad ipsam... sed solum occasionante talem communicationem, quod aptius nullum esse potuit quam reparatio generis humani... Unde prævisio talis lapsus præcedit prævisionem Incarnationis quantum ad executionem, sed ipsammet subsequitur quantum ad intentionem.

» Elegit Deus aliquos ad gloriam (dependenter ex meritis Christi, qui est primus prædestinatorum) tam in natura angelica quam humana... »

...Hæc omnia fundantur in distinctione prioritatis tum causæ finalis, tum causæ materialis.

SALMANTICENSES (1631-1700 ?). De ipsis fusiùs agendum videtur propter eos qui Salmanticensium dicta putant esse oracula.

Utrum si homo non peccasset, etc.

« Cessante motivo aut ratione propter quæ Deus de facto decrevit Incarnationem, Verbum non assumeret carnem ex vi præsentis decreti ; notum quippe est, quod ablato fine aut intentione finis cessat electio, atque executio medii electi in ordine ad illum. Sed si Adamus non peccaret cessaret motivum seu ratio, propter quæ Deus de facto decrevit Incarnationem... Motivum quod apud Scripturam et Patres proponitur est peccati remedium. »

Quod probant 1° ex Scriptura ; 2° ex Patribus *a)* affirmantibus Verbum incarnatum fuisse ad peccatores salvandos ; *b)* negantibus disertis verbis Verbum assumpturum carnem si non adesset necessitas, sive occasio redimendi homines a peccatorum miseriis.

Sed ita procedunt propugnatores Primatûs Christi « Si Scriptura et Patres assignant positive pro motivo Incarnationis remedium peccati, minime negant alia motiva. Unde præmissum argumentum est ab auctoritate negativa, quod nihil concludit ac proinde sperni solet. »

Hæc responsio, dicunt Salmanticenses, facile evertitur. Primo, quia Patres sensum Scripturæ eruentes et edocti, non solum affirmant Christum venisse in remedium peccati, sed negant venturum, hâc occasione aut necessitate deficiente, ut constat ex perspicuis eorum testimoniis... 2° De illis quæ ex sola Dei voluntate pendent, non habemus aliam notitiam, nec debemus habere aliam sententiam quam secundum Scripturam, in quâ prædicta Dei voluntas revelatur... Cum ergo Scriptura solum remedium peccati pro motivo Incarnationis assignet, ut communiter Patres illam interpretantur... liquido infertur, quod istud tantum motivum et quæ illud concernunt, sive ipsi connectuntur, possimus rationabiliter affirmare ; alia nonnisi *divinando* et absque *solido fundamento*... Cum ergo Scriptura sacra agens de motivo Incarnationis, solum proponat remedium peccati, sive hominum redemptionem, licet alia motiva positiva non excludat, tenendum præcisè est prædictum motivum tanquam certum ; alia vero nonnisi *temere*, et *absque fundamento affirmantur !...* » Quod jam non concordat cum dictis Doctoris Angelici.

Sententiam Cajetanam propugnant cum tractant de decretis in Deo. Exponunt « nullam esse repugnantiam in eo, quod Deus ita voluerit Incarnationem propter ejus intrinsecam excellentiam et tanquam omnium aliorum finem proximum *cujus gratia ;* quod nihilominus etiam voluerit eamdem Incarnationem propter remedium peccati, et salutem hominum tanquam propter finem *cui* sive effectum ; ita quod inter hæc fuerit ex parte objecti voliti mutua dependentia ; quatenus Incarnatio esset prior in ratione finis *cujus gratia* quam nostra salus, hæc vero esset prior Incarnatione in genere finis *cui* et in

ratione *causæ materialis*. Quia in communi loquendo, nulla potest assignari implicatio in mutua hujusmodi dependentia inter aliqua duo, præsertim si illam habeant ab extrinseco ex ordinatione Dei non aliter ea intendentis, ac decernentis quam connexive inter se, et cum mutua dependentia, ut cum vult gloriam per se tanquam finem meritorum, vult enim quod merita dependeant a gloria in uno genere et quod gloria dependeat a meritis in alio et quod neutrum fiat absque dependentia alterius.

» Expedit designare instantia sive signa rationis quæ ad id oportet in Deo distinguere. In quo adeo liberales aliqui existunt, ut quidam assignent quatuor... Brevius igitur nobis procedendum est, declarando simul, qualiter Incarnatio potuerit per se intendi per modum finis aliorum et simul connexive ex vi ejusdem decreti ad remedium peccati et dependenter ab illo. (Tract. XXI, disp. 2, nº 5.)

» Quod autem hæc duo sufficiant ostenditur. Nam si Deus in unico signo cognoscit omnia possibilia, et sub omnibus combinationibus in quibus aut cum quibus sunt eligibilia, pariter poterit in alio signo sequenti eligere omnia, quæ voluerit, et sub omni combinatione aut dependentia quæ sibi placuerit; sic illa demum cognoscere futura. Quemadmodum enim in unico signo et per unum actum potest omnia possibilia cognoscere sic etiam in unico signo, et per unam volitionem potest ex omnibus possibilibus prius cognitis ea decernere quæ voluerit, quin necesse sit alia signa multiplicare, nihil afferentia quam confusionem. Per quod tamen non excluditur, quod ex parte objectorum volitorum detur mutua prioritas et diversa dependentia in variis generibus causarum prout ipsis objectis convenit vel ex natura sua, vel saltem ex ordinatione divina. Sed hæc prioritas ex parte objectorum se tenens non est prioritas *a quo* seu naturæ et dependentiæ secundum quam unum nec est, nec cognoscitur sine alio, sed est et cognoscitur dependens ab alio in aliquo genere causæ... Nº 6:

Juxta hanc igitur doctrinam, Deus in primo illo signo cognovit possibile esse universum ex angelis et hominibus aliisque creaturis, quæ reipsa factæ sunt, coalescens; cognovit possibile primum hominem Adam, qui justitiam originalem eo pacto acciperet, ut peccando pro se et filiis amitteret; se et illos constituendo reos æternæ damnationis. Cognovit possibilem esse Incarnationem sive unionem Verbi divini ad naturam humanam, ex quo Christus verus Deus-homo consurgeret, qui pro suæ Personæ dignitate posset elicere actus infinite satisfactorios ac subinde satisfacere ad æqualitatem pro quibusvis offensis, et mereri quodcumque præmium vellet. Cognovit Christum ob suam infinitam excellentiam, aptissimum esse, qui constitueretur finis omnium creaturarum et propter quem omnia fierent et homines eligerentur sive prædestinarentur ad gloriam: ita ut omnes hi effectus respicerent Christum ut finem, dependerentque ab eo in genere causæ finalis. Cognovit etiam peccata quæ tam in Adamo, quam in filiis permitteret, esse materiam sufficientem in cujus remedium, et satisfactionem prædestinaretur Christus, ita ut ipsius prædestinatio alligaretur peccati remedio et hominum redemptioni; ea quippe combinatio atque connexio, dubium non est, quod cadat intra latitudinem possibilium. Cognovit denique (ut alia ad præsentem considerationem non adeo pertinentia prætermittamus) posse inter Incarnationem et peccati remedium sive hominum redemptionem, eam connexionem et mutuam dependentiam constitui, quod permissio peccati ejusque remedium ordinarentur in Christum tanquam in finem *cujus gratia* ab eoque dependerent in genere causæ finalis; e contra vero Christi Incarnatio ordinaretur in salutem hominum, tanquam finem *cui* sive effectum, respiceretque peccatum tanquam materiam destruendam per suam satisfactionem, ab illisque dependeret in genere causæ *tum materialis* tum etiam *finalis cui*. Certum quippe est has combinationes esse possibiles, objec-

tasque fuisse simplici Dei intelligentiæ, pertinuisseque ad primum signum *in quo,* ut proximè dicebamus.— Non repugnavit quod (Deus) in secundo aut sequenti signo in quo cuncta illa et cum dependentiis præcognitis decerneret efficaciter, ac prævideret futura. Dicimus enim quod Deus supposita cognitione objectorum possibilium et dependentiarum possibilium in hâc materia, decrevit mysterium Incarnationis modo descripto, ita videlicet quod Christus per modum redemptoris fuerit volitus per modum finis cujus gratia, et permissio peccati per modum materiæ circa quam, et genus humanum ut redimendum per modum finis *cui.* Unde in genere causæ finalis *cujus gratia* Christus fuit primum volitum ; et cætera se habuerunt ut quid posterius, atque ab eo dependens. Sed in aliis generibus aliter se res habuit, nam cætera fuerunt prius volita ut materia, aut finis cui. Christus vero consideratur ut quid posterius et dependens ab illis. Sed quia causa finalis est prior inter omnes, cum prima influat ; et quia intra genus causæ finalis potior est finis *cujus gratia,* quam *finis cui,* propterea dicimus Christum, qui fuit intentus ut finis *cujus gratia,* cæterorum esse primum volitum et decretum inter omnia. Hoc tamen non impedit quod volitus fuerit cum dependentia a cæteris in aliis causandi generibus et consequenter non constituit Incarnationem futuram independenter ab aliis causis seu motivis, ut puta, remedio peccati. Optime quippe cohæret, quod aliquid sit simpliciter primum volitum non aliter quam cum dependentia ab aliis ; sic enim finis præcedit media, a quibus tamen dependet ; ut compositum substantiale præcedit accidentia et tamen nequit existere sine illis.

» Si autem inquiras, quo fundamento affirmemus hæc, quæ repræsentantur possibilia fuisse de facto sic volita et disposita a Deo ? Respondeo, id satis constare ex hactenus dictis... Quod enim Christus Redemptor fuerit primum volitum et intentum a Deo per modum finis *cujus gratia* permissionis peccati, reparationis humanæ

et cæterarum rerum constat ex dictis n° 4 et 26 ; id præsertim exigente excellentissima ipsius dignitate. Quod vero Christus fuerit volitus et intentus ad remedium peccati et dependenter ab hac materia et fine *cui* constat ex Scriptura et Patribus. — Hæc vero duo non aliter, nec aptius conciliantur inter se quam modo præmisso, ut liquet ex refutatione aliarum sententiarum. Isto autem modo cuncta, quæ hìc oportet salvari, optime cohærent. » (N° 30.)

N° 31 dicunt Salmanticenses quot sunt prioritates admittendæ in decreto divino : « Quod licet in genere causæ finalis Christus fuerit prius volitus et prævisus quam alia et inter hæc illo fuerint priora in prædicto genere, quæ perfectiora sunt magisque ad Deum et Christum accedunt, ut puta, glorificatio prædestinatorum, nihilominus in genere causæ materialis et in ordine ad executionem prius fuit volita productio hominum, deinde elevatio ad statum gratiæ, ulterius permissio peccati, postea remedium per Christum Redemptorem et electio efficax prædestinatorum et eorum glorificatio. In quo sensu admittimus sententiam Cajetani... In prædicto genere causæ materialis et in ordine ad executionem non solum peccatum Adami sed etiam peccatum angelorum fuit permissum et prævisum ante Christum, sive quod est idem, independenter in prædicto genere ab illo ; quia peccatum hominum fuit prævisum futurum ex turbatione diaboli ; unde in eo genere, in quo peccatum hominum supponitur ad Christum futurum, etiam præsupponitur peccatum angelorum etc. ». — Ergo juxta doctos Theologos hæ sunt prioritates quæ implicite saltem admittuntur in decreto divino. Sed hæ prioritates sunt idem ac signa seu instantia in decreto divino.

Hìc multa essent notanda, de quibusdam tantum agemus : 1° Salmanticensium sententia fundatur in distinctione Cajetana ; ergo eadem jurè utrique sententiæ objicienda sunt ;

2° Signa numerosiora quam alii theologi in decretis di-

vinis ordinandis assignant, dum se processuros brevius dictitent ;

3° Ex ipsis elevatio ad statum gratiæ prior fuit electione efficaci prædestinatorum, seu prædestinatione. Quod est contra sententiam Doctoris Angelici dicentis omnes gratias esse prædestinationis effectus ;

4° Salmanticenses dicunt Christum « non fuisse ordinatum ad nostram salutem sicut ad finem *cujus gratia* et magis principalem sed solum ut ad finem *cui* et utilitatis in quo nulla est indecentia aut inordinatio. »

Quod est contra S. Thomam sic disserentem :

« Aliquid potest esse propter aliud dupliciter : aut quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium et principalem, et sic inconveniens est dicere quod aliquid sit propter vilius se, ut luna, et stellæ propter noctuas et vespertiliones ; cum finis sit potior his, quæ sunt ad finem. — Alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso provenit aliqua utilitas, eo modo, quo posset dici regem esse propter rusticum, ex cujus regimine provenit ei pax. »

Ergo ex Doctore Angelico si Rex teneretur mori pro rustico, ordinaretur ad ipsum sicut ad finem proprium, quod est contra assertum Salmanticensium.

5° Contra Angelicum dicunt quod angeli non acceperunt gratiam a Christo. Nam « peccatum angelorum fuit prævisum independenter a Christo ; » ergo et etiam bona meritoria. Quod expresse affirmant Salmanticenses (Tract. XXI, disp. XVI.) — N° 75 fusè probant angelos non accepisse gratiam a Christo ; n° 76 dicunt « Christum influxisse in ipsam gratiam substantialem et primam justificationem angelorum,non quidem efficienter physice, vel moraliter meritorie aut redemptive sed per modum finis et objecti... Nam Christus intentus est a Deo ut omnium rerum finis, ad quem Deus ordinavit omnia quæ facere decrevit... Unde quidquid gratiæ et perfectionis habuerunt habentque angeli, omnia participant ex influxu Christi in genere causæ finalis... »

Quid sit autem influxus Christi in genere causæ finalis exponunt nº 18 : « Licet angeli respexerint Christum tanquam finem... nihilominus non respiciebant Christum pro eis merentem, aut eorum Redemptorem, nec illa merita pro ipsis oblata, sed pro hominibus in quorum remedium sicut in finem *cui*, hæc omnia ordinaverat Deus. Quare non dicuntur justificati et salvati per merita Christi. »

Sunt etiam expressè contra S. Thomam quando agitur de Adamo innocente an habuerit Christum ut caput. Tract. XXI, disp. XVI, dub. 4, § 3, nº 61 : « Addi autem potest, quod cum aliqui Patres significant homines in statu innocentiæ existentes pertinuisse ad nostram Ecclesiam non loquantur de membris in actu sed in potentia. Potuerunt enim ad hanc Ecclesiam venire et Christo capiti copulari sicut reipsa contigit. »

Sed Adam tantum membrum Christi seu Ecclesiæ *in potentia* contradicit assertum S. Thomæ qui ita (3 p., q. 8, art. 3) : « 4º (Christus) est caput eorum qui sibi uniuntur solum in potentia, nondum reducta in actum (qui non habent charitatem nec fidem), quæ tamen reducenda est ad actum. » Sed Adam innocens habebat charitatem. Hi ergo docti Theologi qui se veros Thomistas et fideles Doctoris Angelici expositores prædicant, multa contra expressam sententiam divi Thomæ in hac de Primatûs Christi quæstione adducunt.

CAPUT V

De Sententia Suareziana

SUAREZIUS, DOCTOR EGREGIUS (1548-1617), impugnavit Cajetanam sententiam (1). Nam (in 3am Divi Thomæ q. I, disp. V, sect. II) : « Nec vero satisfacit quod prima sententia supra indicabat, verum quidem esse omnes effectus gratiæ qui fiunt in nobis referri in Christum tanquam in finem ; hoc tamen non esse ex primaria intentione Dei, atque adeo neque ex prima ipsa electione prædestinatorum, sed quasi ex secundaria et superaddita relatione post oblatam occasionem peccati : hoc enim in primis non est consentaneum perfectissimo modo et rationi divinæ providentiæ ; deinde non consonat verbis Apost : Prædestinavit nos per J.-Ch. in ipsum ; ubi duæ particulæ *per* et *in* diversas habitudines causæ indicant, scilicet meritoriam et finalem.

» Sed respondent electionem et prædestinationem hominum factam esse post prævisum originale peccatum et ideo potuisse Christum esse exemplar et finem ejus quamvis non fuerit in illo primo signo prædestinatus.

» Sed hoc negatur...

» Tertio quia saltem de Adam, non potest verisimiliter negari quin per se fuerit electus ante originale peccatum. Et secundum Thomam, Adam etiam in statu innocentiæ habuit gratiam per Christum. »

1. Si credere dignum est citationibus, non solum variantes inveniuntur in diversis Suarezii operum editionibus, sed etiam sententiæ discrepantes et paragraphi corrupti. — Textus qui transcribitur invenitur editione 1608 Lugduni.

Suam autem sententiam, prioribus temporibus inauditam, sic exponit (Ibid., sectio 1) : De primaria causa propter quam Incarnatio prædestinata et facta est, sine qua non fieret.

Priusquam « de causa seu fine præcipuo propter quem hoc mysterium factum est » disserat, in sectione I explicat quomodo inter actus divinæ scientiæ et voluntatis ordo prioris et posterioris secundum rationem intelligendus sit et impugnat triplicem ordinem Cajetani ; — concludit omnem intentionem finis supponere aliquam scientiam mediorum sibi proportianatam.

Sectio II. *Utrum voluntas Incarnationis antecesserit in Deo præscientiam originalis peccati.*

Negantem et affirmantem sententiam recitat et duasquas vocat medias exponit et addit : « In hâc quæstione unum est, quod ad rem maximè pertinere videtur, scilicet an hoc mysterium fuerit intentum a Deo in prima voluntate, qua voluit universum perfectum condere, sicut creatio angelorum et hominum, et justificatio etc. ; an vero solum quasi per accidens post permissum et prævisum peccatum ». Ita concludit :

« Dico ergo 1°, Deum primaria intentione et prima voluntate qua voluit se creaturis communicare, voluisse mysterium Incarnationis et Christum Dominum Deum simul et hominem, ut esset caput et finis omnium divinorum operum sub ipso Deo. » — Et citat 1° propugnatores hujus sententiæ ; 2° textus Scripturæ : *a)* Prov., VIII, 22 ; *b)* Epistolar. S. Pauli ad Coloss., ad Ephes., etc.

» Tertio probari potest hæc conclusio ex ipsis effectibus Dei, considerato in eis optimo et sapientissimo providentiæ modo. Supponimus enim ex supra dictis, ante omnem liberam voluntatem esse in Deo scientiam per quam cognoscit, quid unaquæque causa tam necessaria quam libera operatura est, si in hoc vel in illo statu cum hâc vel cum illa conditione creetur. Unde fit ante voluntatem Incarnationis vel creationis vel permissionis peccati, præscivisse Deum, si creasset mundum, angelos

et homines cum tali gratia, etc., etc., permittere peccatum, futurum fuisse ut totum genus humanum in primo homine laberetur, sibique offerendam esse occasionem ut optimo modo sapientiam, bonitatem, misericordiam et justitiam denique patefaceret. Jam ergo constituta in Deo scientia hâc optimè intelligitur potuisse illum, primum omnium intendere non solum universi creationem secundum esse naturæ, gratiæ et gloriæ in hominibus et angelis ; verum etiam secundum esse unionis hypostaticæ in Christi humanitate, quanquam reipsa esset executurus hoc mysterium post oblatam occasionem peccati, quod totum est evidens supposita dicta præscientia, quoniam ordo intentionis antecedit ordinem executionis. — Ergo ita intelligendum est Deum voluisse hoc mysterium, primo quia hoc modo conciliantur optime omnes Scripturæ. Quædam enim significant Christum esse primo dilectum et amatum tanquam finem omnium operum Dei. Aliæ vero indicant Verbum assumpsisse carnem oblata occasione peccati ; hæc autem optime consonant si priores ordinem intentionis, posteriores vero executionis explicuisse intelligantur, id est, si intelligamus in prioribus locis præcisè declarari amorem Dei ad Christum et intentionem ejus per modum finis aliarum rerum, in aliis vero locis explicari adæquatum decretum divinæ voluntatis, etiam ut extenditur ad modum admirabilem exequendi tale mysterium. — Secundo hoc ita explicatur ; nam qui prudentissime operatur, non solum ex præscientia, sed etiam ex prævia intentione finis operatur; sed videmus in re ipsa, oblata occasione peccati, dedisse Christum in remedium ejus ; ergo intelligendum est Deum non voluisse hoc mysterium solum, quia occasio peccati oblata fuit et præcognita ; sed potius e contrario; ideo permisisse peccatum, ut ex illo occasionem sumeret optimo modo se communicandi hominibus ; ergo jam prædefinierat et voluerat hoc mysterium et ex intentione illius voluit permittere peccatum, etc.

» Ex hoc discursu sumitur nova confirmatio quæ

potest esse quarta probatio conclusionis, quia Christus Dominus causa exemplaris et finalis est prædestinationis et electionis aliorum ; sed electio hominum et prædestinatio intelligitur antecedere permissionem peccati et per se pertinere ad eam voluntatem, quâ Deus voluit seipsum hominibus communicare ; ergo multo magis electio et prædestinatio Christi ad eamdem voluntatem pertinet et in ea primum locum obtinet tanquam causa cæterorum. — Majorem quoad utramque partem docet D. Thomas. » — Et probat quoad causam exemplarem...

« Altera vero pars de causa finali, addit Dr Egregius, facile ex dictis constat ; quidquid enim gratiæ et gloriæ hominibus collatum est, id totum in Christi gloriam et honorem refertur ; sed quod est causa omnium effectuum prædestinationis est in eo genere causa prædestinationis et electionis.

» — *Tertia conclusio.* Licet Christus fuerit dilectus seu prædestinatus in primo signo et primo decreto liberæ voluntatis divinæ, non tamen solus, sed simul cum ipso fuerunt præordinatæ aliæ creaturæ... Dupliciter enim concipere possumus Deum voluisse Christum Deum hominem in illo primo signo, quo se voluit ad extra communicare. Primo : ut nullum aliud objectun creatum in illo decreto fuerit comprehensum... Secundo, ut in illo primo decreto intelligantur etiam alia comprehendi cum quibus habet Christus aliquam connexionem, non tam ex natura rei quam ex intentione Dei, ita omnia disponentis, ut per modum integri objecti voluerit hoc totum universum... ; et similiter voluerit simul totum beatitudinis et prædestinatorum regnum cujus caput est Christus. Dicimus ergo hanc Christi prædestinationem non priori sed hoc posteriori modo esse intelligendam. »

Et objectioni : Quomodo ergo Christus dici potest primus prædestinatus seu præordinatus ante omnem creaturam ?... respondet : « Christus appellatur in eo ordine primus negative tantum, quia nullus ante ipsum, non tamen positive, quia cum eo fuerunt simul alii

prædestinati... Addo deinde, Christum fuisse primo prædestinatum prioritate finis, quamvis non sine connexione cum rebus aliis, unde cum dicimus simul cum Christo fuisse res alias in eo decreto comprehensas, illa particula *simul* excludit prioritatem in subsistendi consequentia et indicat connexionem aliarum rerum cum Christo non vero excludit prioritatem in ratione finis... Neque illa duo repugnant, scilicet, Christum esse primum in genere finis et habere connexionem cum aliis ; nam, ut supra dixi, prioritas rationis in genere causæ finalis, non semper infert prioritatem in subsistendi consequentia. Atque hinc confirmari potest assertio posita, quia alias sequeretur, vi præsentis decreti, Verbum Dei fuisse incarnandum etiamsi universum creandum non esset, neque homines neque angeli prædestinandi aut beatificandi : consequens autem est per se incredibilis et nullum habet fundamentum...

Sectio IV[a] . *Quæ fuerit I[a] ratio seu motivum Incarnationis faciendæ ?*

Sententia Thomistica et Scotistica exposita, addit : « Tertia sententia media esse potest quæ utramque positam quodammodo amplectatur et primam rationem volendi hoc mysterium esse dicat tam excellentiam ipsius mysterii quam nostram redemptionem, ita ut in primo signo, quo Deus voluit hoc mysterium ex utraque ratione, tanquam ex quodam completo motivo divina voluntas fuerit inclinata. Quam sententiam videtur docere Cyrill. Alex., 5 Thesaur., cap. 8, quem locum infra.

Sectio V[a] . *Utrum ex primaria Christi prædestinatione futura esset Verbi Incarnatio etiamsi homo non peccasset.*

1[a] Sententia negat. Hanc tenet D. Thomas et discipuli ejus... Fundantur in hoc quod Incarnatio prædefinita fuit post prævisum originale peccatum et solum ex occasione ejus.

2[a] Sententia convenit in conclusione cum præcedenti propter fundamenta adducta ; differt tamen in principali

fundamento sumpto ex prædestinatione Christi. Affirmat enim nunc de facto Christum fuisse prædestinatum ante permissionem et prævisionem peccati et nihilominus ait, Christum non venturum ex vi illius decreti, homine non peccante, quia posita hâc hypothesi vel conditione necessario tollitur illud decretum, quia licet sit prius, includit tamen aliquid, ratione cujus habet intrinsecam connexionem cum posteriori, id est, cum permissione et prævisione peccati.

» Hæc sententia supponit Christum ante permissionem et prævisionem peccati fuisse prædestinatum non solum quod substantiam Incarnationis sed etiam quoad modum carnis passibilis et quoad munus redemptionis, quod superius a nobis improbatum fuit. »

(Nam sect. III sic procedit contra hanc sententiam : « Dico primo Deum non voluisse prius Christum venire passibilem et mortalem quam voluerit permittere peccatum... De statu passibili omnes theologi docent Incarnationem non fuisse prædefinitam antequam originale peccatum prævideretur. — 2° Hoc est magis consentaneum Scripturis quæ docent Deum non fecisse mortem. — 3° Cum Passio sit medium ad redemptionem peccati, necessario efficitur Deum voluisse prius permittere peccatum quam Christi mortem. — 4° Deus non prædefinivit mortem Adæ donec prævidit ejus peccatum. A fortiori de Christo.»)

« 3ª Sententia quæ absolute affirmat etiam si homo non peccasset, Deum futurum fuisse hominem ex vi illius voluntatis et modi, quo nunc de facto voluit Incarnationem, quia illa voluntas fuit secundum se anterior permissione et præscientia peccati. »

Quam sententiam, sed modificatam, amplectitur Dr Egregius, qui duas ponit conclusiones : *1ª Concl. :* « Etiamsi homo, suæ libertati relictus, non esset peccaturus, nihilominus propositum Dei de Incarnatione facienda consistere posset et habere effectum ; et hoc modo, vera est sententia affirmans, etiamsi homo non

peccasset, Deum fore incarnandum. Hæc conclusio duobus modis defendi ac suaderi potest : 1° Prosequendo sententiam, quam hactenùs docuimus scilicet, decretum de Incarnatione faciendâ habuisse aliud motivum prius redemptione ; 2° etiam juxta aliam sententiam quæ docet Christum in primo signo rationis prædestinatum fuisse ut Redemptorem et mortalem ; et consequenter etiam primum illud decretum ortum fuisse ex motivo redemptionis.

» *Prior via est nobis propria et facillima*... Posterior modus persuadendi hanc sententiam sumi potest ex dictis sect. præcedenti.... estque valde probabilis quamvis nobis non sit simpliciter necessarius. Itaque licet concederemus, Christum in eo primo signo rationis in quo fuit prædestinatus Deus homo, fuisse prædestinatum Redemptorem in carne passibili, non inde necessario sequitur, ex vi talis prædestinationis, Verbum non fuisse futurum hominem etiamsi peccatum Adæ non fuisset futurum, seu (quod idem est) non sequitur, non potuisse decretum illud manere firmum ac stabile, quoad Incarnationem futuram, etiamsi Deus præscivisset Adamum, conditum in tali statu, et talibus gratiæ auxiliis, talique libertate præditum, non fuisse peccaturum ; sicut enim hoc fuit simpliciter possibile, ita etiam hujusmodi scientia absolute potuit esse in Deo et juxta illam intelligendus est sensus præsentis quæstionis hypotheticæ...

» Hæc ergo sententia negat remedium peccati fuisse motivum quod ordine intentionis primum movit et inclinavit divinam voluntatem ad volendam Incarnationem. Si vero per motivum intelligatur id, quod revera allicit et movet voluntatem, sic concedit remedium peccati fuisse vere motivum propter quod Deus voluit Incarnationem ; hoc autem sensu non est universaliter verum, ablato motivo, etiam de se sufficiente, auferri voluntatis decretum...

» 2ª *Conclusio :* Supposita præscientia conditionali, quam Deus habuit de lapsu hominis futuro, si illum permitteret, verisimile est, non potuisse habere Deum illud

decretum Incarnationis, prout nunc illud habuit quin consequenter habuerit voluntatem permittendi peccatum, ut illâ viâ exequeretur mysterium perfectissimo modo suæ intentioni accommodato. Hoc satis constat ex dictis. Explicatum est, quomodo, posita illa scientia, sit necessaria connexio inter illud decretum et peccati permissionem.

» Dices, etiam in illo decreto et intentione potest distingui substantia a modo, et intelligitur habere connexionem cum permissione quoad modum, non quoad substantiam suam. Ergo adhuc cessante permissione, posset manere decretum quoad substantiam. Respondetur, nos non considerare, *quid fieri posset*, sed quid factum fuerit et dicimus decretum quod nunc Deus habuit de Incarnatione facienda, quod intelligitur per modum unius simplicis intentionis, non potuisse stare sine permissione peccati, supposita dicta præscientia conditionata. Quando enim intentio non solum fertur in finem, sed in modum ejus, cessante medio necessario ad modum, cessat talis intentio, neque ex vi illius intenditur finis secundum se, nisi alia nova intentio poni intelligatur. Ut si quis intendat ire Romam commodè et sine magno labore, si non possit illo modo ire, ex vi illius intentionis cessabit omnino ab itinere, nisi aliud denuo statuat. »

Sed salva Doctoris reverentia, ait Risi, nemo non videt quod in hac dissensione Thomistas inter et Scotistas agatur de ipsa Incarnatione et non de modo ipsius. Imo hæc sententia media quam profert Suarezius non videtur posse defendi. Etenim ut ipsius comparatione utar :

Quæritur utrum Deus qui intendebat incarnari commode et sine magno labore, Adamo non peccante, cessasset ab hoc opere perficiendo, Adamo peccante, nisi aliud denuo statuisset ;

Si non cessasset, cum Scotistis est Doctor ;

Si cessasset, non videtur quomodo stare possunt conclusiones Doctoris sequentes :

1° « Prima ratio quæ divinam voluntatem inclinavit ad

olendam Incarnationem fuit excellentia ipsius mysterii t alia bona quæ ipsum per se consequuntur absque neessitate vel remedio peccati... Nam imprimè illo signo uo voluit Deus Incarnationem non voluit illam ut remeium contra peccatum... » (Sect. IV, disp. V).

» 2° Quamvis Christus in primo signo rationis fueit prædestinatus Redemptor in carne passibili, non nde necessario sequitur ex vi talis prædestinationis erbum non fuisse futurum hominem etiamsi peccatum dæ non fuisset futurum. »

3° De prædestinatione angelorum et hominum sic : « Neque angeli prius electi sunt quam homines ; neque nter homines quidam prius quam alii, ergo omnes simul n Christo quem suppono fuisse primum electum et prædestinatum a Deo tanquam caput omnium; propter ujus gloriam omnes alii eliguntur » (Lib. I de prædesin. c. 12.).

Et disput. XLII « de merito Christi in angelos » ffirmat « Christum Dominum meruisse angelis gratiam et gloriam quæ illis data fuerat propter merita Christi prævisa... Quanquam ut verum fatear neque ex Scripturis Sacris, neque ex SS. Patribus possit hæc sententia efficaciter convinci, possunt tamen ex illis adduci non contemnendæ conjecturæ, quæ conjunctæ cum iis, quæ de Christi prædestinatione dicta sunt, eam valde probabilem ostendunt. »

4° Libro VII, de Angelis, cap. XIII, n° 9, eamdem affert sententiam, iisdem fere verbis ac disp. V, sect. IV Incarnationis ut supra : « Nunquam illi sententiæ assentire potui et ideo absolutè censeo quod licet non fuisset Adam peccaturus, unio Verbi in humana natura fieret, licet Redemptoris officium non assumeret ».

Hæc videntur contraria affirmationi Doctoris Egregii *actuale decretum Incarnationis non potuisse stare sine permissione peccati.*

At si hæc ita essent in Suarezium facit quod dicit Salmeron : « In Christo prædestinati sunt non modo homines

et etiam angeli. Si ergo decretum actuale Incarnationis implicat prævisionem peccati ita ut sine peccato non fuisset, sequitur angelos ad gloriam non fuisse ordinatos; imo etiamsi non peccarent potuissent non assequi gloriam. Nam contingens erat Adamum non peccare ; quo posito, Christus non incarnaretur. Angeli ergo, etsi cooperarentur Dei gratiæ, non consequerentur vitam æternam, quia hanc consecuturi erant ratione Christi. Qui divinæ Providentiæ ordo fuisset dicere angelis non consequendam vitam æternam nisi creatura ignobilior peccaverit ? »

Concedendum est ergo quod Dr Egregius validiùs propugnet Primatum Christi dum exponit et amplectitur sententiam affirmantem, vel impugnat negantem. Sed inconciliabilia voluit conciliare in sua media sententia quam conflavit ex affirmatione et negatione ejusdem rei sub eodem respectu.

Si attentius ipsius sententiæ inhæreamus, tria animadvertenda veniunt quæ in oculos occurrunt :

1° Ex excellentiâ mysterii et redemptione peccati effecit quodam motivum completum et primarium Incarnationis.

2° Fundamentum hujus sententiæ invenit in eo quod Christus non sit revera prior decretus hominibus sed cum eis uno et eodem decreto, ut eorum caput.

3° Hujus sententiæ argumentum verba præbent S. Cyrilli Alex. Ergo de his dicendum breviter :

a) *De motivo completo.*

Quamvis Dr Egregius dictitet hoc motivum ex duplici ratione constans esse unicum, alii theologi ibi duo reperiunt motiva, et jure siquidem hujus sententiæ inventor ipse hoc fateatur dicendo ut supra « decretum quod nunc Deus habuit de Incarnatione faciendâ non potuit stare sine permissione peccati ». — Ergo peccatum remittendum est motivum Incarnationis ; aliud motivum sæpe a Doctore prædicatum est excellentia mysterii.— Jurè ergo theologi impugnant duo motiva, duas causas finales Incarnationis.

Quos duos fines totales sic impugnat Vasquez :

In tertiam partem D[i] Thomæ, t. I[us], quæst. I, disp. X, art. III, cap. VII, n° 77 : « His positis ostendamus, non posse ullam voluntatem aliquid efficere propter duos fines totales, tum quidem voluntatem humanam, tum etiam divinam : de humana vero voluntate id probatur, quia manifestum est et adversarii fatentur, voluntatem humanam non posse ferri in plures fines totales unico actu secundum rem, sed pluribus; alioqui, si per objecta diversa et totalia, nec conjuncta per modum unius, non distinguerentur actus voluntatis, posset creata voluntas, plura simul diversa eodem actu deligere, quod nemo concedit. Hoc autem usque adeo verum est, ut eadem res sub diversis rationibus, quas vocant motivas diligi non possit eodem actu, sed diversis. Ex hoc autem principio quod adversarii concedunt, manifeste sequitur, non posse voluntatem humanam facere eamdem rem ob diversos fines totales; nam si eamdem rem hoc modo faceret, sequeretur effectum ipsum in re ita pendere a duobus effectibus voluntatis simul, ut ab unoquoque illorum etiam, tanquam a causa totali pendeat; sicut autem impossibile est, eumdem effectum secundum rem a duabus simul causis naturaliter pendere, ita videtur impossibile, eumdem effectum a duobus affectibus simul ita pendere, ut ab unoquoque, tanquam a totali causâ pendeat, eadem enim videtur esse ratio, siquidem in natura nihil potest esse frustra. Porro autem eumdem effectum non posse naturaliter pendere simul a duobus causis efficientibus adæquatis, nemo inficiatur : voluntatis vero affectus se habet instar causæ efficientis respectu effectûs. Adde quod sicut duæ causæ effectrices non possunt esse totales ejusdem effectûs simul ipsum producendo, neque duæ formæ eodem modo, neque duo fines, cumque finis operetur medio sui desiderio et amore, non poterit idem effectus procedere a duobus finibus totalibus per duos amores. »

b) *De fundamento sententiæ.* Ex Doctore Egregio Redemptio peccati et excellentia mysterii ad unicum moti-

vum Incarnationis constituendum concurrere debent, quia Christus decretus est caput hominum, et ergo unum tantum potest esse decretum de Christo et de hominibus. Ut præteream quod dicit Doctor de Christo ad quem referuntur homines ut ad finem et quod includit aliud decretum, ipsius positio non videtur concordare posse cum Pii IX de Immaculata Conceptione Bulla dogmatica *Ineffabilis* ita dicentis : « Quæ (primordia) Mariæ uno eodemque decreto cum divinæ Sapientiæ incarnatione fuerunt præstituta.» Ex quo sequitur quod hic notetur exceptio quæ vertat in honorem Mariæ Immaculatæ. Dicendum videtur ergo aliud fuisse decretum de hominibus, quod jam insinuat Psalmista in hisce verbis : « Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem ».

Imo hæc positio Suareziana Apostoli verbis videtur contraria sic ad Ephes. I, 3-5 scribentis : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem... Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum... » Ergo si, docente Apostolo, elegit et benedixit nos Deus in Christo ; si per Christum et in Christum prædestinavit nos Deus jamjam admittendum est aliud decretum de Christo, aliud de hominibus.

Ergo positio Suarezii non videtur tenenda.

3° In hisce verbis S. Cyrilli Alex. confirmationem suæ sententiæ invenit Suarezius : « *Præfundatur ante nos Christus et in ipso nos omnes ædificamur, idque ante initium mundi in præscientia Dei, ut cum ordine divino benedictio maledictionem antecesserit et damnationem in mortem vitæ pollicitatio, servitutem diaboli adoptionis libertas; et possit natura humana superatis malis, quæ interim acciderunt, in pristinam, per gratiam Christi (qui fundavit eam in bonis) dignitatem recurrere.* » Quod deinde exemplo explicat de architecto, qui ædificaturus ædes regias, dubitans ne quid procedente tempore structura

patiatur, firmissimum jacit fundamentum, ut si quid superiora patiantur, possint rursus reparari fundamento servato. « *Eodem modo*, inquit, *Creator noster Christum nostræ salutis fundamentum, etiam ante initium mundi fundavit, ut si prævaricatione caderemus, in ipso rursus renovaremur* ». Lib. V Thes., cap. 8 in fine). Quibus verbis docere videtur Cyrillus Christum a principio fuisse prædestinatum in eum finem, ut si humana natura caderet per eum repararetur et hoc sensu dicit paulo superius, Deum præscivisse futurum peccatum et ideo totam humanam naturam in Christo fundasse ut per eum reparari posset » (sectio III).

Cyrillus Alex. exponit quod per Christum omnis fructificatio spiritualis tum in sanctis angelis tum in nobis insita sit ; quod angeli, archangeli ipsi denique Cherubim non aliter quam per Christum sancti sint ; quod per Mariam tentator diabolus e cælo deciderit. Patet ergo quod non potuerit « Cyrillus docere Christum a principio fuisse prædestinatum in eum finem ut si humana natura caderet per eum repararetur. » Tunc enim reparatio fuisset finis seu motivum Incarnationis et cessante peccato, non fuisset Incarnatio ; quod est contra sententiam Cyrilli et quod nullo modo videtur eruendum ex verbis supra citatis. — Ut enim fundamentum semper est necessarium vel stet structura vel quid patiatur, procedente tempore, ita Christus lapis angularis et fundamentum a Patre decretus, vel fideles permaneant omnes superædificati vel ruinosè corruant, præfundatur ante omnes creaturas.

Nullatenus ergo Doctor Egregius in hisce verbis Cyrilli confirmationem suæ sententiæ invenire potest ; non potest dici quod Christus et omnes creaturæ uno eodemque decreto voliti fuerint.

Denique ipsius motivum completum revera duo motiva constituit : Redemptionem et gratificationem angelorum et Adami innocentis...

Si quæratur autem an sint sectatores Suarezii, respon-

det Billuart notando quod « quidam alii » cum Suarezio sentiant (De Inc. in S. Th. P. 3, q. 1, a. 3, dist. 3).

Salmanticenses autem, exposita sententia Suareziana dicunt : « Ita non pauci juniores ».

Nullum vere Suarezianum inveni et ideo recitabo tantum quosdam auctores qui cum Suarezio quamdam affinitatem præ se ferunt.

Petrus de Lorca, O. Cist. (Compluti 1616) *videtur* inter propugnatores Primatûs adnumerandus. Nam (in Tert. P. D. Thomæ, q. I, art. III, disp. X, memb. II) exponit Christum prædestinatum fuisse ante prævisionem peccati originalis et addit quod Incarnatio fuerit volita ut tantum exequenda supposito peccato Adæ; ideo si primus parens non peccasset, Christus Dominus non venisset; quatenus scilicet hæc prima intentio Dei, ut perfectissime cognoscentis, connotabat media illius exequendæ, et ita si medium istud, i. e. reparatio hominis lapsi in peccatum, defecisset, similiter etiam et hæc prima intentio incarnandi Verbum divinum, cum talis intentio sese haberet ac si nullum daretur medium illius exequendæ. Unde quemadmodum deficiente omni medio, talis intentio debet cessare, et alia ei succedere ita et in præsenti casu, si lapsus primi parentis et ejus reparatio, quæ sunt medium connotatum in particulari per primam intentionem Verbi incarnandi non fuissent : ipsa etiam divini Verbi incarnatio non fuisset intenta, sed alia intentio ex parte Dei successisset ei.

Dicit Christum primum prædestinatum :

« At vero Christum fuisse primum prædestinatorum docet S. Thomas infr. quæst. 24, art. 3 et 4 ubi asserit Christum fuisse causam finalem et exemplarem prædestinationis nostræ, ex quo sequitur fuisse primum in intentione Dei prædestinantis... Quæ etiam est communis doctrina, quam nullus ex auctoribus contrariæ sententiæ negare audet. — Favet etiam S. Thomas eidem doctrinæ quatenus infr. quæst. 8, art. 3, asserit Christum

Dominum fuisse caput angelorum etiam secundum influxum ; loquitur autem de influxu gratiæ et gloriæ. »

Et sic interpretatur Prov., VIII : *Dominus possedit :* « Hoc intelligendum est de Sapientia incarnata, ut incarnata est ; probat communis Patrum expositio. Nam Clemens Romanus, lib. I Constitutionum Apostolic. 1[a]., 19... Epiphanius, Hæresi 69, qui fatetur communem esse totius Ecclesiæ expositionem... Nam omnes Patres constanter (Arianis) responderunt hoc testimonium intelligendum esse de Christo incarnato, quorum auctoritas tam certam facit hanc expositionem ut nulla ratione rejici possit, quamvis simul et aliæ admittantur. »

Quod dicit Lorca affine videtur sententiæ Suarezianæ, si excipias quod apud Suarezium peccatum dicat connexionem ad Incarnationem, ita ut deficiente peccato Incarnatio fuisset, dum apud Lorcam reparatio sit medium connotatum, quo cessante, non fuisset Incarnatio.

LUDOVICUS MOLINA S. J. (1635-1700) cui non arrisit nec Cajetana nec Suareziana sententia, finxit proprium systema quod modo procedendi in Suarezianam recidit dum conclusione cum Cajetana confunditur. Nam (in I[am] D. Thomæ, q. XXIII, art. IV et V : *De causa prædestinationis*, membrum VII) impugnat sententiam Scoti dicentis Christum prædestinationemque ipsius esse finem prædestinationis totius universi et sic suam explicat sententiam de decreto divino :

« Quare contemplari debemus Deum antequam quicquam libere voluerit intuentem infinitos ordines rerum quos creare poterat et quid in unoquoque etiam per liberum arbitrium creatum esset futurum si talem ordinem cum his vel illis circumstantiis creare vellet atque adeo intuentem quid futurum esset per arbitrium angelorum, primorumque parentum ex hypothesi quod utrosque in gratia, primosque parentes cum justitia originali, ut vitam æternam propriis meritis obtinerent, in eo ordine rerum crearet, quem reipsa creare constituit ; intuentem

præterea non solum quam habitudinem hic ordo rerum, quod ad hunc mundum universum, hominesque et angelos prædicto modo creatos, habebat, ut in eis bonitas, liberalitas, sapientia, potentia, cæteræque divinæ naturæ perfectiones relucerent, sed etiam quam habitudinem et congruentiam habebat Christus verus Deus et homo, tum ut hominum et angelorum esset caput, atque adeo ut præstantioribus bonis, quam cæteri omnes, donaretur, in ejusque honorem et gloriam cætera omnia cederent, tum etiam ut redimeret genus humanum, cujus ruinam ex eadem hypothesi futuram intuebatur et ut in Christo et per Christum quotquot homines forent salvandi, prædestinarentur, tum denique, ut in generis humani redemptione et in cæteris, quæ per Christum erant futura, omnia ipsa divina attributa multo magis quam in cæteris omnibus rebus relucerent. Hæc, inquam, omnia et infinita alia intuentem contemplari debemus Deum, antequam quicquam libere constitueret. Cum vero habitudines finium, rerumque omnium inter se plenissime cognosceret integrumque illi esset non velle permittere ruinam generis humani, nisi per Christum felicissime vellet ei subvenire, neque item velle Incarnationem nisi tanquam partem sui finis integri adjunctam haberet reparationem generis humani... Denique cum unico simplicissimo actu suæ voluntatis, præviaque plenissima deliberatione seu cognitione circa res omnes voluerit ex æternitate quidquid voluit sane exterminanda omnino videntur instantia Scoti et aliorum...

» ...Ex his omnibus patet meditandum esse Deum ante omnem actum liberum suæ voluntatis, ea plenissima deliberatione, de qua dictum est, prævidentem, ex hypothesi, quod secluso Christo eos angelos et homines, ut in beatitudinem pro ipsorum libertate pervenirent in eo auxiliorum ac rerum ordine collocare vellet, in quo eos creavit, futuram ruinam quorumdam angelorum ac totius generis humani, prævidentem item ex sua infinita misericordia et bonitate posse donare Christum cui, ut homini,

gratiam unionis longeque majora bona quam, cæteris rebus simul sumptis, conferret, quem hominum atque angelorum caput, rerumque omnium Dominum constitueret, in quo totum universum nobilitaretur, per quem genus humanum redimeretur, atque a quo dona omnia quibus genus humanum salutem consequeretur, derivarentur etc. Tunc vero unico simplicissimo actu suæ voluntatis, ita elegisse simul totum eum ordinem, qui speciales naturæ, gratiæ et unionis hypostaticæ ordines complectitur et a constitutione mundi usque ad finem usque sæculi futurus est, ut in eo admirabili sapientia, naturæ, gratiæ, atque unionis hypostaticæ ordines, inter se miro quodam modo intexeret, eorumque effectus nonnullos in se mutuo ordinaret. At ita, propter plenissimam deliberationem, cognitionemve qua futura omnia ex hypothesi prævidebat, meditandus est elegisse simul totum ordinem illum, partesque illius intexuisse, ut ex prævisione lapsûs generis humani, tanquam ex conditione sine quâ non ita fieret, ortum habuerit, ut (quoad homines attinet) diversum ordinem gratiæ ex unione hypostatica et Christo resultantem, loco ejus ordinis gratiæ qui, si Adam non peccasset, fuisset futurus, instituerit et cum reliquis ordinibus complicaverit...

» Porro electio ordinis illius, quoad voluntatem donandi Christum et ordinem gratiæ, quæ in statu naturæ corruptæ hominibus confertur, simul fuit, tum electio et prædestinatio Christi, quatenus hominis, ut per unionem hypostaticam simul esset Dei filius, primus prædestinatorum ad gloriam caput hominum atque angelorum, universorumque Dominus, in cujus honorem et gloriam cuncta creata redundarent, tum etiam electio in Christo et per Christum mortalium omnium, qui meritis et gratia ipsius in vitam æternam pervenient... Quare actu illo simul cætera omnia quæ ad naturam et gratiam spectant ordinavit in Christum tanquam in finem ; et incarnationem ipsam atque Christum, licet expetiverit, ut ideo essent, quia in se ipsis sunt majus bonum quam cætera

creata, vicissim tamen voluit, ut forent in reparationem generis humani, tanquam in partem finis integri, sine qua, juxta verisimiliorem sententiam, non foret Christi incarnatio. Omnia tamen (etiam ordinem angelorum atque hominum in statu innocentiæ) tandem in se ipsum tanquam in finem retulit atque in admirandam suorum omnium attributorum ostentionem et commendationem.

» Ex his omnibus jam facile quivis intelliget, nullam fuisse vel electionem, vel prædestinationem hominum in vitam æternam nisi in Christo et per Christum.

»...(Prædestinatio Christi prior est cæterorum hominum prædestinatione et tamen non est prior). Quia « sicut volitio ut esset incarnatio et Christus adjunctam habet redemptionem generis humani tanquam conditionem sine qua non essent volita, ita prædestinatio Christi habet adjunctam prædestinationem hujus vel illius in particulari, tanquam conditionem sine quâ prædestinatio Christi non esset volita. »

Ergo Suarezii premens vestigia ex duobus motivis seu finibus conatur effingere unicum finem totalem ; ut quod efficacius attingat delet in decreto divino omnem ordinem prioris aut posterioris. — Ergo quæ contra Suarezium objiciuntur et jure contra Molinam, cui etiam adversantur tot multa testimonia quæ prædicant Primatum Christi.

2° Nullo modo omnia signa rationis priora et posteriora a divinis decretis exterminari possunt ; quod nullus Theologorum facit nec ipse Molina in aliis locis suorum scriptorum.

3° Non videntur cohærere, ait Mæratius S. J., hæc duo quæ a Molina dicuntur, nempe Christum esse finem propter quem peccatum permissum fuit et tamen ipsum Christum decretum fuisse propter peccati remedium, hocque esse finem saltem partialem decretæ factæque Incarnationis. Ideo autem non cohærenter dicuntur, quia fieri nequit ut duo sint sibi invicem causæ in eodem genere causandi, quod tamen reipsa fieret, si illa Molinæ

opinio vera esset, cum Incarnationem et peccatum faciat sibi esse invicem fines cujus gratia. Atque cum in causis omnibus impossibile sit aliqua duo sibi invicem causa esse in eodem causandi genere, in causâ finali reperitur etiam specialis repugnantia. Nam quod alicujus finis gratia fit, debet esse prius in executione quam finis, cum hic per illud obtinendus sit : quo fit, ut si duo aliqua sint sibi mutuo fines cujus gratia, necessarium sit, ut illa duo sint se invicem priora in executione, quod repugnat.

Attamen conclusio Molinæ eadem est ac Cajetani : Christus prior in genere causæ finalis et posterior peccato in genere causæ materialis et ideo ex utroque capite impugnatur utriusque sententiæ difficultatibus affectus.

Hurtadus (1659) etiam et *Tannerus* (1618) Suarezianam sententiam redolent.

Nam Rodericus de Arriaga sic eos impugnat (Tract. de Incarn. — De ordine decretorum disp. 14) :

« P. Hurtadus cum Tannero etc. — disp. 13 dicit posse Deum concipi ita ex vi decreti præsentis factum esse hominem ob redimendum genus humanum ut tamen, cessante peccato ut fine Redemptionis veniret Deus vi alterius decreti. — Exemplo id declarat : si quis velit efficaciter ire Romam eodemque decreto eligat equum, ac proinde deficiente equo vi ejus decreti non iret ; quia eo ipso cessaret totum decretum quod essentialiter respiciebat equum ; nihilominus eo ipso quod loco equi offerretur currus, ille talis arriperet eam occasionem vi alterius decreti ; nam bonitas quæ eum tunc attraxit ad illam volitionem non fuit æquitatio, sed utilitas quæ simpliciter in itu Romam reperitur.

» P. Tannerus declarat eum qui ex duobus motivis æque principaliter et per se moventibus decrevit aliquid facere, tunc recte dici posse ex vi hujus decreti, etiam sublato uno motivo nihilominùs facturum eam rem vi alterius decreti, quod de facto quidem non existit, existeret tamen tunc.

» Respondeo contra Hurtadum : quando finis est amatus

efficaciter prius ratione quam ametur determinatum medium concedo... Nego tamen illam doctrinam quando medium est tale ut simul habeat magnam rationem finis ita ut per se attrahere possit... Cum ergo in redemptione generis humani a peccato sit maxima honestas appetibilis non solum per modum medii ad aliud, sed etiam per modum finis propter se.

» Explicatio Tanneri quod aliquando voluntas in electione etiam unius medii habeat duos fines totales.... non potest subsistere. Si enim eo unico actu ametur duplex illa bonitas, ita ut voluntas dicat expresse : Facerem hoc etiam una ex his honestatibus deficientibus, fortasse posse vi præsentis decreti inferri futurum objectum illud data eâ conditione. At si voluntas ita expresse non amet profecto quantumvis ille actus æque principaliter feratur in quemlibet ex iis finibus, cum tamen quemlibet tantum respiciat inadequate, non possum sane capere ex quo capite colligatur, voluntatem amaturam per alium actum quemlibet ex illis finibus ab alio separatis. »

CAPUT VI.

De Primatum Christi propugnantibus.

N. B. — Infra citantur ut propugnatores Primatûs Christi omnes auctores ex professo de motivo Incarnationis agentes et etiam scriptores qui in suis operibus, quin agant de motivo, prædicant tamen Christum vel causam finalem, vel causam meritoriam prædestinationis, dum alibi hæc conciliare non nitantur cum prædestinatione Christi ut Redemptoris. Si in aliis operibus quæ non perlegi unus vel alter auctor sententiam Cajetanam vel Suarezianam secutus inconciliabilita conciliare contendat, sit mihi facilis lector quem ego fallere neutiquam volui.

Supra vidimus qualis fuerit positio quæstionis apud primos scholasticos. Jam opportune exponendum venit quomodo decursu temporis Primatus Christi propugnatus fuerit præsertim a P. Claudio Frassen O. M. (Scotus academicus t. III, tract. I. De Incarnatione Disp. I, art. II, sect. III, q. I.) (Parisiis, 1676).

Utrum si Adamus non peccasset, Filius Dei non minus esset incarnandus.

Notat 1° quod sermo sit non de possibili, sed de actu, de decreto quod Deus habuit ab æterno ;

2° quod universi theologi fateantur peccati expiationem non fuisse unicum duntaxat motivum Incarnationis faciendæ. Quæritur an fuerit præcipuum ita ut, eo cessante, non fieret Incarnatio ob alios fines ;

3° quod etsi unicus et simplicissimus sit actus divinæ voluntatis secundum se et realiter spectatus, virtute

tamen intelligitur multiplex, ita quod in eo distinguatur ordo prioris et posterioris, sive ille sit solum ordo rationis, sive potiùs quasi naturalis præsuppositionis unius ad aliud.

4° quod in Deo sit duplex ordo, intentionis videlicet et executionis, ita quod aliqua dicantur priora secundum intentionem Dei decernentis et statuentis productionem rerum ; alia vero posteriora secundum operationem Dei res producentis. — Quæritur utrum Christus prius destinatus fuerit secundum ordinem intentionis quam cæteræ creaturæ.

Duas ponit conclusiones : 1° *Verbum de facto carnem induit maxime propter salvandos homines et expianda ipsorum peccata.* Quod probat ex Scriptura et Patribus et concludit : « Non diffiteor tamen non unicum istud, sed plura alia Incarnationis de facto peractæ motiva Verbum habuisse..

CONCLUSIO SECUNDA.

« *Ex vi præsentis decreti Verbum divinum carnem humanam assumpsisset, etiamsi Adamus non peccasset.* Hæc conclusio quadruplici fundamento nititur et firmatur :

PROBATIO I. *Petita ex eo quod Christus sit prius decretus quam creaturæ.*

» Christus volitus ac destinatus fuit a Deo ante præscientiam peccati hominum ; ergo licet homo non peccasset, nihilominus Verbum divinum vi præsentis decreti carnem induisset. Consequentia patet : cum enim prius non pendeat a posteriori, si adventus Christi volitus est et decretus a Deo ante præscientiam peccati hominis, evidens est quod independenter a tali peccato ejus adventus sit decretus ; atque a Deo executioni fuisset mandatus licet homo non peccasset

» Probatur antecedens. Christi productio decreta prius est quam productio creaturarum ; sed decretum productionis creaturarum prius fuit decreto permittendi pecca-

tum : ergo Christus volitus est ac decretus ante permissionem, subindeque ante præscientiam peccati hominum. Minor constat : non enim potuit Deus habere decretum permittendi peccata hominum, illaque præscire ut futura, quam habere voluntatem ipsos producendi ; siquidem operatio sequitur esse, et consequenter actio peccaminosa prævisa supponit existentiam prævisam hominis peccaturi.

» Major vero probatur plurimis Scripturæ textibus quibus Christus dicitur prima omnium creaturarum. Sic Eccli. XXIV : *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam ;* ubi nullam prorsus creaturam excludit : quem textum Concil. Sardicense in Epistola ad omnes Episcopos circa finem exponit de Christo ; ita quod illa verba : *Ego ex ore Altissimi* significent illius generationem æternam quatenùs est Dei Filius ; cætera vero designent illius generationem temporalem decretam ante quamlibet creaturam. Quod ubique confirmari potest ex S. Paulo ad Col. I, ubi ait : *Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ etc. :* sed Christus non est primogenitus omnis creaturæ secundum ordinem executionis temporalis... ergo est primogenitus in intentione et destinatione divina ; ac proinde illius incarnatio futura præcedit decretum productionis rerum et consequenter præcedit decretum permissionis peccati.

» *Confirmatur* 2° ex Proverb. VIII : *Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum et ex antiquis antequam terra fieret ; nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.* Quæ singula hujus oraculi verba nostram sententiam mirum in modum confirmant. Siquidem illa verba de Sapientiâ incarnata, nempe Christo Domino, exponunt sancti Patres. » (Vide superius IIa Parte cap. V, p. 81-105.)

Respondendo objectioni : « Ex Hieronymo melius vertitur : *Dominus possedit me* quam : *Dominus creavit*, sic Frassen : « Quamvis melius vertatur *Dominus possedit*

quam *Dominus creavit*, nihilominus ista verba de Sapientiâ divina ut incarnata debent intelligi : quippe dicitur quod ille qui possedit illam divinam Sapientiam sit ejus Dominus ; at Verbum divinum, ut Filius Dei, Dominum non agnoscit, sed tantum ut Filius hominis...

» Confirmatur ex eo quod divina Sapientia ibidem ait « *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* » ; quod si verum est de hominibus lapsis, longè magis videtur de hominibus reparandis.

» *Reponunt* 2° Christum dici quidem *initium viarum Dei*, non tamen operum creationis sed reparationis. *Insuper* si dicatur initium viarum Dei in ordine creationis, non tamen ita dicitur secundum prioritatem intentionis, quasi prius Deus intenderit Christum producere quam alias creaturas : sed tantum secundum prioritatem dignitatis et excellentiæ. Sic Job, 40 : *Behemoth dicitur principium viarum Dei.*

» Verùm utraque hæc expositio non solvit præfatam rationem. Non quidem *prima*, quæ omnino absurda est et absque fundamento, necnon apertè contraria his sequentibus illius oraculi verbis : *Antequam terra fieret, ante omnes colles ego parturiebar.* Secunda pariter expositio non officit, quia Christus non tantum dicitur *initium viarum Dei*, quod equidem primitatem dignitatis designare posset ; sed etiam dicitur *possessus* ac *creatus* a Deo, hoc est, decretus in initio antequam cæteræ creaturæ decernerentur.

» *Confirmatur secundo.* Exemplar secundum quod aliquid fit, prius intenditur ab operante quam illud quod ad ejus imitationem produci debet ; sed Christus Dominus fuit exemplar ad cujus imitationem Deus Adamum produxit : ergo priùs intendi ac decerni debuit Christi formatio quam Adami. Major constat : Omnis enim causa aliquâ prioritate suum præcedit effectum ; exemplar autem habet rationem causæ. Minor vero probatur ex Tertulliano et ex Athanasio. (Adde omnes qui idem affirmant ut videre est superius Parte II, cap. II, p. 50.)

Confirmatur denique. Ille primo intenditur in ordine creationis, propter quem omnia creata sunt et condita ; sed omnia creata sunt et condita propter Christum. Igitur... major patet. Finis enim priùs intenditur ab operante quam ea quæ sunt ad et propter finem. Minor vero probatur. Tum ex laudato capite ad Colos. ubi dicitur *in ipso Christo*, id est, propter ipsum, *condita sunt universa*, tum ex prima ad Cor. III ubi apostolus declarat ordinem finium ad quos ordinantur creaturæ ; ut scilicet creaturæ corporeæ sint propter electos, electi propter Christum, Christus autem immediatè propter Deum ; ait enim : *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Sed hæc illatio non esset legitima, nisi Christus prius fuit et intentus et a Deo decretus quam cæteræ creaturæ ; sicut enim hominum creatio prius fuit intenta a Deo quam formatio mundi propter ipsum hominem conditi, tanquam propter finem primarium sic etiam priùs intendi debuit Christi productio quam decernerentur homines propter ipsum creandi ; quod utique confirmat Apostolus ad Hebr. II, ubi ait :« *Decebat enim eum propter quem omnia etc. ; per quem omnia qui multos Filios in gloriam adduxerat etc.* »

« Præfatam rationem firmant sancti Patres : maximè S. Cyrillus lib. V. Thesauri cap. III et Rupertus... » (Cf. sup. P. II, cap. VIII, p. 185-203.)

SECUNDA PROBATIO. *Petita ex eo quod Christus sit Electorum ac Prædestinatorum Primogenitus, Exemplar et Principium morale.*

» Qui est omnium Prædestinatorum et Electorum primus, exemplar et principium morale, ille prius intenditur et decernitur a Deo futurus quam prævideatur et decernatur permissio peccati. Sed talis est Christus : Ergo... major constat, maxime in sententia Thomistarum affirmantium prædestinationem fieri ante prævisa merita vel demerita secundum intentionem, quamvis secundum executionem pendeat a meritis. Minor vero

probatur : primo quidem quod Christus fuit primogenitus et causa exemplaris omnium Prædestinatorum ; id enim apertè docet Sanctus Apostolus ad Rom. his verbis : « *Qui præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* » Et primo ad Ephes. : « *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* » Et paulo post : « *Prædestinavit nos per Jesum Christum in ipsum* ». Ubi particula *per* significat Christum fuisse causam meritoriam et efficientem moralem nostræ prædestinationis ; particula vero *in* denotat ipsum esse ejusdem prædestinationis causam finalem. »

Confirmat hæc Frassen auctoritate SS. Patrum et citat S. Irenæum lib. III cont. hæres. Cap. 14 (vide supra P. II, c. X p.) et S. Cyrillum Alex. Lib. V, Thesaur. cap. IV (Cf. p. 360). Ad hoc faciunt Cap. VI et VII IIæ, Part. p. 106-184) et addit :

« *Reponunt* adversarii ex his duntaxat colligi Christum fuisse primo prædestinatum, non vero quod fuerit prædestinatus ante peccatum originale : « Nam, inquiunt, prædestinatio spectat ad ordinem gratiæ, peccati vero permissio ad ordinem naturæ ; cùm autem ordo naturæ præcedat ordinem gratiæ, consequens est quod decretum permissionis peccati præcedat prædestinationem Christi.

» Verum contra : Christus dicitur absolutè prædestinatorum primus et caput, ac hominum prædestinationis causa exemplaris et efficiens moralis : igitur prædestinatus est ante prædestinationem Adami ; sed Adamus, ex mente Thomistarum, prædestinatus est independenter a prævisione meritorum et consequenter ante prævisum peccatum ; igitur etiam Christus prædestinatus fuit ante prævisionem peccati. Ad rationem autem dico quod quanquam natura præcedat gratiam ordine executionis, tamen ab illa præceditur ordine intentionis ; quod enim perfectius est prius intenditur quam imperfectius, quia ordinatur ad id quod præs

tantius est ; sed natura minus est perfecta quam gratia ad quam ordinatur ; ergo licet ordine executionis natura præcedat gratiam, tamen ordine intentionis gratia prius intenditur a Deo quam natura ; non enim repugnat subjectum esse propter formam et tamen in intentione agentis formam esse priorem subjecto ; sic enim videmus formam substantialem esse priorem materiâ in intentione agentis materialis, et tamen in executione materia præsupponitur ad formam. Licet ergo permissio peccati spectet ad ordinem naturæ, inde non est consequens quod prius fuerit intenta quam destinatio ad gratiam et gloriam.

» *Adde, quod* mors prædestinati pertinet ad naturam, est enim naturæ defectus ; et tamen præscientia mortis illius non antecedit electionem ejusdem ad gratiam et gloriam, maximè in sententia Thomistarum, qui volunt prædestinationem fieri ante prævisa merita. Similiter peccatum crucifigentium Christum fuit revera grande peccatum, ac proinde secundum adversarios spectare debuit ad ordinem naturæ ; ergo si prius fuerit intentus ordo naturæ quam ordo gratiæ et gloriæ, sequitur quod Deus prius vidit peccatum crucifigentium Christum quam ipsummet Christum quod est absurdum ; quia cum Christus sit subjectum circa quod versari debebat illa actio peccaminosa, non potuit hæc præcognosci antequam præcognosceretur ejusmodi subjectum. » (Vide superius P. III, cap. IV, p. 318-348 sententiæ cajetanæ impugnationem).

TERTIA PROBATIO. *Petita ex ratione.*

« Ordinatè volens ea quæ ex natura sua se habent tanquam finis et media, priùs debet velle finem, et ex mediis illa quæ sunt fini propinquiora, et tandem illa media quæ remotiora sunt ; sed ad manifestationem bonitatis divinæ, quæ est finis intentus a Deo in productionem rerum, propinquiùs spectat incarnatio Verbi et Christi glorificatio ac prædestinatio quam prædestinatio omnium hominum, eorumque beatificatio et justificatio ;

quippe incarnatio Verbi et Christus ipse Deo propinquior est quam omnes creaturæ ; ergo cùm Deus semper ordinatissimè velit, priùs intendit manifestationem bonitatis suæ et immediatè post voluit incarnationem Verbi, demùm ordinem gratiæ, ac tandem naturæ ad quem spectat permissio peccati ; ac proinde decretum incarnationis prius fuit decreto productionis rerum et decreto permissionis peccati. Minor constat : cùm enim Christus sit homo-Deus, intimiùs ac propinquiùs ad Deum spectat quam quælibet creatura magisque ad illius gloriam confert.

» *Reponunt* autem adversarii, majorem esse veram in his mediis quæ sunt fini propinquiora ordine causalitatis; falsam vero de iis mediis quæ sunt propinquiora tantum ordine perfectionis. Dupliciter enim, inquiunt, potest intelligi quod unum medium sit altero proximius fini. Primo quidem ratione causalitatis, quia scilicet immediatè confert ad consecutionem, alia vero media non immediatè, sed mediante ipso. Sic, v. g. in glorificatione hominis quæ est finis intentus a Deo prædestinante, quamvis ordine executionis, vocatio priùs ad illam conferat quam justificatio, tamen ordine intentionis, justificatio prius intenditur a Deo quam vocatio, quia justificatio immediatiùs confert ad glorificationem quam vocatio. — *Secundo*, unum medium dicitur proximius fini quam aliud, ratione majoris perfectionis et affinitatis cum fine ; quâ ratione id quod magis participat de esse divino et de bonitate Dei, dicitur esse propinquius quam illud quod minus participat. Licet autem Christus sit perfectior universo ordine gratiæ et hâc ratione Deo propinquior, tamen non est propinquior fini a Deo intento ordine causalitatis, quia Deus potuit decernere simul omnia quæ conducunt ad ipsius gloriam, sive illa sint ordinis naturæ sive gratiæ, sive unionis hypostaticæ ; potuit etiam minus perfectum medium ad perfectius ordinare, vel perfectius ordinare ad minus perfectum, cum hoc a sola Dei voluntate pendeat ; potuit igitur primo decernere permissionem

peccati et hominum redemptionem, deinde vero incarnationem Verbi tanquam medium posterius conferens ad hominum glorificationem.

» *Contra primo*. Quanquam reverà Deus fortè absque aliqua inordinatione eligere possit et ordinare medium minùs perfectum ad consequendum finem, et postmodum id quod magis perfectum est, tamen decentius et congruentius apparet ut medium illud immediatè ordinet et intendat quod ratione suæ perfectionis majorem habet affinitatem cum ipso fine consequendo, id enim magis decet summam illius sapientiam et suavem rerum administrationem.

» *Secundo*. Concedunt adversarii quod ordinatè volens prius vult finem quam ea quæ sunt ad finem. Sed Christus est finis immediatus omnium creaturarum tam ordinis naturæ quam ordinis gratiæ. Igitur prius intenditur a Deo quam cæteræ creaturæ cujuscumque sint ordinis. Minor constat ex dictis, uti probatum est ex Apostolo I, Cor. III, quod quemadmodum omnia propter prædestinatos creata sunt, ita omnia creata et etiam ipsi prædestinati, sunt propter Christum ut est homo tanquam finem etc. Igitur cum Deus ordinatè volens, prius velit finem quam media, necesse est quod sicut prius intendit suæ gloriæ manifestationem quam Incarnationem Verbi, quia sua gloria est finis ultimus omnium suorum operum, ita prius intendat Christum quam ea omnia quæ ad ipsum ordinantur.

» *Tertio*. Velle ordinatè, nihil aliud sonat, quam velle objecta amabilia prout inter se amabilia sunt; sed objectum quod ex se perfectius et nobilius est, etiam est amabilius; ergo ordinatè volens finem, prius vult media perfectiora quam minus perfecta; sed Incarnatio præstantiore modo confert ad manifestationem gloriæ Dei, quæ ut finis intenditur in omnibus ejus operibus, quam conferat hominum redemptio et peccati permissio; igitur prius debet Deus decernere incarnationem quam peccati permissionem.

« *Denique*, peccati Adami permissio ex naturâ suâ debet esse carentia gratiæ habitualis in Adamo : sed carentia gratiæ supponit illius concessionem ; ergo prius Adamus prævisus fuit habens gratiam quam carens gratia ; sed omnis gratia Adamo collata, sive in statu innocentiæ, sive in statu reparationis fuit duntaxat ei concessa intuitu meritorum Christi venturi, nullus enim effectus prædestinationis Adami fuit independens a meritis Christi. Cum enim Christus sit caput omnium hominum prædestinatorum, idque mediantibus actionibus quibus nobis promeruit beatitudinem, consequens est quod prædestinatio Adami et subinde omnis illius effectus sit dependens a meritis Christi ; sed gratia quam habuit Adamus, etiam in statu innocentiæ, fuit effectus prædestinationis ipsius ; quia illa gratia pertinet ad effectus prædestinationis Adami, cui correspondet aliquis gradus gloriæ, quâ nunc fruitur Adamus; quamvis enim gratia illa per peccatum subsequens fuerit deperdita et meritum ejus mortificatum, tamen per pœnitentiam fuit ei restituta et meritum vivificatum ad eum gradum gloriæ recipiendum ad quem habuerat jus in statu innocentiæ.

» *Reponunt* adversarii, falsum esse quod gratiæ illi, quam habuit Adam in statu innocentiæ, formaliter ut tali, correspondeat aliquis gradus gloriæ quem obtineat Adamus ; siquidem, aiunt, illa gratia per peccatum totaliter fuit extincta, nec opera meritoria per ipsam facta retinuerunt aliquod jus ad gloriam tanquam ad præmium, sed remanserunt omnino mortua et incapacia reviviscentiæ per pœnitentiam ; in quo differunt a nostris meritis quæ cùm per peccatum lethale solum mortificantur, reviviscunt per pœnitentiam ad eosdem gradus gloriæ ad quos speciale jus habebant. Cujus discriminis ratio est quod, destructa in nobis gratia sanctificante per peccatum mortale, remanet nihilominus adhuc unum ex principiis moralibus et vitalibus actionum illarum, quibus antequam laberemur in peccatum, aliquid apud Deum meruimus ; nempe ipse Christus qui est causa moralis omnis nostri

meriti ; at vero respectu Adami adhuc innocentis, Christus nondum influebat in ejus meritum, sed ad id duntaxat conferebat gratia ipsi collata quæ erat principium radicale et vitale talis meriti ; igitur destructo tali principio, omne meritum quod ab eo processerat totaliter vitam amisit ; atque adeo non fuit duntaxat mortificatum sed etiam omnino mortuum.

» *Contra* primo. Absque fundamento et non sine erroris periculo asserunt gratiam Adamo non fuisse collatam ex meritis Christi. Si quidem Apostolus ad Ephesios I disertè pronuntiat : « *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* » Sed gratia Adamo innocenti collata, fuit summa benedictio, non solum pro ipso, sed etiam pro nobis posteris ad quos debebat illam transfundere ; igitur ea fuit collata intuitu meritorum Christi.

» *Deinde*, reponunt pro solutione, id quod venit in controversiam ; disceptamus enim an Christus prius decretus fuerit quam Adamus, aut quælibet alia creatura ; igitur illa responsio non videtur idonea.

» *Insuper*, mysterium Incarnationis fuit Adamo revelatum in statu innocentiæ, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 2 art. 7 et S. Augustinus (Cf. superius II P. C. IV, p 74 — et alia testimonia quæ de hac re in hoc cap. proferuntur.) Igitur Adamus innocens prævidit Christum venturum.

» *Denique*, falso proferunt adversarii merita Adami per peccatum subsequens omnino fuisse mortua ; siquidem idcirco nostra merita omnino non moriuntur quandiu fideles sumus, quia per fidem semper unimur Christo capiti et mediatori nostræ salutis. At Adamus non amisit fidem, alioquin extincta omnino tunc temporis fuisset Ecclesia : ergo eamdem cum Christo capite habere potuit unionem, etiam dum peccavit, quam modo habent peccatores qui fidem non perdiderunt.

QUARTA PROBATIO. *Petita ex absurdis quæ ex adversa sententia oriuntur.*

» Si Christus ob peccatum duntaxat venisset, sequeretur ipsum esse bonum occasionatum quod scilicet non habuisset existentiam nisi commissum esset peccatum ; at absurdum est tantum bonum qualis est Christus esse duntaxat occasionaliter intentum a Deo, cum sit per sese summe volibile et amabile, non minus ac ipsa redemptio a peccato, imo multo magis, quandoquidem secundum se sit bonum præstantius. Ergo etc.

» *Reponunt* adversarii 1° non esse inconveniens quod Christus solum decretus fuerit ex occasione peccati ; quia, inquiunt, longè majus beneficium collatum est hominibus, ex eo quod incarnaretur Deus ob remedium solius peccati quam si incarnaretur propter alia motiva in ordine ad justificationem et glorificationem quam habuissent homines si in statu innocentiæ perseverassent, quia eo majus est beneficium aliquod cæteris paribus, quo minùs digniori confertur ; at incarnatio facta ob solum remedium peccati, esset beneficium factum peccatori et indigno ; si autem fieret propter ea motiva beneficium istud non conferretur indigno ; ergo nihil officit quominus Incarnatio Verbi sit bonum occasionatum.

» *Verùm*, dico hanc responsionem nec esse ad intentum difficultatis nec veram doctrinam continere. Non quidem est ad intentum præsentis difficultatis, quia non quæritur utrum Verbi incarnatio esset majus beneficium vel minus, si fieret ob solam redemptionem a peccato ; sed utrum ex se sit majus bonum quam redemptio, ita ut bonum istud non existeret nisi redemptio esset facienda. Non continet etiam veram doctrinam, quia sine dubio majus beneficium esset quod fieret incarnatio propter justificationem et glorificationem hominum, ac etiam propter naturæ humanæ dignitatem, quam si fieret ob solam redemptionem ; præstantius enim est

manus dare homini ne in captivitatem veniat et suam libertatem tueatur ac servet, quam si e vinculis eruatur.

» *Reponunt* 2° occasionatum sumi dupliciter : *primo*, prout idem est ac præter intentionem agentis, et a casu, in quo sensu fatentur incarnationem non esse bonum occasionatum, maxime respectu Dei, cum omnia divinæ ejus gubernationi subdantur ; *secundo*, dicitur bonum occasionatum, quia pendet ex aliquâ occasione, licet aliunde sit intentum a Deo, et in hoc sensu concedunt incarnationem esse bonum occasionatum.

» *Verùm*, ex hâc responsione sequitur quod vel incarnatio secundum se esset minus bonum quam remissio peccati, vel quod Deus ordinaret majus bonum, scilicet Christum ad minus bonum, scilicet ad remedium peccati ; sed utrumque est absurdum. Christus enim utpote Deus-Homo, longè præstantius est bonum quam omnium hominum salus, siquidem majorem Deus gloriam per solum Christum recipit, quam reciperet per omnium hominum salutem. Similiter inordinatè Deus procederet si majus bonum ordinaret ad minus ; quippe entia minus perfecta, secundum justam ordinationem divinæ Providentiæ, ordinantur ad præstantiora ; sic elementa inserviunt viventibus, vegetantia brutis, bruta vero hominibus.

Reponunt iterùm, quod inordinatè quidem procederetur si majus bonum ordinaretur ad minus tanquam ad finem *qui*, vel *cujus gratiâ* aliquid fit, non vero si ordinaretur tanquam ad finem *cui* : nam angeli in Scripturâ dicuntur producti et missi in ministerium hominum, et salus rustici dicitur finis *cui* providentiæ regiæ, quia bonum rustici resultat ex optimâ regis administratione.

» *Contra*. Si Incarnatio duntaxat decerneretur ob solam remissionem peccati, consequens esset quod illa non foret nisi existeret peccatum, et consequenter quod haberet duntaxat existentiam occasione remittendi peccati, et sic secundum se et absolutè ordinaretur ad peccatum;

sed quod secundum se et absolutè ordinatur ad aliud, ita quod habeat duntaxat existentiam propter illam ordinationem, non ordinatur solum ad finem *cui*, sed etiam ad finem *cujus gratiâ*. Ergo si esset inordinata dispositio, quod majus bonum referatur ad minus bonum, tanquam ad finem *qui*, consequens esset quod minus recte ordinaretur incarnatio ad solam remissionem peccati. Minor constat: id enim dicitur ordinari ad aliud tanquam ad finem *qui*, saltem immediatum, quando duntaxat producitur ob aliud, nec ullam haberet existentiam si ita ad aliud non ordinaretur ; sic enim creaturæ dicuntur ordinari ad gloriam Dei tanquam ad finem *qui*, quia duntaxat propter gloriam Dei creatæ sunt. Confirmabuntur hæ responsiones ex sequentibus absurdis.

» *Secundum absurdum* quod ex adversâ sententiâ oritur, est quod si Christus tantum decretus esset propter nostram redemptionem sequeretur quod Adami peccatum ei fuisset utile, quia non haberet suam existentiam nec gratiam et gloriam nisi Adamus peccasset; imo gaudere posset de Adami peccato ; aliquis enim gaudere potest de eo sine quo non reciperet suum esse nec suas perfectiones haberet ; sed hæc consequentia omnino absurda est. Probatur major a simili auctoritate S. Anselmi, lib. I, *Cur Deus homo*, cap. 28, ubi improbat opinionem asserentium homines idcirco duntaxat esse factos et prædestinatos ut vacuas Angelorum sedes replerent : si enim ita esset, sequeretur quod deberent gratulari homines de angelorum perditione et ruina. Ait autem... (Cf. superius, II[a] P., cap. X, p. 248). At idem dicendum esset de Christo si duntaxat decretus esset venturus pro reparandis hominibus perditis.

» *Reponunt* adversarii, falsum esse quod Christus gauderet de hominum ruina, sed duntaxat gaudere deberet de bonitate et misericordiâ Dei, quæ tantum bonum ex tanto malo tanquam ex occasione produxit. Neque enim, inquiunt, nos dedimus occasionem essendi Christo per se et ex nostra intentione sed solum per accidens et

ex intentione Dei, qui ex peccato Adami tanquam ex occasione incarnationem Verbi divini decernere voluit. Ad auctoritatem S. Anselmi negant esse paritatem, quia, inquiunt, propterea homines deberent gaudere de ruinâ angelorum, si ad eorum sedes implendas ordinarentur, quia supposito lapsu Angelico prædestinarentur homines, absque novo beneficio, ut supponit Anselmus in eorum sententiâ quos impugnat : illi enim dicebant Deum elegisse ad gloriam certum numerum angelorum eâ conditione ut si deficerent aliqui, tot assumerentur ex hominibus, et ideo vi illius pacti sine novo beneficio prædestinarentur : et propterea deberent gaudere de lapsu ex quo sine novo beneficio sequeretur eorum prædestinatio : at Incarnatio Christi non procedebat ex lapsu hominum absque particulari beneficio, unde non deberet Christus gaudere de peccato Adæ.

» *Verùm* hæ responsiones non satisfaciunt. Non quidem *prima* : quamvis enim Christus gaudere deberet de misericordia Dei ex quâ specialiter et propter se procederet ejus productio, tamen videbatur omnino sequi quod deberet etiam gaudere de eo, sine quo Deus misericordia non esset motus ad decernendum ipsius Christi adventum, quemadmodum non esset motus ad prædestinandos tot homines nisi ut volebant illi, quos impugnat Anselmus, tot angeli essent lapsi. *Nec etiam* satisfacit disparitas quam proferunt inter casum propositum ab Anselmo et nostrum, quia perinde prorsus est quod prædestinatio hominum fiat ex lapsu sine novo beneficio, vel quod ita non fiat, ad hoc ut homines haberent ansam gaudii de angelorum lapsu ; nec enim motivum gaudii esset defectus novi decreti seu quod non destinarentur novo decreto ad gloriam ; sed motivum gaudii esset consecutio suæ prædestinationis, quæ fieret ex supposito angelorum lapsu ; non autem fieret si angeli non fuissent lapsi. Unde eorum gaudium tantum oriretur ex suâ prædestinatione quæ infallibiliter sequeretur ex angelorum ruinâ. Idem autem dicendum esset de Christo Domino, si

duntaxat ad liberandos homines a peccato decretus ejus esset adventus.

» *Tertium* absurdum quod ex opposita sententiâ oritur, est quod si Christus duntaxat esset decretus propter homines redimendos, sequeretur *primo*, quod ille nobis gratias deberet rependere, non nos illi. *Secundo*, quod essemus multo præstantiores quam Christus. *Tertio*, quod necessarium fuisset peccatum, ut Christus existeret : sed hæ consequentiæ absurdæ sunt et sanctorum Patrum doctrinæ repugnantes. *Prima* quidem quia illam S. Athanasius, lib. 3 cont. Arianos infert et impugnat : « *Si Deus*, etc. » (Cf. superius, p. II, c. VIII, p. 187.)

» *Secundam* consequentiam impugnat S. Cyrillus Alexandrinus, et S. Basilius. (Cf. Ibidem, p. 186, 187.)

» *Tertia* tandem consequentia impugnatur auctoritate Augustini qui negat necessarium fuisse peccatum ut Sancti nascerentur et fieret hominum generatio (Cf. ibid., p. 189). Igitur multo magis absurdum quod peccatum fuerit necessarium ut Christus hominum caput et Sanctus Sanctorum in hunc mundum veniret. Quam utique illationem infert Rupertus his verbis : *Si teste Augustino*, etc. (Cf. ibid. p. 194)

Solvuntur objectiones.

» *Objiciunt primo* adversarii : Decretum Incarnationis cum sit supra naturæ debitum non nisi per revelationem innotescere potest : sed quotiescumque Scriptura sacra, Concilia vel SS. Patres, ex quibus colligenda est divina voluntas de hujusmodi decreto loquuntur, non aliam causam vel motivum assignant quam liberationem a peccato seu redemptionem hominis a servitute peccati ; ergo ex vi decreti quod Deus habuit de facto, Verbum carnem non sumpsisset, Adamo non peccante. Majorem ut verum supponunt ; minorem vero probant : *Primo* illis omnibus sacræ Scripturæ locis, quibus præcedenti conclusione probavimus Christum revera maxime venisse

propter homines redimendos a peccato. — *Secundo* ex Conciliis præcipuè Niceno et ex ejus symbolo fidei ubi dicitur : *Propter nos homines et propter nostram Salutem descendit de cœlis.* — *Tertio* denique id confirmant plurimis SS. Patrum auctoritatibus quorum præcipuæ sunt sancti Irenæi (Cf. Supra, p. II, cap. X. p. 214); S. Cyrilli Alexandrini (Ibid., p. 233) ; S. Ambrosii (Ibid., p. 226) ; S. Augustini (Ibid., 233) ; S. Leonis Papæ (Ibid., p. 235); S. Gregorii Magni (Ibid., p. 238).

Respondeo cum Scoto, concessâ majore, distinguendo minorem : non aliud assignatur motivum Incarnationis ut de facto contigit et revera peracta est, concedo : Ut esset perficienda ex hypothesi quod nullum esset peccatum : nego. Nam constat tum ex Sriptura Sacra, tum ex SS. Patribus pro nostra sententia laudatis, quod etsi non peccasset Adamus, nihilominus Christus esset venturus. Unde si illa Scripturæ et SS. Patrum oracula pro nostra sententia laudata, liceat adversariis interpretari, quidni etiam ab eis objectas sententias simili modo benignâ interpretatione liceat explicare, ne SS. Patres et Scripturæ oracula invicem pugnantia appareant ?

» *Adde quod* ipsi SS. Patres nostræ explicationis fundamentum subjiciant ; quippe dum negant Christum venturum si peccatum non esset ; *vel* significant quod non esset venturus in similitudinem carnis peccati, ut constat ex sancto Leone ; *vel* quod non foret morbi obnoxius et aliis miseriis quibus subjacuit, ut pro peccatoribus satisfaceret ; *vel* quod non veniret ut Redemptor, Salvator et Medicus : quo sensu S. Augustinus (Serm. 90, de Verbis Apost.) ; « Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla causa est medicinæ ; si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus ; ipseægrotus genus humanum est. »

» *Urgent* SS. Patres simpliciter et absque ullo addito diserte pronuntiant quod Christus non veniret si pec-

catum non adesset ; sed hæc locutio esset falsa, si veniret Christus, non interveniente peccato, in carne impassibili ; nam de eo qui venturus est in carne impassibili verum est dicere quod sit venturus ; igitur falsum est asserere quod non sit venturus ; igitur quando SS. Patres absolutè pronuntiant Christum non esse venturum si peccatum non adesset, censent quod nullatenus foret incarnatio si Adamus non peccasset.

» *Nego minorem* et ad ejus probationem, nego consequentiam. Nam SS. Patres non dicunt simpliciter quod nullo modo esset venturus, sed quod non veniret in eo statu passibili et mortali in quo apparuit. Unde loquuntur de Incarnatione prout facta est : quapropter aliqui utuntur hoc modo interrogatorio, ut Nazianzenus et Ambrosius : *Quæ causa Incarnationis nisi peccatores salvos facere ?* Quâ loquendi formulâ significant præcipuam causam Incarnationis peractæ fuisse peccatorum salutem ; non tamen negant alias esse causas Incarnationis faciendæ si nullum esset peccatum. Nec propterea eorum loquendi modus falsitatem præfert ; nam aliquis dici potest non venturus, quamvis sit venturus ; non quidem eo modo quo exspectabatur, sed alio ; sic enim Lucæ J. Christus dixit cognatis suis : « *Ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum.* » Et tamen Evangelista subdit : « *Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem, non manifestè sed quasi in occulto.* » Unde Christus absolutè dicens quod non esset ascensurus, intelligendus est, non publicè sed occultè.

» *Instant.* Christus non potuit venire vi illius decreti de facto existentis, nisi in carne passibili ; ergo si Adamus non peccasset vel nullatenùs venisset vel oportuisset ipsum venire in carne passibili. Consequentia patet ; non est enim alius modus possibilis Incarnationis nisi in carne passibili vel impassibili. Igitur si Christus non venisset in carne impassibili, oportuisset ipsum venire in carne passibili. Probatur antecedens ; cùm primo decre-

vit Deus Incarnationem efficaciter, *vel* voluit Verbum incarnari in carne impassibili, *vel* in carne passibili, *vel* solum decrevit eum venturum in communi quoad substantiam, nihil decernendo quoad modum de statu passibilitatis aut impassibilitatis ; sed primum dici nequit quia si Deus primo voluisset efficaciter quod Verbum assumeret carnem impassibilem de facto illam assumpsisset dum fuit incarnatum, alioqui vel decretum illud non fuisset efficax et sic Adamo non peccante non fuisset sortitum suum effectum, nec consequenter hâc in hypothesi Verbum fuisset incarnatum ; vel fuisset mutatum in subsequenti signo rationis, suppositâ permissione et prævisione peccati, per aliud decretum quo Deus incarnationem prius dèstinatam in carne impassibili, postea voluisset eam fieri in carne passibili, ut esset in remedium peccati ; hoc autem dici nequit, quia id repugnat immutabilitati Dei et perfectioni divinæ providentiæ, quæ non est incerta et volubilis sicut nostra ob limitationem intellectûs nostri et voluntatis.

» Secundum etiam dici non potest, quia duobus modis fingi potest Deum voluisse primo incarnationem, abstrahendo a carne passibili aut impassibili. *Primo* quidem ita ut solum in communi et quasi in confuso decreverit assumere aliquod individuum naturæ humanæ, non determinando an hoc vel illud assumeret. *Secundo*, ita ut voluerit hanc humanitatem in individuo sibi hypostatice unire, non determinando tamen an illam assumeret in carne passibili aut impassibili ; sed neuter dicendi modus est verus. Non quidem primus, quia actus efficax voluntatis divinæ terminatur ad rem in particulari cum omnibus accidentibus, circumstantiis et modis cum quibus debet existere ; alioqui actus ille divinæ voluntatis non fuisset efficax quia non fuisset terminatus ad rem sub eo statu sub quo non est possibilis in actu ; ergo Deus non voluit efficaciter Incarnationem Verbi solum in communi et quoad substantiam abstrahendo a carne passibili aut impassibili.

» *Adde* quod velle aliquid in communi et postea in particulari cum omnibus accidentibus, circumstantiis et modis, dicit imperfectionem intellectûs nostri et voluntatis; ergo non potuit habere locum in Deo.

» *Respondeo.* Deum primo decrevisse incarnationem duntaxat quantùm ad substantiam abstrahendo a statu passibilitatis vel impassibilitatis; quippe habuit rationes ob quas priùs determinaret substantiam incarnationis quam circumstantias; nimirum, ut posset Christus Angelis et primo parenti mereri gratiam et alia dona quæ ipsis collata sunt independenter a peccato; neque enim merita Christi prævisa potuissent movere Deum ad conferendam illam gratiam, nisi fuisset decreta substantia incarnationis, ante prævisum peccatum. Itaque Deus videns possibile quod Christus posset mereri illa dona Angelis et hominibus seu quod intuitu ipsius meriti darentur illis ista beneficia, modo decerneretur ipsius adventus ante prævisionem peccati, decrevit faciendam incarnationem absolutè, nondum decernendo de modo nec de statu impassibili vel passibili, sumptâ impassibilitate pro obnoxietate et subjectione ad mortem et miserias.

» Duplex enim distingui potest passibilitas. Una quidem oriunda ex elementis contrariis quibus corpora constant: et hæc est intrinseca naturæ, eamque Adamus in statu innocentiæ habebat, sed ligatam per justitiam originalem et ligni vitæ fructum quo arcebantur ab ejus corpore omnes naturales defectus. Alia vero est passibilitas inflicta propter peccatum, quæ est ipsamet subjectio ad mortem et miserias. Priorem passibilitaten habuisset Christus etiamsi nullum fuisset peccatum, quia veniret compositus ex elementis contrariis; sicque vi primi decreti, pariter esset passibilis. At virtute alterius decreti veniret impassibilis secundo modo, quia non erat congruum ut, deficiente causâ redemptionis peccatorum Christus de facto morti et ærumnis subjaceret, sed præventus fuisset a Deo constituente illius humanitatem in statu omnino glorioso et impassibili.

» *Unde* ad argumentum in forma, nego antecedens et ad ejus probationem dico; Deum primo suo decreto decrevisse substantiam incarnationis et Christum esse venturum in carne passibili sumpta passibilitate primo modo, quatenus est quid intrinsecum naturæ humanæ, concedo. Decrevit ut veniret passibilis passibilitate sumptâ secundo modo, nego; quia ex hypothesi quod nullum fuisset peccatum, Deus altero decreto statuisset quod ille Christi adventus fieret in carne impassibili seu non obnoxia morti et ærumnis; sicut de facto decrevit ut veniret passibilis, decreto sequente illud quod substantiam incarnationis decreverat ante prævisionem peccati.

» *Instant iterum.* Istius duplicis decreti nullum fundamentum potest afferri et omnes Sripturæ et SS. Patrum sententiæ de futuritione incarnationis solum significant unicum esse decretum, tum quoad substantiam, tum quoad circumstantias ipsius incarnationis; igitur præfata solutio nulla (1).

» *Nego antecedens.* Ex hypothesi enim quod Verbum sit incarnandum ante prævisionem peccati, ut probavimus, necessum est quod aliud decretum subsequatur, quo nempe determinetur ipsum esse venturum in statu impassibili, ex hypothesi quod non sit peccatum; quia decens erat ut morti et ærumnis non subjaceret si nullum peccatum existeret. Propterea opus esset ut decretum de facto existens de substantia incarnationis aliud sequeretur decretum de substantia ac modo passibilitatis. Quia autem illa suppositio de non committendo peccato non fuit vera, propterea ad decretum de substantia incarnationis necessum fuit ut sequeretur aliud quo statueretur Christi adventus in carne passibili. Unde recte distinguuntur in Deo duo decreta; unum de incarnatione quoad substantiam; alterum de eâdem secundum suas

1. Quod negatur — nam de hac re expresse S. Maximus Theol. Græcus, ut supra P. II, c. VII, p. 162, Rupertus p. 250 et implicite omnes qui prædicant Angelos et Adamum innocentem a Christo accepisse gratiam.

circumstantias ; prius antecedit omnem peccati prævisionem ; posterius vero illam sequitur ; ita nimirum ut Deus primo voluerit mittere Filium suum in terram tanquam ducem, caput et legislatorem generis humani ; secundo præviderit peccatum originale et alia quæ ab ipso emanarunt ; tertio decrevit eum mittere in carne passibili, ut qui dux, Caput et Legislator tantum esset, si nullum peccatum extitisset, ille quidem esset noster redemptor patiendo mortem pro nocentibus.

» *Confirmantur* hæc exemplo illius qui efficaciter vellet finem aliquem, non determinando de mediis. v. g. si quis Massiliâ vellet ire Romam, cùm non posset illuc pergere nisi per mare vel per terram ; ille vi illius intentionis, ex hypothesi quod esset impedimentum eundi per mare propter pericula deberet resolvere profectionem per terram, non quidem vi prioris decreti præcisè, sed mediante alio subsequente decreto quo decernit ire per terram ; ergo a simili cum Deus decreverit substantiam incarnationis independenter a circumstantiis, quia ut probatum est, incarnatus esset Dei Filius etiamsi nullum foret peccatum, ideo opus fuit novo decreto quo ex prævisione peccati decerneretur Christi adventus in carne passibili.

» *Subsumunt :* Si opus sit novo decreto ut decernatur Christi adventus in carne passibili, consequens est quod non veniret Christus ex vi præsentis decreti quo prædestinata est ejus incarnatio quoad substantiam ; et consequenter si Adamus non peccasset, Christus non esset venturus vi præsentis decreti, ut affirmabat conclusio.

» *Nego sumptum :* Quamvis enim Christus non veniret ut passibilis ex vi decreti præsentis quo destinata fuit ejus passibilitas, quia deficente peccato, tale decretum non esset ; tamen veniret ex vi præsentis decreti quo prædestinata est ejus incarnatio quoad substantiam, non quidem præcisè et absque alio decreto, sed mediante decreto de ejus adventu futuro in carne impassibili. Sicut enim, v. g. ille qui pergeret Romam, diceretur illuc

ire per terram vi prioris decreti, quatenùs ad prius decretum necessario subsequatur aliud de eundo per terram, ex hypothesi quod esset impedimentum eundi per mare, et vice versa : sic cum Deus de facto decreverit substantiam Incarnationis independenter a circumstantiis et illud decretum non magis determinaverit ad statuendam incarnationem futuram in carne passibili, ex hypothesi quod foret peccatum, quam determinaverit ut foret in carne impassibili si nullum foret peccatum, revera dici potest quod vi illius decreti de substantia incarnationis decerneretur circumstantia impassibilitatis ex hypothesi quod nullum foret peccatum et sic Christus venturus esset in carne impassibili virtute illius prioris decreti, quia postremum decretum necessario subsecutum fuisset ad decretum de substantia incarnationis.

» *Objiciunt secundo :* Omnia merita Christi Domini sunt merita Redemptoris et consequenter supponunt captivitatem per peccatum contractam a quâ nos redimat. Sed in casu quod primus homo non peccaret, non foret talis captivitas, siquidem natura integra permansisset in eo statu quo fuerat condita ; igitur in eo casu Christus non fuisset venturus.

» *Distinguo majorem :* Sunt merita Redemptoris vel præservativi vel sublevativi, concedo ; sublevativi tantùm, nego. Duplex est enim officium Redemptoris, aliud quo præservat ne quis captivitatem incurrat ; aliud quo ab ipsa captivitate redimit et sublevat. Primum exercuisset Christus si venisset in carne impassibili ; postremum autem exercuit dum de facto venit in carne passibili.

» *Objiciunt tertio :* Incarnatio est quædam personæ divinæ humiliatio et exinanitio, juxta illud Apostoli ad Philipp. 2 : « *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens* » ; quæ exinanitio non tantum contingit per mortem et passionem sed maxime eo ipso quo naturam humanam Dei Filius assumpsit ; nam homo ex conditione suæ naturæ servus est comparatè ad Deum. Quia Deus est ejus Dominus, utpote Dominus universæ crea-

turæ ; sed Dei Filius non habuit aliam causam se sic humiliandi, quam quia Adamus indebitè supra suam conditionem extolli voluit ; ergo si Adamus taliter non peccasset, Dei Filius non habuisset ullam occasionem sese sic humiliandi per incarnationem.

» *Nego minorem :* Nam præter expiationem peccati aliæ plurimæ subsunt rationes incarnationis faciendæ, nempe ut Christus esset Ecclesiæ Caput, hominum Legislator, et ut divinam suam potentiam, bonitatem ac sapientiam commendaret, necnon ut cum hominibus conversaretur ; nam ut illa divina Sapientia ait Proverb. VIII : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* »

N. B. — Videntur hìc quædam notanda :

1° Non videtur proponenda quæstio de Incarnationis decreto in carne passibili vel impassibili. Etenim, ut ipse dicit, pro suo arbitratu passibilis vel impassibilis fuit Christus : « Nemo tollit eam (animam) a me, sed ego pono eam a meipso. » (Joan., X, 18.)

S. Joannes Chrysostomus (Homil. LX, al. LIX, n° 2, in Joan.) ita interpretatur : « Præterea illud vult demonstrare, se non invitum mortem adire. Si autem, ut homo hoc loquatur, ne mireris, sæpè namque hujus rei causam diximus, superfluumque et onerosum esset id repetere. »

S. Cyrillus Alexandrinus (Com. in Joan., Libror. VII et VIII fragmenta, X, 18) : « Hoc loco docet non solum se pastorem bonum esse periclitantem pro grege, sed et Deum natura. Quapropter nunquam mortem sustinuisset nisi volens et ultro, habens nimirum convenientem Deo potestatem totius hujusce ordinationis magnam nobis utilitatem in se continentis, docente præterea sermonis serie et contextu ipsos Judæos nunquam eum in potestate habituros fuisse si noluisset. » (P. G., 74, 10.)

Idem dicit S. Augustinus (Tract. XLVII, n° 11, in Joan.) : « Quando Christus animam posuit ? Quando Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat, ibi potestas erat quando poneret caro animam et quando sumeret. »

(De civitate Dei, lib. XIV, cap. IX, n° 3) : « Quamobrem etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas (passiones), ubi adhibendas esse judicavit. Verum ille (Christus) hos motus certæ dispensationis gratia, ita cum voluit suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo. »

Quod expressiùs affirmat S. Joannes Damascenus (De Fide orthodoxa, lib. III, cap. XX) : « Volens fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est (Christus) ». (P. G., 94, 1083.)

Unde jure concludit S. Thomas (III Pars, Q. XV, art. IV, ad 1um : « Dicendum quod anima Christi poterat quidem resistere passionibus, ut ei non supervenirent, præsertim virtute divina ; sed propria voluntate se passionibus subjiciebat tam corporalibus quam animalibus. »

Toletus cum innùmeris sequitur Doctorem Angelicum. Nam ita interpretatur prædicta S. Joannis, teste Cornelio a Lapide : « Licet enim Judæi me per vim occisuri sint, tamen hæc vis eorum nil contra me valeret, nisi ego sponte illam admitterem. Rursum admissa eorum vi, in mea adhuc potestate et libertate est mori vel non mori. Possum enim mea divinitate ita fulcire et roborare corpus meum, ut nullis clavis, plagis, flagellis quin et vulneribus sponte acceptis possit interimi perinde ut fulcio corpora Beatorum eaque reddo impassibilia. »

Ex prædictis concludendum est quod Christus, quando et quantum voluit, fuerit passibilis. Non quærendum ergo videtur de decreto Incarnationis in carne passibili vel impassibili.

2° Non respondet Frassen expressè objectioni ex Symbolo Niceno : « *Propter nos homines et propter nostram salutem.* » — Hæc verba nequeunt impugnare Primatum Christum dum e contra duas adferant causas adventûs Christi in carne : 1. Scilicet *propter nos homines gratificandos et glorificandos* et hoc etiam, Adamo non

peccante, quia jam Adamus gratificatus ; 2 *Propter nostram salutem*, i. e. ad homines redimendos. Præbent ergo argumentum ad propugnandum Primatum Christi.

3° Una est via ad quæstionem solvendam videlicet auctoritates Patrum quas videre est supra, tota II Parte.

Nunc dicendum breviter de propugnatoribus Primatûs Christi.

S. FRANCISCUS ASSISIENSIS (In exhortationibus quod nemo superbiat) : « Attende... quia creavit te... ad imaginem dilectissimi Filii sui secundum corpus, et ad similitudinem suam secundum spiritum. »

Idem (Speculum Perfectionis, Cap. XXII, Sabatier p. 44) : « B. Franciscus pro magna nobilitate et dignitate habebat secundum Deum et secundum mundum petere eleemosynas amore Domini Dei, quia omnia quæ Pater Cœlestis pro utilitate hominis creavit propter amorem dilecti Filii sui, dignis et indignis post peccatum gratis per eleemosynam sunt concessa. » Ergo Adam ad imaginem Christi creatus est et omnia propter Christum condita sunt.

S. ANTONIUS PATAVINUS (Serm. in Purif. B. M. V.) : « Dominus creavit initium viarum. Quod intelligitur de Incarnatione Domini. » (Editio P. Mariæ Josa, Min. Conv. Paduæ, 1885.)

Idem (Sermo in Sept.) : « Deus Pater in principio, id est, in Filio creavit et recreavit. »

ROGERIUS BACON, O. M., 1214-1294, (Opus majus) : « Quod uni tantum fieri debet revelatio ; quod iste debeat esse mediator Dei et hominum, et vicarius Dei in terra, cui subjiciatur totum genus hominum et cui credere debeat sine contradictione... Et iste est Legislator et summus sacerdos qui in spiritualibus et temporalibus habet plenitudinem potestatis tanquam Deus humanus. »

B. RAYMUNDUS LULLIUS (1235-1315). (Dialogus de Im. Bæ Virginis Conceptione.)

In capite prologi hanc scribit orationem.

« Jesu Christe gloriose, in quo universi creati nobilitas et perfectio persistunt unitæ, et ut laudibus et honore matris tuæ conceptus valeat a tuis fidelibus venerari, quæ quidem pro tui sacratissimâ Incarnatione præordinata extitit, antequam Adam creasset... »

Et IV[a] parte, octava ratio... solutio. Respondit sæcularis (id est Raymundus) : « Deus hominem creavit ut cognosceretur et amaretur ; etiam ut mediante homine in majori amore et cognitione mundum sibi uniret. Idcirco Deus hominem creavit in Adam et Evam (Por eso Dios creo el hombre en Adan y Eva) ad finem unionis ac beatissimæ Incarnationis suæ. Apparet ergo luculenter Adam et Evam creatos fuisse ad finalem intentionem Incarnationis Filii...

» Præterea, volo te scire, quod existente humanitate una natura communi omnium, cujus principia sunt in Adam, finis vero consistit in Incarnatione Filii Dei, quoniam (in) incarnatione Filii Dei consistit finis universi creati, ut in sequentibus demonstrabitur. »

Idem (Blaquernæ Anachoretæ, nº 284) : « Utrum suus amatus plus eum amaverat assumendo ipsum, vel ipsum recreando ? — Amicus anceps fuit : attamen respondit quod recreatio fuit conveniens ad pœnam evitandam et Incarnatio ad dandam beatitudinem sempiternam et quod pœnæ devitatio erat citra terminum et beatitudo in termino. Et ideo putabat magis amoris argumentum quod ipsum assumpserat. »

MAGISTER DURANDUS DE SANCTO PORCIANO (1333) non tractat de quæstione *an Verbum incarnatum fuisset etiamsi homo non pecasset*. Sed lib. III, dist. XIII, q. II[a] : « *Utrum Christus secundum quod homo, sit caput Ecclesiæ ?*

» Affirmative... Videnda sunt tria. 1[um] est, secundum quid competit Christo esse caput Ecclesiæ. 2[um] est sit caput omnium et angelorum et hominum... In capite humano est duo considerare, scilicet rationem convenientiæ natu-

ralis cum cæteris membris et rationem differentiæ ab eis quæ attenditur in tribus, scilicet in ordine, perfectione et virtute. In virtute, quia virtus et motus cæterorum membrorum et gubernatio eorum in suis actibus est a capite, propter vim cognitivam et motivam ibi dominantem... Sed Christus secundum quod homo... habet etiam virtutem influendi sensum et motum spiritualem membris Ecclesiæ...

» Sciendum quod Christus secundum neutram naturam (divinam et humanam) est caput angelorum quantum ad rationem naturalis convenientiæ quam debet habere caput cum membris, sed quantum ad alias tres conditiones potest dici caput angelorum et hominum... habet etiam eis (angelis) influere divinas illuminationes, ut dicit Dionysius 7 cap. cælest. Hier. et ideo Christus secundum quod homo non solum est caput hominum sed etiam angelorum. Et hoc expresse dicit Apost. Coloss. 2, loquens de Christo qui est caput omnis principatus. Et eadem est ratio de omnibus ordinibus angelicis. »

Christus, caput angelorum, debet esse prior universis creaturis decretus.

PETRUS DE PALUDE (1280-1341). In III Sent., dist. XIII, art. 3. Quæritur 2° : *an Christus sit caput angelorum ?* Sciendum quod Christus secundum neutram naturam est caput angelorum quantum ad rationem naturalis convenientiæ quam debet habere caput cum membris. Sed quantum ad alias tres conditiones potest dici caput angelorum et hominum. Cujus ratio est quod ubi est unum corpus necesse est ponere unum caput ; sed multitudo angelorum et hominum pertinet ad unum corpus mystice loquendo ; ergo habent unum caput.... Cujus multitudinis Christus caput et non solum secundum quod Deus sed etiam secundum quod homo, quia bona gratiæ participat perfectius et eminentius quam etiam angeli ; habet

eis etiam influere divinas illuminationes, ut dicit Dionysius 7 cap. cœl. Hier., et ideo Christus secundum quod homo non solum est caput hominum sed etiam angelorum... Quamvis autem Christus sit caput angelorum et hominum, non tamen æqualiter omnium. Nam quidam uniuntur Christo actualiter per gloriam et alii per fidem, alii per solam fidem, alii solum in potentia... Qui autem ei nullo modo uniuntur nec actu nec potentia, damnati scilicet, totaliter desinunt esse membrum Christi. »

Non tractat ex professo de motivo Incarnationis, sed quod dicit de gratia angelorum implicat Primatum Christi.

FRANCISCUS DE MAYRONIS, O. M. (1323) in III dist., XVII, q. 4 : Utrum si Adam non peccasset Christus incarnatus fuisset. — Probat quod sic : «...6° prius fuit prævisa Christi prædestinatio quam reprobatio malorum vel peccatorum casus ; igitur prius fuit prævisa Christi Incarnatio quam Adæ prævaricatio vel mors Christi. » (Venetiis, 1520, p. 170.)

De angelis autem in II dist. IV, V, q. I : « Utrum meruerunt suam beatitudinem ? distinguit 6 signa : 1° in quo fuerunt in puris naturalibus creati ; 2° in quo ad bonam operationem conversi, ex naturalibus eliciendo bonam operationem... In 3° fuerunt sub gratia Christi » ...Ergo Christus meruit gratiam angelis, teste Mayrone.

PETRUS AUREOLUS, O. M. (1345) (In III Sent., dist. I, art. V) :

« Ultra hoc est dubium de hoc, quod si homo non peccasset et Filius Dei incarnatus non fuisset... Ego autem dico quod venisset, sed non eo modo quo venit, scilicet ad immolationem et mortem sustinendum. » (Romæ, MDCV, t. II, p. 374.)

PETRUS DE AQUILA seu Scotellus, creatus Episcopus Sti Angeli an. 1338. (In 3, Dist. II) : « Utrum

si homo non peccasset, etc. — Videtur quod non, etc.

« Contra : Christus est prædestinatus ab æterno secundum apostolum ad Rom. I. Peccatum est temporale, sed nullum temporale est causa æterni. Ergo si homo non peccasset adhuc Deus incarnatus fuisset.

» Summum bonum in natura humana non debet esse occasionatum ; sed Incarnatio Dei est summum bonum in natura humana ; ergo... , sed Incarnatio fuisset occasionata si fuisset facta propter peccatum.

» Præterea homo est compositus ex duplici substantia et secundum utramque est beatificabilis ; sed non potest secundum partem sensitivam beatificari in videndo divinam essentiam ; ergo beatificabitur secundum hanc partem videndo Christi humanitatem. Ergo si Deus non incarnatus fuisset homo non fuisset quantum ad utramque partem beatificabilis, et hoc est quod dicit Augustinus (De spiritu et anima) ».

B. Henricus Suso, O. P. (1365) (Dial. Sapient. Cap. xx) : « Finem nostrum (Mariam) post Filium suum. » (Som. des Grandeurs de Marie Jourdain, t. I, p. 24).

Ubertinus de Casal. O. M. (1308) (Arbor vitæ crucifixæ, lib.v, cap. xviii). « Ad finem omnium designatorem Jesum, hoc ultimum nos ducit capitulum, quia beatitudo et finis noster in ejus beatitudine consummantur, qui est fons et origo omnium bonorum et ipsorum crementum et ultimum complementum, quod de ipso dicit Joannes dilectus : Ego alpha et omega, principium et finis. Quia sicut per Verbum æternaliter dictum omnia producuntur, sic per Verbum carni unitum promoventur et finiuntur. »

Thaulère (1305-1379) O. P. (Sermones. Serm. I. Domin. I. Adv.)

« Certe rerum omnium conditor Dominus humanum genus ea ratione creavit ut cœlestis palatii sedes vacuas,

unde Lucifer cum suis complicibus deturbatus fuit, occuparet atque repleret. »

Cæcitas IV, caput XI, De Genitrice Dei :

« Et primo quidem de pulchritudine ejus (Mariæ) id habendum est pro comperto, eam *ab initio et ante sæcula* præ cæteris creaturis omnibus a Deo electam atque dilectam, ut esset Mater Dei, Regina cœlorum, Porta paradisi, Domina mundi, Mater gratiæ... Tanta namque puritate... emicat ut omni sit angelica puritate superior.

» Per ipsam (ut inquit quidam) et in ipsa et cum ipsa et ab ipsa habet mundus et habiturus est omne bonum, puta benedictum Filium ejus Dominum Nostrum Jesum Christum, qui est omne bonum et summum bonum, sine quo nihil est bonum. »

BARTHOLOMÆUS DE PISIS (1380), O. M. (De vita et laudibus B. Mariæ Virginis libri sex) — Fructus tertius libri I « ...De primo fructu, quod B. Maria sit a Deo ante alios prædestinata patet per Salomonem : Dominus possedit me in initio viarum suarum. »

Ibidem (Fructus sextus, lib. II) : « Quartum notandum, quod si Adam non peccasset, Christus, ut Redemptor, non venisset sed ut gratificator et glorificator. Prima pars patet, quia si Adam non peccasset, homo redimi non indiguisset. Secunda pars patet in prædicto tertio notando ».

Ubi his præsertim argumentis probat Incarnationem non fuisse peccato occasionatam : « Ratione perfectionis quam habet universitas creaturarum ex tali ad Deum unione... Ratione Ecclesiæ, quæ caput debuisset habere et Christus secundum apostolum est caput. Ratione adoptionis, quia si modo sumus filii Dei adoptione, multo fortius et ante peccatum ; sed nos sumus filii adoptionis, per hoc quod sumus unum in Christo et cum Christo secundum Apostolum, etc. »

LUDOVICUS A TURRI DE VERONA, O. M. (Apol. pro Immacul. Concep. B. M. V.).

7ª expositio solutionis 16 falso impugnatæ in 4ª parte invectivè : Christus fuit universalis redemptor, responderi potest, sicut et supra multoties, quod fuit redemptor hujus Immaculatissimæ eam præservando non sublevando.

8ª expos. solutionis 17 impugnatæ in 4ª parte invective : Sicut concedi potest angelos bonos fuisse redemptos qui tamen nunquam aliquod contraxere peccatum, ita potest dici Virginem fuisse redemptam quamvis a quolibet peccato immunis fuerit. » (MCCCCLXXXVI).

GABRIEL BIEL (1495). In III, dist. II. *Utrum si homo non peccasset nihilominus Deus incarnatus fuisset ?* — Cum Angelico et Seraphico Doctore respondet Biel, quod hujus quæstionis veritatem solus iste scire potest qui natus et oblatus est quia voluit. Unde satis est dubia hæc quæstio et contraria circa eam senserunt Patres. »

Et non concludit.

Sed in suis sermonibus sententiam affirmantem amplexus est. Nam, in festo Conceptionis Mariæ, Ser. I :

« *Necdum erant abyssi.* Verba ista... per allegoriam de ipsa Virgine leguntur ab Ecclesia quæ ejus prioritatem ad cæteras creaturas clare exprimunt. Verum licet multiplex secundum Aristot. in postprædicamentis sit prioritas, tamen nostro proposito nunc triplex deserviet scil. prioritas naturæ, dignitatis et temporis. Quod sit Virgo prior natura cæteris ex hoc clarere posset, quoniam in ipsam tanquam in finem cæterarum generatio ordinatur. Finis autem quia causa prior est ordinatis in ipsum, saltem quantum ad intentionem. Dicendum ergo restaret quomodo Virgo nostra hodie concepta, cæteros præiret dignitate similiter et tempore, non ubique in effectûs productione, sed tempore imaginario in divinæ providentiæ ordinatione. Sed hoc tertio demisso, solum de secunda prioritate agendum.»

De circumcis. Domini, sermo I : « *Vocatum est nomen ejus Jesus*... A natura propria habet quod sit salvator. Ipse est Verbum hoc per quod omnia facta sunt : haud dubium quin omnia facta per ipsum in ipso sunt salvata. Salvavit in temporis initio angelos bonos conferendo ne caderent. Salvavit in fine temporum hominem lapsum reparando ne jaceret. »

S. Bernardinus Senensis O. M. (1380-1444) (De universali regno Jesu Christi Serm. 54 Art. I. Cap. II) : « Secunda autem ratio quare Deus cuncta creavit, est propter Christi exaltationem. Nam principalis natura in creatione intenta a Deo ab æterno fuit, quam ipse prædestinavit ad personalem unionem ; et cum ipsa persona Christi sit omnium summa in ordine gratiæ, quæ superat ordinem naturæ, ad ipsam Deus, qui in omnibus primatum tenet et ad ejus gloriam et honorem omnia ordinavit, ut ex omnibus bonis et malis honor accrescat Deo homini Jesu Christo. » (Edit P. J. de la Haye, t. I. p. 369).

Idem. Serm. 56, De Passione Domini (3ª pars pricipalis, art. I, cap. I).

« Primo quidem occasio, quare diabolus sanctam Ecclesiam primo in angelis in cœlo, secundo in hominibus in terra impugnavit et persecutus est, extitit fides Christi incarnandi, quem proposuit universalem mediatorem inter se et creaturam rationalem. Non enim fas est dicere plures esse Mediatores... Proinde cum creasset angelos Deus in libertate naturæ revelavit eis incarnationem Filii sui, quem proposuit Dominatorem universæ terræ ut per hæc si vellent per Christi meritum et gratiam ascenderent a terrâ ad gloriam... Huic quidem Incarnationi quidam angelorum favebant... Cæteri vero superbientes angeli circumventione Luciferi attracti contemnebant inferiori naturæ subjici, et ad hoc invidebant Incarnationem Christi... Et subdit Joannes Apoc. XII : *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni* : et hoc

quantum ad meritum Passionis Christi. Sed dubium est quomodo de Angelis hæc dicuntur ; non enim peccaverunt, ut propter hoc reconciliatione eguerint, specialiter ut per sanguinem ejus reconciliarentur Deo. Ad quod dicendum est, quod licet Redemptor et Reconciliator unus est Christus, Redemptor tamen ex eo dicitur quod pro peccatis suorum Deo Patri integre satisfecit. Reconciliator vero dicitur, quia gratiam ejus promeruit... Hominibus ergo... Christus Redemptor fuit... Reconciliator vero est angelis quia gratiam eis promeruit... Egebant enim angeli Reconciliatore seu mediatore qui eis a Deo gratiam mereretur... Non igitur dicit B. Joannes, quod angeli redempti sunt in sanguine Agni... sed ait : quia ipsi vicerunt eum in sangnine Agni... Tam enim beati angeli quam etiam electi homines vicerunt diabolum in sanguine Agni : non propriis viribus sed merito Jesu Christi, *quod* completum est in passione et cruce illius.

Idem. (De glorioso nomine Mariæ sermo III, cap. II) : « Unde iste est hierarchicus ordo et deflexus cœlestium gratiarum ut prius a Deo defluat in Christi animam benedictam... Deinde defluat in animam Virginis, inde in Seraphim, etc. » (Edit. P. J. de la Haye, t. 4, p. 104.)

P. Robertus de Licio O. M. Nullo modo concludit in suo Opus quadragesimale et prædicationes de adventu. Etenim secundo fructu : Jesus desideratus, utraque sententia de Incarnatione exposita, opinionem propugnantem Primatum dicit *sustentabilem*, contrariam autem *probabilem* et tertiam *commendabilem* scilicet quæ « dicit Christum natum ut hominem perditum salvum faceret quin investiget ea quæ potuerint evenire si homo non peccasset. »

In opere : De laudibus Sanctorum (sermo III) fuse explanat utramque sententiam et addit : « Et ne fatigentur ulterius animi auditorum cum utraque opinio stare possit, ego dico quod si non peccasset homo, quid fuisset

nobis revelatum non est. Sufficere nobis debet quod Christus factus est ut peccatum generis humani deleret. »

Sed jam videtur Primatum Christi propugnare in opere cui titulus : Sermones præstantissimi de adventu et de quadragesima (Sermo XIX de Adv.)

Christus est caput nostrum 1° ratione superioritatis ; 2° ratione dignitatis ; 3° ratione providentiæ ; 4° ratione gratiæ.

« Cap II. Primum, utrum possit esse influentia a Christo homine in corpus Ecclesiæ...

» Circa primum est sciendum quod Christus homo influit gratiam corporis Ecclesiæ et membris ejus tribus modis : 1° per modum meriti ; 2° per modum exemplaris ; 3° per modum capitis. »

Affirmat etiam Christum esse caput angelorum eo quod imperat ipsis sibi subjectis. Addit :

« Circa secundum dubium est notandum quod a capite Christo homine recipiunt angeli singulariter tria : 1° cognitionem veritatis ; 2° honorem ; 3° dulcedinem. »

Sed clarius sermone XXV de Immaculata Conceptione Deiparæ, cap. I, Primatum Christi propugnat :

« Primo Virginis illibatæ conceptio dicitur divinalis quoniam ab æterno Deus suscepit illam in sua mente. Ad quod intelligendum scire debemus quod propositum cordis dicitur conceptio. Unde quum quis deliberat aliquid facere dicere solet : ita concepi animo. Sic Deus antequam aliquid crearet, in sua voluntate firma et incommutabili proposuit creare unam puellam virginem sanctissimam quæ esset Filii sui unigeniti futura mater... »

Sed objicitur quod cuncta quæ sunt, fuerunt in mente divina ab æterno. Respondit , « Aliquid dicitur prius altero quatuor modis. Primo æternitate ; sic Deus præcedit omnem creaturam ; 2° origine ; sic sonus præcedit cantum ; 3° tempore... ; 4° electione vel dignitate. Sic aliquis præelegit fructum magis quam florem.

» Virgo igitur fuit prior omni creatura, exceptâ natura creata sui dilectissimi Filii, electione seu dignitate. »

Propugnat ergo Primatum Christi.

S. Laurentius Justinianus. (1455.)

« Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. — Istius modi eloquia de cellario ardentis pectoris, ideo mediator ipse protulit, ut in amorem sui sanctam excitaret Ecclesiam, traheret ad se, et copularet sibi. Illam siquidem nimium diligens, corporis sui pabulo saginare cupiebat, quatenùs indissolubilis charitatis pace firmata, sanctissimi connubii celebrarentur insignia, fierentque duo in carne una, quemadmodum ab ipso mundi exordio per Adam vaticinatum fuerat. Quum enim Deus mulierem, quam de ipsius Adæ costa formaverat, statuisset ante eum, ait : « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. » (Lib. de triumphali Christi agone, C. II.)

Ergo Adam habuit fidem in Christum venturum ; in hoc actu fidei meruit, sine dubio, ex meritis Christi.

S. Joannes a Capistrano, O. M. (1456) (schema pour le mardi après le dim. *Reminiscere* : sermons recueillis à Breslau par Jean Rodenkerche et donnés aux Frères Prêcheurs. Bibliot. nationale de Paris, fond latin nº 91608, feuille 19, col. 3) : « Quand Lucifer se disait en lui-même : « Je placerai mon trône à l'aquilon et je serai semblable au Très-Haut, » le Fils de Dieu dit à S. Michel : « Reçois mon étendard, va contre lui en combattant et crie : « Jésus, Jésus, Jésus! » Sur cet étendard était écrit le Nom de Jésus. C'est ce que fit S. Michel. » (L'Eucharistie et le Mystère du Christ, chap. XXIII, p. 327, not. 2).

B. Amedeus de Sylva, O. M. (Raptus V. de B. V. Mariæ, apud Alva y Astorga, Mare Magnum Marianum). « Vois, o Lucifer, tes frères qui ont adoré, aimé le Christ.» (L'Eucharistie et le Mystère du Christ, chap. XXXIII, p. 312).

Dionysius de Leuwis, Carthusianus (1471). (In III Sent, Dist. I, qu. II ; Utrum si homo non peccasset, etc.)

Si inspicias methodum procedendi ubi 1º loco pro-

pugnat opinionem affirmativam ipse sentiret pro negativa.

Attamen recitatis verbis S. Thomæ quod videlicet Scriptura non assignat Incarnationi aliud motivum quam Redemptionem hominis, Dionysius dixerat : « Quibus objici posset quod multa sunt divinæ voluntatis secreta, decreta ac opera, quæ in Scripturis non continentur ; talia quoque possunt hominibus puris ac sanctis desuper immediate revelari ac inspirari quamvis non redigantur ab eis in scriptis. Frequenter ibidem in Scripturis de Incarnationis mysterio agitur, uti ad hoc ratio ex primi hominis peccato non assignatur, ut cum Jeremias prædixit : Novum creavit Dominus super terram... ac alibi sæpe. »

Et infra, exposita sententia S. Thomæ, Petri, Richardi et S. Bonaventuræ, Uldaricum proponit qui suam negativam opinionem sic defendit : « Assertores illius opinionis (affirmativæ) melius sciunt et sentiunt de his quam apostoli et prophetæ et quam aliquis sanctorum doctorum, imo quam Christus, quod absit : blasphemia enim est. »

« Udalricus, ait Dionysius, in his, sicut in multis aliis, immoderate effundere se videtur præsertim quum Thomas, Bonaventura et alii magni dicunt utramque opinionem probabiliter posse defendi, a catholicis quoque doctoribus sustineri et rationabiliter solvunt quæ contra utramque objiciuntur. Denique Scriptura multoties tangit charitatem Dei ad hominem esse incarnationis incitamentum ac tantæ unionis principium : — Rursus Christi humanitatem Deus plus diligit, imo æternaliter plus dilexit quam totum residuum universum, quoniam majus bonum, utpote personalem sui conjunctionem cum illâ, seu esse suum personale increatum, ei communicare decrevit et communicavit ; idcirco probabile reputatur quod quamvis non fuisset peccatum, eam non omisisset creare et sibi unire.

» Hinc Alexander Magnus (sic Alensem nominat)

qui appellatur irrefragabilis Doctor : « Respondeo ait, etc. »

Hac citatione concludit quæstionem.

Nicolaus Card. Cusa (1464) (Excitationum liber IV. Ex sermone : Vidi civitatem sanctam).

« Deus creavit nos omnes... Sicut artifex primo concipit totam ædem sacram, quæ in tempore explicatur... quæ non est ædes sacra sine altari, ut altare sit pars ædis sacræ et finis ædis sacræ est altare et finis altaris est oblatio, quæ est signum honorificentiæ Dei : sic Deus mundum totum creavit in uno nunc æternitatis, quasi ædem unam sacram, in quo altare quod est Christus et ipse oblatio est suprema honorificentiæ Dei, in quo coincidit altare cum oblatione, ut ipse sit finis completus tam creaturarum quam causæ creationis earum. Unde sicut finis præcedit omnia, tanquam id ad quod omnia ordinantur, sic Christus est, non tempore ante creaturas sed primogenitus, quia finis omnium creaturarum... Christus igitur est A et Ω, primus et novissimus, principium et finis omnium creaturarum, omnes enim creaturæ in ipso quiescunt. Creatura enim, in eo altissimum assecuta est statum atque optimum finem scilicet hypostaticam unionem. »

Stephanus Brulefer, O. M. (1480). (III, Dist. I[a], q. VI).

« Incarnationis causa volitiva propria fuit Christi voluntas ».

Et q. VII : « Incarnationis ratio præcipua fuit peccati prævaricatio si loquamur de ea per respectum ad defectum passibilitatis et mortalitatis ; secus si loquimur de ipsa assumptione simpliciter ; quia illo modo etsi homo non peccasset Dei Filius naturam humanam assumpsisset. »

Jacobus de Valentia, Episc. Christopolitanus (1490).

« Inter res duplex potest æqualitas considerari quan-

tum ad præsens expectat. Una dicitur æqualitas æquiparantiæ et commensurationis ; et altera æqualitas communicationis alicujus proprietatis et perfectionis. Prima æqualitas nullo modo potest esse, nec considerari, nec intelligi inter aliquam creaturam et Deum ; quia talis solum est inter Personas divinas... et nunquam talem æqualitatem potuit Lucifer appetere, nec etiam intelligere cum sit simpliciter impossibilis. Secunda autem æqualitas est possibilis. Nam possibile fuit, ut Verbum assumeret humanitatem Christi in unitate Personæ... et quod communicaret ipsi non solum judiciariam potestatem super angelos et homines, sed imperium super omnes creaturas et super totum universum... Sed quod Lucifer appetivit prædictam celsitudinem et imperium probatur ratione et auctoritate.

» Nam licet Lucifer non fuit prescius sui casûs ante lapsum, nec etiam casûs hominis, tamen fuit præscius mysterii Incarnationis Filii Dei ; quia non minus fuit revelatum ipsi, quam homini, qui in illo sopore prænovit Incarnationem, ut inquit Augustinus, et per consequens vidit Lucifer solium et sedem præparatam supra totam naturam angelicam et super omnem creaturam absque hoc quod sciverit mysterium passionis Christi et humanæ redemptionis ; sed non ignoravit mysterium Incarnationis et exaltationis humanitatis Christi, et sic habuit occasionem perverse appetendi. Unde in hoc conveniunt omnes Doctores, quod Lucifer appetiit summam celsitudinem et æqualitatem quæ sub Deo potest esse et intelligi... Et quod Lucifer attentaverit usurpare sedem Christo præparatam, supra totam angelicam naturam, probatur per illud Is. XIV, cum ait : « Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo : in cœlum ascendam : super astra Dei exaltabo solium meum... ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.

»...Diabolus illico appetivit mortem et annihilationem Christi quia prævidit Christum regnaturum et invidit et

sic concepit homicidium et appetivit mortem contra Christum. Hoc voluit etiam explicare Salvator (Joan., VIII) quando dixit de diabolo quia *ab initio ille homicida fuit quoniam in veritate non stetit ;* quia fuit homicida appetendo mortem et annihilationem Christi... » (Explanationes in Psalmos, Ps. LXXXI — 6).

» Christus ante casum Luciferi fuit caput omnium bonorum angelorum dum fuerunt viatores. Probatur. Nam pro tunc habuerunt veram fidem, et per consequens spem de Christo venturo a quo non erraverunt, imo ipsi adhæserunt, etc... » (Ps. CII — 5.)

Olivier Maillard, O. M. (1502). (De adventu Domini sermo primus communis).

1° *Quæritur utrum si homo non peccasset filius Dei,* etc...

« Videtur quod non...

» Tamen moderni doctores dicunt contrarium... eo quod per Incarnationem Filii Dei non solum est liberatio a peccato sed etiam humanæ naturæ exaltatio ac totius universi exaltatio facta est. Et hoc probatur duplici ratione ; — 1° ratione perfectionis humanæ naturæ sic : Tunc creatura est perfecta quando conjungitur suo principio... Cum igitur Deus sit primum principium et homo sit ultima creaturarum, ad perfectionem igitur hominis et universi fuit magis conveniens si homo non peccasset quod Deus homo fieret.

» 2a ratione capacitatis humanæ naturæ sic : capacitas humanæ naturæ per peccatum in aliquo non est ampliata. Sed si post peccatum humana natura est capax tanti boni ut Deo uniretur et a Deo assumeretur in unitate divinæ personæ, ergo multo magis ante peccatum fuit tanti boni capax.

» 3a ratio potest assignari ex parte Dei sic : Si Deus tantum naturam humanam post peccatum dilexerit quod propter eam incarnari voluit non minus eam dilexisset si non peccasset ; ergo incarnatus fuisset. »

Et (De Conceptione Beatæ Mariæ) :

« Deus a principio mundi creaverat lumen et lumen inter creaturas est pulcherrima creaturarum. Oportet ergo istius luminis applicare proprietates beatæ Virgini. Primo quod sicut lumen fuit prima creatura producta, ita Virgo inter puras creaturas. Dico quod aliquid potest esse prius alio quadrupliciter.

»... In materia de prædestinatione (Scotus) dicit quod sapientissimus Artifex in intentione sua primo vidit et concepit finem ; secundo vero quæ sunt ad finem proximiora. Ergo beata Virgo fuit prima prioritate temporis seu dignitatis inter creaturas puras. Solus enim Christus ipsam in dignitate præcedit sicut dicit Christus: In capite libri scriptum est de me. Inter enim omnes prædestinatas animas, anima Christi est prima et secunda beatæ Virginis. »

ROBERTUS GAGUINUS (1502), Ord. S^{mæ} Trinit. (Tractatus de Conceptione Beatissimæ V. M. contra Vincentium de Castro Novo) Parisiis, 1617, p. 24 :

« Ecce iterum insanis et Christi sanguine lotam
 Clamas, admitto ; sic tenet alma fides.
» Solius est Christi dono, genus omne redemptum
 Nec tanto eximitur munere munda parens.
» Ille nec angelicus qui stat clarissimus ordo,
 Hoc tanto fructu se caruisse fieret.
» Sed pluris longe est lapsu servare cadentem
 Tergere quam lapsi fætida terga luto.
» Gratior est veniens præ morbo cura medentis,
 Quam febrem passo mox revocata salus. »

Ergo angeli sicut Maria Virgo a Christo fuerunt præservati.

P. CHRISTOPH. CAPUT FONTIUM, O. M. (Défense de la foi de nos ancêtres, chap. XLVI) : « Le mariage, dit S. Paul, est un très grand sacrement en Jésus-Christ et son Eglise, lequel ne pouvait être consommé par tous les signes, figures et autres qui avaient été donnés aux hommes auparavant, ni par le sacrement, s'il n'y avait en iceluy que des signes et des figures de la Chair, et si le

vrai Corps de Notre-Seigneur, Chair, Sang et Os n'y estoit réalement. Ce sacrement a été inventé par un conseil admirable de la Sapience de Dieu pour faire cette union sans aucune absurdité ou charnalité en elle, quoy qu'elle fust corporellement et réalement faicte. »

P. J. B. THEATINUS, O. P. (1517). (Opus Andronicum. Sermo nonus : De germinatione arboris Andronicæ, cap. I).

Exposita analogia inter Verbum divinum et mentem humanam, ait : « Et ita non frustra, ut aliqui existimarunt, quod et Adam in originali persistente justitia ad perficiendum universum incarnari debebas (O Verbum), cum profecto omnia opera tua perfectissima sint. »

Superius Serm. Octavo, cap. II de peccato originali, exponit quam justa fuerit pœna filios Adam expolians ab justitia originali : « Et propter hoc dixit Propheta : Succidite arborem et præcidite ramos ejus. O Pater infelix, sed filii infeliciores licet germen ejus, id est, beatissima Virgo cum Filio suo abscissi non fuerunt, tamen, Christo excepto et Maria, omnes qui homines nuncupantur ex peccato et in peccato concepti sunt. »

Ergo jam ante peccatum, germen Adam, i. e. Maria cum Filio germinare debebat !...

ÆGIDIUS ROMANUS, Bituricensis Episc. (Venetiis, 1482), videtur Primatum propugnare. Nam (in III Sent. dist. X, pars III, q. I, art. II, Resol. dubii II, lateralis). « Ergo prædestinatio Christi fuit causa efficiens executiva et fuit causa exemplaris et finalis ; fuit enim causa efficiens quia ut dicitur ad Ephes. I : « Quia prædestinavit nos in adoptionem filiorum per J. Ch... »

» Christus est causa prædestinationis nostræ finalis... Nam prædestinatio nostra tota est, ut simus membra Christi... In hoc primo stat finaliter prædestinatio nostra ut compleamus ædificationem corporis Christi quantum ad omnia membra sua. Sunt enim membra Christi non solum qui fuerunt et qui erunt post Christum electi et

salvandi, sed etiam illi qui fuerunt ante Christum electi et salvandi. Propter quod Aug. 18 de civit. Dei, cap. 47 : « Nulli concessum est pertinere ad spiritualem Jerusalem nisi cui revelatus est Christus. »

Et dist. XXIII, pars II, q. II, art. I, agitur de fide quam habuit Adam innocens :

« Fides est de redemptione ratione peccati Adæ... Sed si Adam non peccasset fidem habuissemus de Deo creatore et glorificatore nostro. Sed non de Deo Redemptore nec talem fidem oportuit habere Adam, quia non fuit præscius sui casûs.

» Vel possumus dicere quod in illo sopore Adam interfuit cælesti curiæ et multa fuerunt tunc sibi revelata et prophetavit de conjunctione Christi et Ecclesiæ... Si prophetavit de Christo habuit fidem de Deo incarnando. »

P. MICHAEL DE BONONIA CARMEL. (Mediolani, an. MDX) (quæstiones disputatæ in 4 lib. Sent. III Lib.) « Utrum Adam si in originali permansisset innocentia Verbum carnem assumpsisset... Affirmantem sent. complectitur :

« Tertia conclusio est quod si Adam in innocentia originali permansisset adhuc Verbum Dei carnem assumpsisset quod probatur tripliciter. »

Probat 1° ex argumento Anselmi quod videlicet nullus beatus gaudere debet de casu alicujus ; 2° ex exaltatione naturæ humanæ et 3° ex beatificatione hominis quoad vitam sensitivam.

BERNARDINUS A BUSTIS (Rosarium Sermonum, IIa Pars, sermo X, de nobilitate animæ). — « *Quæri potest numquid si angeli non peccassent Deus hominem creasset* — probat quod sic multiplici respectu.

» Quintus respectus dicitur prævisionis. Secundum enim Bernardum quem recitat Alensis, Lucifer immediate post creationem suam ex divina irradiatione cognovit Filium Dei incarnandum... Præterea secundum opinionem

rectius sentientium de qua in 5ª part. principali marialis, sermone 4, parte 1, per totam et fer. 5, si homo non peccasset Dei Filius incarnatus fuisset, non ut redemptor sed ut amator et glorificator. »

Probat conceptionem immaculatam Deiparæ et exponit ipsam fuisse a Christo redemptam perfectius quam homines et recitat verba Bernardi de redemptione angelica.

Serm. v de nativitate sic glossat verba Proverbiorum : « Ipsa (Maria) merito dicere potest verba hæc : ab æterno ordinata sum scil. sponsa Dei et mater Filii ejus ; et ex antiquis antequam terra fieret, i. e. ante omnem corporalem creaturam ; necdum erant abyssi, i. e. angeli quia abyssi dicuntur propter eorum intelligentiam profundissimam. »

Eleutherius Albergoni Mediolanensis Episc. Montis Mariani, O. M. Conv. (Connexio Evangeliorum quadragesimalium. — Sab. post secund. domin.) :

« Non negamus Mariam esse matrem angelorum et omnium creaturarum, quæ dicit : *Cum eo eram omnia componens*, quando ante angelos et cunctas creaturas æternaliter præordinata est et de qua merito Bernardus inquit : Merito o Domina, in te respiciunt oculi omnis creaturæ, in qua et ex qua benignissima manus Dei quidquid creaverat recreavit. »

P. Petrus Posnaniensis, O. M. Polonus. Antverpiæ, 1538 : « Institutiones sacræ litterales etc. in dominicas. Pars Iª, Dom. infra Oct. Epiphaniæ. Institutio speculativa. De æterna electione Beatissimæ Virginis Mariæ).

Nº 83 : « Quare igitur et Beatissima Virgo in persona Sapientiæ gloriari non debeat, quod ante omnem creaturam producta sit in mente divina ? Ab initio et ante omnem creaturam ? Siquidem de se testatur quod usque ad futurum sæculum non desinet : est ex eorum numero, quæ nec deficiunt nec antiquitate senescunt, ab æterno post Christum Dominum immediate in mente divina producta et nunquam ab eo derelicta…

» N° 84 : Hanc (Mariam) ostendit Trinitas sanctissima angelicæ naturæ, in ipsâ suî creatione ut eam velut matrem Dei adoraret, eam super angelicam naturam in corpore et anima exaltaret ; ac ideo hanc super omnes exaltatam, Reginam angelorum quia Lucifer cum sequacibus suis noluit adorare, dedignans tam Verbum, quam matrem ejus, ad tartara detrusus est ; qui vero adoraverunt in gratia sunt confirmati. »

Pars II, Domin. XV post Pent. n° 216 : « Nullus eam (Incarnationem) meruit, nec ipse Christus, nec B. Virgo .. quoniam fons et origo omnis meriti est Christus, sicut fons et origo radiorum solis est sol. Sicut autem impossibile est radios solis præcedere solem, ita impossibile est aliquod meritum præcedere Christum. »

Lanspergius Carthus. (1539) (Sermones in Evangelia. Domin. XII post Trinitatem) : « Non ad hoc præcipue Dominus noster J.-Ch. in hunc mundum venit ut infirmorum corpora sanaret... sed ut animas salvas faceret quæ perierant. »

Sed non videtur Lanspergius per salutem intendere redemptionem ; nam (tom. II, In festo Conception. M.) sic : « Eva in sua creatione omnis maculæ expers fuit ac vitii. Num Eva inferiorem putabimus Mariam... Absit igitur ut in Eva præferamus imaginem ac figuram veritati. Nihil enim nisi figura beatissimæ Mariæ fuit Eva. Sed quomodo quis dubitare possit de beatissima Virgine ab initio et ante sæcula in Dei Matrem electa, quin illius conceptio munda fuerit et sine peccato ? »

Ergo, Lanspergio teste, Maria prior Evâ decreta fuit. A fortiori Christo debetur Primatus.

Giovan'Antonio Panthera Parentino, (Monarchia del nostro Signor Giesu Cristo.)

Lib. I, cap. VI, exponit revelationem Incarnationis factam fuisse Angelis quibus datum fuit præceptum adorandi Verbum Incarnatum.

Cap. VII, tractat de inobedientia Luciferi qui adversatur Primatui Verbi incarnandi.

Sequentibus capitibus exponit astutias, et tentationes Luciferi ut impediret executionem mysterii Incarnationis.

LE GRAND MARIAL, par X. Paris, 1539.

Livre 1er, chap. IX, de la prédestination de Marie.

« Pour venir donc à son commencement (de Marie) devant tout commencement, en sa personne est convenablement dit par la Sapience : *Ab initio et ante sæcula creata sum.* Dès le commencement et devant tous les siècles je suis créée : C'est assavoir en la divine prédestination. Et en un autre passage : *Dominus possedit me.* Dieu le Créateur dès le commencement de ses voies m'a possédée : C'est assavoir devant la création du monde il m'a élue et préordonnée. »

Livre II de sa Conception Immaculée, chap. XXIII.

« Et quant à ce que si ainsi était que la Vierge Marie eut été conçu sans coulpe originelle, que point n'eut été rachetée, ne participante du mérite de la passion de son Fils... Marie a été préservée de la coulpe originelle, par quoi a été rachetée beaucoup plus parfaitement que les autres. Comme dit S. Bernard : *Christus etiam Angelos redemit, illos præservando, homines purgando.* »

ALBERTUS PIGHIUS. (1542). (Lib. VIII, c. 3, de libero hominis Arbitrio) : « Hoc itaque pacto nobis cogitandum est Deum ante omnia voluisse Verbum suum hominem fieri et in humana natura regnare super universam rationalem creaturam... Post creatos itaque jamdudum Angelos illius regni sui Filii futuros concives, mundum hunc sensibilem voluisse postea condere... » Hoc idem affirmat multis aliis in locis.

JUDOCUS CLICHTOVEUS (1543). (Sermones — de Concept. B. V. M., sermo III — 2a pars). Probandum... quod B. Virgo fuit aliena a peccato originali. Prima ratio. Primus Adam formatus est de terra materiali, virgine tamen et non subjecta maledictioni... Et ipse fuit (secun-

dum Apostolum ad Rom. v) forma futuri et secundi Adam figura. Ergo longe potius secundus Adam (qui reparavit quod prior destruxerat) formatus est de terra spirituali nullo maculata peccato neque maledictioni subjecta : quoniam per eam benedictio est nobis præstita... Secunda ratio. Prima Eva formata est et producta a Deo sine peccati macula. Et ipsa solum fuit secundæ Evæ figura et imago. Ergo B. Virgo (quæ secunda est Eva et reparatrix feminæ prioris) longe potius fuit producta sine peccato. »

Concludendum videtur : Figuratum præcedit in intentione figuram. Ergo Christus et Maria in mente divina Adamum et Evam præcesserunt.

Ruardus Tapper, Universitatis Lovaniensis Decanus (1550). (Explicatio articulorum venerandæ facultatis Sacræ Theologiæ etc... Art. viii, De Justificatione) dicit quod certum est omnibus et semper necessarium fuisse fidem salvatoris ad justificationem. « Quamvis autem de sanctis Angelis ex Scriptura clare non possit doceri quod hanc fidem Christi Domini sui habuerint, Scripturis tamen consentaneum est et multum verisimile, quod ostensum sit eis in lumine fidei quod Christus Dominus in carne quam Filius Dei assumpturus erat, a Patre universis creaturis præponeretur etiam angelicis...

» An vero, qui Christo adhærebant et ex fide, quam acceperant, se ei sponte subjecerunt, ab eo ejusque merito sint justificati ; an ex pura gratia Dei Patris, sine Christi merito... ex Scripturis quoque non omnino est manifestum.

» Ratio enim Capitis cujus est influere vitam, sensum et motum in membra hoc exigere videtur : est enim Salvator Corporis sui... »

Ruardus, quamvis « *ex Scriptura clare doceri non potest ; ex Scripturis non omnino est manifestum, multum verisimile* habet quod *ostensum fuerit angelis in lumine fidei* regnum universale Christi. »

Ambrosius Catharinus O. P. (1487-1553) Episc. Conzanus, eximius Theologus in Tridentino Concilio. In duobus opusculus : *Annotatio specialis in commentaria Domini Cajetani*, Romæ, 1551 ; et : *De Eximia prædestinatione Christi*, Parisiis, 1541, permultis et nervosis probat argumentis quod Adamo non peccante Verbum incarnatum fuisset. Sic incipit opusculum *De eximia prædestinatione Christi :*

« Quoniam ad Dei gloriam et Christi sui honorem, et pleniorem Scripturarum notitiam magnopere attinere perspexi, persuasum esse omnibus eximiam ipsius Christi prædestinationem qua ab initio et ante sæcula decretum fuit, ut in illo et propter illum, ut Paulus ait (Col. 2. Heb. 1.) omnia conderentur atque consisterent et omnis alia cujuscumque prædestinatio non solum ipsius prædestinationem sequeretur, verum tamen in ipsius prædestinatione fundata esset, non inutiliter mihi id operis sumpsisse videor, quo hoc potissimum omnibus, modo nolint in immensum protervire, efficacibus rationibus et Scripturis persuadeam et consequenter ostendam falsam esse et, propter honorem ipsius Domini Jesu Christi, nullo modo recipiendam illorum opinionem, qui arbitrantur, si Adam non peccasset Christum omnino non fuisse futurum... »

Idem. (Com. B. Pauli ad Coloss. 1. « Quia in ipso condita sunt, etc... Placet igitur mihi ut dicamus, per ipsum facta esse omnia ; quia cum Patre Filius omnem condidit creaturam. In ipso autem sunt omnia condita tanquam decreto illo capite et fundamento, in quo cuncta collocarentur atque consisterent... nullus sanctificatus est qui non ex ejus plenitudine acceperit. Ille namque secundum divinam prædestinationem ante omnes fuit. »

S. Thomas a Villanova (1555). Super illud : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Ps. cxxxii. » Sic :

« Fraternitas optima est et jucunda ; illa tamen quæ ab unguento charitatis procedit... Hujus ergo unctionis

abundantia maxime in capite est : Caput Christus Deus, id est inter divinas Personas ; diligunt enim se mutuo ex charitate et inter eas infinita est dilectio. — Non potest imaginari major concordia in mundo. Nam sicut unio infinita ita et concordia infinita est... Sed numquid in solo capite servabatur unguentum istud et balsamum odoriferum et pretiosissimum ? Non ; sed a capite utique descenderet ; et primo in primum et altissimum fastigium totius creaturæ scilicet in barbam ; barbam autem non cujuslibet, sed Aaron summi illius Pontificis, qui se obtulit Deo hostiam pro mundo in odorem suavitatis, id est in humanitatem Christi. Post enim illam ineffabilem charitatem, quâ tres Personæ divinæ se mutuo diligunt, secunda hæc est, quâ humanitas hæc sacratissima diligitur ; ipsum enim hominem Christum sicut super omnem potestatem, et principatum constituit, ita et super omnes diligit. Nullus Angelus, nullus Archangelus, nullus Cherubim aut Seraphim ita dilectus est. Unde ait : Hic est Filius meus Dilectus, in quo mihi bene complacui. Unde in canticis merito repetito vocabulo, Dilectus ex Dilecto nuncupatur, id est primum Dilectum, et prima ratio diligendi ; quoniam in ipso electi et gratificati sumus omnes ante mundi constitutionem, sicut ait Apostolus. Et sic hæc secunda charitas est, ita etiam secunda concordia ; nam in prima sunt tres amantes et unus amor ; hìc autem e contrario sunt duo amores et unus amans... Sed neque hìc stetit unctio salutaris ; sed adhuc amplius descendit a barba in *vestimentum* id est *supernos illos spiritus* et beatas mentes civitatis supernæ. De his enim dixerat Isaias : vivit Dominus ; quia omnibus his velut vestimento vestieris (XLIX). In hâc beata conformitate et amores et amantes distincti sunt, sed indissolubili nexu beatitudinis glutinati, ut disjungi non possint, aut invicem discordare... Sed adhuc salutaris unctio descendit a vestimento ad oram vestimenti, id est Ecclesiam militantem... »

Unam ergo Ecclesiam constituunt angeli et homines et eorum caput est Christus sicut et ipsos gratificans.

Philibert Bonet. Les excellentes dignités de Marie (Paris, 1552).

Chapitre 2 : Ut probet Immaculatam Virginis conceptionem hæc dicit : « Si Dieu n'avait préservé Marie de sa tache originelle, il s'ensuivrait qu'il aurait fait plus d'honneur et de grâce à ses serviteurs, à savoir à ses saints Anges, qu'à sa Mère, car il est sans doute que c'est faire beaucoup plus d'honneur et de grâce à aucun de le racheter de vice et péché en le gardant que jamais il n'y tombe et n'en soit souillé, que ce n'est de le racheter de vice et péché en l'en relevant après qu'il y est tombé. Or il est certain que Notre-Seigneur Jésus-Christ a racheté les saints Anges de tout péché en les gardant et en les préservant que jamais ils n'y soient tombés, comme dit saint Bernard (serm. 22 in cant.)

» Chapitre 5. Les anges et les hommes sont très grandement tenus à la servir, l'aimer, etc.(Quod probat quoad angelos) : Son Fruit a racheté les saints Anges de vice en les gardant de tomber. »

Jacobus Nacchiantes O. P., Episc. Chioggiensis, Pater Concilii Tridentini (1569). (Scripturæ medulla. Arcanorum Christi... detectio... et discussio. Præludiorum, cap. III.)

« Mundum... Deus, nullâ ex re, certo produxit ; idque fecit per Unigenitum suum, nec modo naturaliter genitum, sed et Dei decreto hominem factum. Siquidem, ut ubertius, valideque ad Ephesios comprobatum est, primum, quod Deus apud se pro sua libertate constituit, Verbum fuit hominem fieri, et in ipso, per ipsum, et ad ipsum omnia instituere, condere, agereque. Ergo per Verbum æterno decreto humanitate vestitum, et ob id ante divinos oculos hominem factum, et instituta et condita sunt suo pro tempore universa... Et Hebr. I per eumdem Dei Filium non tam hominem factum, quam sui Legatum, et universorum hæredem definitum facta docet non modo, quæ factioni sunt consentanea, sed quæ

a factione videntur aliena, uti sunt sæcula, et in universum tempus et motus. »

Et in capite VI : « Deus omnipotens maximus cum condendis de rebus secum ab æterno constituit, primo suæ voluntatis decreto Unigenitum sanxit hominem fieri, et per ipsum sic decretum et per hoc apud se hominem factum omnia condere statuere, moderari, perficere... Rursum et in Christi gloriam delectus est hominum cœtus et in ejusmet gratiam tum immortalitate, tum felicitate donatus imo et secum in cohæredem assumptus, necnon et ipso expostulante in sui corporis membra conscriptus... Ex ardenti in nos voluntate Patris, ex beneplacito ac exstimulatione Christi statutum est reparandum hominem (cujus lapsus prævidebatur in consilio æterno) sed per Unigenitum.

Idem (Enarratio maximi Pontificatûs... Jesu Christi) :

« Placuit (Deo) et primum hominem in sui imaginem adeo elevare, ut non modo, non paucas Dei perfectiones referret, non modo Trinitatis mysterium adumbraret sed et venturi Christi, qui ipsissima imago Dei est, typum exactissimum gereret... Placuit, inquam, præmisso quidem consilio et prænuntiato oraculo, illum (Adamum) tum spiritu vitæ perfusum, tum in animam viventem erectum, seu caput (non secus ac Christi simulacrum) selecto sibi regno præficere... ut tandem constante regno propria integritate, et completa hoc in mundo illius peregrinatione, illud non tam Deo, quam Christo illius singulari capiti, resignaret. » (Venetiis, MDLXX).

Martinus Eisengrein (1570) Præpositus veteris Ætingæ in Bavaria et ejusdem Academiæ Ingolstadiensis Procancellarius (Postilla catholica. Ingolstadii, 1576). Domin. 1a post Nativit., concio tertia. Probat contra Lutherum Christum ab initio conceptum et ortum fuisse plenum gratiæ et veritatis et ab initio scientiam beatorum habuisse.

« Simile est hoc argumentum (i. e. probabile) : « Chris-

tus fuit caput non solum hominum sed etiam angelorum. Incongruens vero esset ut membra capiti scientia et claritate antecellerent. »

P. Joan. Feri O. M., Metropolitanæ Moguntinæ concionator (Postillæ. Coloniæ, 1563. In die Concept. Mariæ, Serm. III).

« At vero certum est, Christum ab origine mundi nobis suam exhibuisse gratiam quia post lapsum erexerit nos...

» Luce meridiana clarius videmus multo magis prævalere ad nostram salutem gratiam Christi quam diaboli malitiam ad nostram perditionem. Malignus ille spiritus prosternere hominem potuit, at Christus eumdem non tantum erigere verum etiam confirmare ne caderet prævaluit... At potuisse Christum utrumque dubitat nemo. » Ergo Adam innocens accepit gratiam a Christo.

P. Clemens Monilianus Card. Ara-Cœli, O. M., 1568 (De Symbolo Apost., cap. XXI) : « Deus immisit soporem in Adam... Adam figura fuit Christi apertissima ; ut enim Adam dominus fuit mundi et pater omnium hominum secundum carnem... ita Christus rex, regum, pater omnium bonorum secundum spiritum.

» Cap. XLIII. Revera enim magnum et mirabile est carnem nostram sursum sedere, et ab angelis omnibus adorari quod nunquam factum fuisset, si Adam non peccasset. Non enim venisset ut redemptor tunc, sed ut glorificator duntaxat.

» Cap. XIII. Unde maxime congruum fuit ut qui filius Dei erat ab æterno... etiam filius hominis esset in sæculo. Ad hæc dico quod beneficium Incarnationis ad hoc ordinatum est a Deo et indultum hominibus ut simus filii Dei. »

S. Petrus Paschasius *Martyr* (Op. de myst. et de sanct. B. M. V. contra Judæos et Mahumet. tit. 23, n° 71 ; édition de Madrid, pag. 361) : « Oportet credere quod præfata Virgo est ea de qua Prov. Salomonis loquuntur

quod ante omnem creaturam fuit electa ut mater Dei esset. » *A fortiori Christus.*

Sebastianus Fasciuta Melphitanus Sacræ Theologiæ doctor (1575) (De natura angelorum oratio).

« Nam Lucifer licet sui casûs non fuerit præscius ante lapsum nec etiam casûs hominis, Incarnationis tamen mysterium atque exaltationis ejusdem præcognovit absque hoc quod sciverit passionis, humanæque redemptionis opus... Filii Dei Incarnatio non fuit minus ipsi quam homini revelata qui in illo sopore Incarnationem prænovit. Lucifer igitur pro Christo homine futuro, cui super totam naturam angelicam omnemque creaturam tradendum erat imperium, solium atque sedem præparatam prævidit. Unde occasionem appetendi perverse obtinuit. Et sic æqualitatem, quæ sub Deo est, id est, celsitudinem quam Christus in unitate personæ Verbi possidet, in potioribus Patris bonis residens, cum universo imperio appetivit. Nec solum Lucifero præscientia fuit Incarnationis sed omnibus angelis lex fuit, cui falsum subesse non potest, qualiter Deus illam sedem pro Christo homine a Verbo personaliter assumendo præparaverat, cui etiam credendum erat imperium universi, atque decernebat ut omnes angeli, omnesque creaturæ obedirent et simul cum Verbo eum adorarent. Cui legi Lucifer cum suis sequacibus obedire renuens, sedem, soliumque Christi occupare et usurpare præsumpsit... Et sic Lucifer æqualitatem, quæ est communicationis appetivit, nam æqualitatem æquiparantiæ nullo modo potuit appetere, nec considerare, neque intelligere, nec etiam esse, cum sit inter Deum et aliquam creaturam hoc penitus impossibile... Suapte invidia, quia sapiens erat atque omni decore perfectus, quia illam sedem pro Christo viderat præparatam invidit, mortemque contra Christum concepit, ne super omnium cœlestium spirituum altitudinem humani generis natura conscenderet... Cum creasset Deus hominem ab initio rectum, integrum... illico ad

eum tentandum decipiendumque accessit putans Incarnationis impedire mysterium ».

FRANCISCUS CARTHAGENA, presbyter, S. Theologiæ professor (1581). De Prædestinatione angelorum et hominum (Præfatio in discursum sextum) :

« Verum quia Scoti via fortassis, ut ratione colligere possum, in sequentibus discursibus mihi fiet gratior, placet fusius explicare...

» In 1° signo voluit Deus efficaciter ostensionem exterioremque per creaturas manifestationem suæ infinitæ potentiæ, sapientiæ et bonitatis...

» In 2° signo voluit esse medium præcipuum ad illam manifestationem, Verbum divinum assumere carnem humanam...

» In 3° signo statuit Deus propter maximam Christi perfectionem et ejus merita et gloriam, collegium quoddam et cœtum fore substantiarum intellectualium constantem angelis et hominibus...»

Et contrariâ sententiâ recitata, sic :

« His nonobstantibus sit 1ª conclusio : Christus Dominus noster fuit causa meritoria finalis et exemplaris illius providentiæ supernaturalis communis omnibus angelis. Quæ quidem conclusio directe probari non potest per loca sacræ Scripturæ, quia omnia loquuntur de providentia supernaturali circa hominem. Indirectè vero ostendi potest, quia fere omnes rationes quas infra afferam in negotio prædestinationis hominum, militant in nostro proposito. — Probatur igitur ratione : 1° quia Christi merita erant digna hoc præmio et quocumque alio majori et angelus erat capax illius boni dandi per Christum.

» 2° Quia id quod redundat in majorem gloriam Christi et nullum patitur inconveniens, Christo videtur adscribendum. Sed quod omnia spiritualia bona per ipsum deriventur ad universas creaturas spirituales, est insignis Christi gloria.

» 3° Quia id ipsum redundat etiam in majorem Dei gloriam ut simul tanta dignatio et beneficentia erga angelos

sit ex bonitate et liberalitate sua ; et præterea alio titulo ex justitia, cum debeatur meritis Christi. »

Discursu undecimo fusè explanat qualiter in mente divina Christus Jesus primus fuerit prædestinatus extiteritque, tum princeps et monarcha prædestinatorum, tum prædestinationis eorum secundum triplex genus dignissima causa.

Attamen suî discors dicit quod gratia Adami innocentis non fuerit a Christo.

Salmeron S. J. (1585). Disput. in Epist. B. Pauli. In I Tim., c. 1, disput. 3 :

« Quinta assertio. Probabile est et mihi etiam probabiliùs Deum, Adamo non peccante, voluntatem efficacem habiturum mittendi Verbum suum in carnem : et hoc magis decens et conveniens fuisset etiamsi Adam non peccasset. Quod multis rationibus et solidis argumentis comprobare et confirmare conabor... »

Quod probat 1° ex argumentis Catarini ; 2° argumentis desumptis ex parte Patris ; 3° ex parte Christi.

« Tertio loco accedunt argumenta ex parte prædestinationis Christi. Nam vel Christus est prædestinatus ad gloriam ante Adamum vel post. Si ante Adæ peccatum, ponatur ut possibile, quod Adam non peccavit, sicut potuisset, si voluisset. Adam tunc salvaretur ; et nonnisi ratione Christi, in quo est prædestinatus. Ergo Christus fuisset etiam si Adam non peccaret. Dices ante prædestinatum fuisse Christum, sed ex prævisione peccati. Sic enim respondet Cajetanus. Sed hoc solidum non est. Nam si ex prævisione peccati Christus est prædestinatus, et peccatum non est, nisi quia avertit a Deo et tollit gratiam ; ergo ante prævisionem peccati fuit prævisio gratiæ, quæ est seminarium gloriæ ; ante peccatum ergo, Adam fuit ordinatus ad gloriam ; ergo Christus, in quo prædestinatus est Adam, ante peccatum prædestinatus est. — Deinde ex naturâ suâ prævisio boni præcedit prævisionem mali : nam omne malum est peccatum et non potest intelligi nisi ratione boni : ergo prius prævisum

est Adam in Christo ad gloriam ordinari quam peccatum Adæ. Tertio si ex prævisione peccati Christus esset, et Adam prædestinatus fuisset, sequeretur gratiam datam esse antequam daretur, quod implicat. Quod ita probatur : quia gratia datur ex prævisione peccati, et est sermo de prima gratia Adæ ; sed peccatum non est aliud quam aversio a Deo et gratiæ privatio. Ergo antequam prævideatur peccatum, prævidetur gratia, quæ per peccatum tollitur. Ergo antequam gratia daretur, intelligeretur jam data. Ad hæc, malum culpæ simpliciter præcederet bonum gratiæ ; nam ex prævisione mali culpæ omne bonum gratiæ ejus occasione profectum (esset). Non enim fuisset prædestinatus Christus in quo et per quem omnes gratiæ in nos promanarunt. Et ita probatum reliquimus Christum fuisse ad gloriam prædestinatum ante peccatum. — Si vero post Adæ peccatum, ergo ipse non est Primogenitus omnis creaturæ ; nam primogenitura respectu Dei habetur per prædestinationem. Ergo Ecclesia quæ ex Adamo fuisset ante peccatum et quæ in Adamo erat, non habebat caput. Nec valet dicere, quod voluntate antecedenti Adam sit prædestinatus ante Christum, non autem consequenti : nam ut se habet Adam in voluntate consequenti et efficaci, ita se habere debuit in voluntate antecedenti, quæ efficax non est. Ergo si in hâc est posterior, est quoque et in illâ. — Secundo prædestinatio Christi est optabilior quam sit omnium hominum ac stabilior. Sed hæc ponitur facta ex se, sine prævisione peccati, cur non etiam et illa ? Quod autem sit ante prævisionem peccati, supra fuit ostensum. Tertio in Christo prædestinati sunt non modo homines et etiam angeli : quod ostendunt illa verba ad Hebræos : Decebat enim etc., et illa ad Romanos, VIII : Quos præscivit etc. Præscivit autem non solum homines sed et angelos. Si igitur Christus prædestinatus fuit ex prævisione peccati hominis (quod necessario dicere habent adversarii), sequeretur angelos ad gloriam non fuisse ex se ordinatos ; imo etiamsi non peccarent, potuissent non

assequi gloriam. Nam contingens erat Adamum non peccare ; quo posito, Christus non incarnaretur. Angeli igitur etsi cooperarentur Dei gratiæ, non consequerentur vitam æternam : quia hanc consecuti erant ratione Christi. Quis enim divinæ Providentiæ ordo fuisset, dicere angelis non consequendam vitam æternam, nisi creatura ignobilior peccaverit, ob cujus peccatum mittam Verbum meum incarnandum, a quo prædestinationem ad gloriam consequerentur ? — Quarto, quid magis rationi consentaneum cœlestem Parentem Filium suum propter se prædestinare, quam Adamum procul dubio servum, præsertim cum propter Christum efficaciter prædestinari deberet. Denique in unoquoque genere semper est aliquod principium cæterorum causa : idem ergo erit in prædestinatione. Quare hoc non solum habebit locum in prædestinatione antecedente sed etiam in consequente. Non enim verisimile est, Adam in prædestinatione antecedenti futurum causam aliorum prædestinatorum.

Louis de Grenade O. P. (1504-1588). »

Sermon pour le lundi de l'Avent ; 2e point :

« Pour comprendre nettement (l'excellence des biens que le Père Céleste nous communique dans l'Incarnation), voyons exactement ce que le Seigneur nous a donné lorsqu'il est venu au monde. Mais qui peut les expliquer ?... Si donc l'Apôtre, à qui la grâce d'annoncer ces richesses a été donnée, les appelle incompréhensibles (Eph., IV, 8), qui est-ce qui osera entreprendre d'expliquer ce que ce grand apôtre déclare lui-même inexplicable ? Il ne laisse pas cependant d'en parler en ces termes : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri J. Christi qui benedixit nos omni benedictione* (Eph., I, 3-6). Il paraît évidemment, par ces paroles, que nous avons reçu par Notre-Seigneur Jésus-Christ, et le salut éternel, et tous les moyens nécessaires pour l'acquérir. Or, entre ces moyens, la grâce de l'élection et de la prédestination éternelle, qui est arrivée aux élus par Jésus-Christ, tient le premier rang, parce que si le Père nous a élus en

Jésus-Christ, i. e. par Jésus-Christ, avant la création du monde, et s'il nous a encore *comblés de toutes sortes de bénédictions spirituelles*, entre lesquelles cette grâce est la première, la souveraine et la cause de toutes les autres, elle nous est certainement arrivée par Jésus-Christ comme auteur de la vie et du salut éternel. Autrement il ne serait pas vrai que le *Père nous a comblés par lui de toutes sortes de bénédictions*. D'ailleurs, le Père prévoyant aussi par sa sagesse éternelle et infinie que les élus, s'ils étaient abandonnés à eux-mêmes, tomberaient dans divers péchés, a résolu de leur donner, en vue des mérites de Jésus-Christ, le secours de la grâce. »

Sermon pour le 1er mercredi de l'Avent ; 2^{e} point :

« De sorte que c'est par le Verbe que le Père éternel se découvre et se fait connaître aux uns et aux autres (aux anges et aux hommes), dans le ciel et sur la terre, quoique diversement. Car il est là dans sa propre forme... et ici sous une forme humaine. »

Cum prædestinatio ex Ludovico sit prima et causa omnium gratiarum, gratiæ oriuntur ex eodem fonte ac prædestinatio, ex Christo. Ergo gratia Adami innocentis erat ex Christo.

Petrus Canisius S. J. (1597) (De sacrosancta Virgine Maria Deipara, lib. II, cap. III): «.... Ex venerandis Patrum vestigiis certum est, primum ex Apostolo Paulo et martyre Irenæo satis constat quod primus ille Adam, de terra nempe terrenus, secundi qui de cœlo cœlestis accessit et novi mundi quasi princeps fuit, imaginem gesserit, nobisque repræsentarit. »

Ibid., cap. VI : « Quæ Patrum sententiæ... monent si Scripturis ritè conferre velimus, primi parentis Adæ, primæque matris Evæ formationem velut typum esse ejus miraculi quod in Maria Virgine ac ejus Filio consequi debuit, nec satis potest unquam celebrari.

» . . . An mysterio vacat Adamum primum parentem non aliter a summo Deo conditum esse atque formatum præterquam de terra virgine, nulli adhuc maledicto sub-

jecta ? Hic typus Christum secundum Adam haud dubie attingit et refert. »

Hieronymus Zanchius (Neustadii Palatinorum, 1600). Explicat cap. I Epist. ad Colos. 16 : Καὶ εἰς αὐτὸν creata sunt, i. e. ad ejus gloriam celebrandam... Hoc soli Deo datur... Καὶ εἰς αὐτὸν, quasi dicat, Christus non solum causa efficiens est rerum omnium sed etiam finalis... Et certum est omnia esse condita, imo mala etiam omnia permissa in mundo ut tandem Filius Dei sumeret nostram hanc carnem,... in ea peccata expiaret...

» Observandum ergo nos conditos esse et redemptos ut Christum glorificemus...

» *Primogenitus omnis creaturæ*, i. e. Dominus omnium creaturarum... Dominus etiam qua homo vocatur omnis creaturæ quia omnia regit, omnia sustentat, peccata hominibus remittit... »

Si ergo conditi et redempti sumus ut Christum glorificemus, Christus est noster finis. Sed prior finis intenditur quam media. Ergo...

Dionysius Daxecertesius (Exercitat. scholasticar. lib. II, c. 2, art. 7, n. 23-24) propugnat animam Christi prædestinatam fuisse priorem aliis creaturis et prius naturâ ad gloriam quam ad unionem hypostaticam.

Guillelmus de Rubio O. M. dicit Christum priorem omnibus creaturis prædestinatum quia *a*) ad majorem gloriam quam omnes cæteri vocabatur ; — *b*) Incarnatio non potest esse bonum occasionatum ; — *c*) absurdum esset quod Christus habuisset materiam de peccato Adami gaudendi. De adventu Christi, Adamo non peccante sic : « Christus non meruisset minus nobis ; imo magis quam meruit nunc. Plus enim est mereri hominem a peccato præservari quam mereri eum a peccato, in quod cecidit liberari. Sed tunc, si Redemptor fuisset, omnes a peccato præservari meruisset. »

Mastrius de Meldula O. M.

In III Sent., disp. 4, q. 1, De primaria Incarnationis causa, art. 1, fusè propugnat Primatum Christi.

VEN. P. ANGELUS DEL PAS O. M. (1459) (Enchirid. divinæ scholasticæque theolog., lib. 3, c. 1 : « Christus fuit ornatus gratia capitis a qua... velut primum caput hominum et angelorum denominatur.

» Lib. 2, cap. 2 : « Boni angeli, cœlesti accepta gratia, toto corde affectuque intimo in Deum conversi sunt : Christum Dominum et Deum omnipotentem adorarunt, qui et glorioso illos lumine circumfulsit, et cives cælestes in perpetuum futuros ordinavit. »

P. NICOLAUS DE NIISE O. M. (Tract. 4, part. 1, portio 3, q. 4) : « Christus meruit gratiam et gloriam omnibus electis : patet ex dictis in 4° notabili... Secundum gratiam capitis Christus convenienter dicitur caput hominum ac etiam angelorum. »

P. NICOLAUS DE ORBELLIS O. M. (1545) dicit Christum prædestinatum fuisse caput Ecclesiæ in statu innocentiæ ; Luciferum peccasse ex invidia et noluisse se subjicere Christo ; prædestinationem Christi fuisse causam meritoriam sanctificationis et glorificationis angelorum et Adami innocentis.

P. JOANNES DE BASSOLIS O. M. (Dist. III, 1° q. unica) : « Christus sic est prædestinatus, quod ipse est primum prædestinatus, et scriptus in libro vitæ, sicut principium, et caput omnium electorum Dei, excedens in gloria omnem creaturam. » — Et dist. 1, q. 5 : « Christus est princeps electorum, caput salvandorum, ad summan gloriam provehendus supra omnes salvandos. »

Dist. XIII dicit quod Christus influxit in membra sui corporis (ergo in angelos) sensum cognitionis et veritatis.

DOM LÉONARD DE MASSIOT, Bénéd. de St-Maur. (Traité du sacerdoce de J. Ch. Liv. III, chap. XI.)

« L'autre table est dressée pour les anges. Qu'est-ce que Dieu y prépare ? Il leur fait voir la nature divine et la nature humaine qui subsistent en la personne du Verbe Incarné. Ils admirent ce divin composé que le St-Esprit a fait par la vertu de son bras tout-puissant. Les Anges assidus et ardents à rendre leurs adorations à

J.-Ch. sont ravis à la vue de ses grandeurs et de ses abaissements... Dieu prévient l'ange de sa lumière ; il se fait voir avec tout l'éclat de sa gloire ; il l'élève à une sublime contemplation et il le met dans un ravissement continuel. L'ange, sentant l'impression de Dieu qui l'éclaire, s'avance avec un regard fixe et immobile vers Lui pour recevoir sa lumière. L'ange ouvre la bouche pour honorer Dieu par des cantiques éternels de louanges. Et Dieu le remplit d'une douceur toute divine qu'il goûte dans l'admiration de la divinité et de l'humanité de J.-Ch... C'est par J.-Ch., selon le langage de l'Eglise, que les anges louent la majesté souveraine... C'est par Lui que toutes les choses rentrent dans leur principe et que toutes les créatures intelligentes se réunissent à Lui..., Jésus-Christ est le chef des anges et par la prééminence de son état et par sa dignité suprême qui lui donne droit de leur commander et par la communication de sa lumière qui leur fait connaître ses mystères ; et même en tant qu'homme il les éclaire tous selon S. Thomas.»

Olier (1608-1652) (Vie intérieure de la Vierge. Prédestination de la Sainte Vierge, III) : « C'est pour le Verbe Incarné que Dieu a fait ce monde. » (Paris, 1875 p. 11).

Virgilius Sedlmayer (Theologia Mariana, n° 1070) « Christus et B. Virgo meruerunt Angelis gratiam habitualem et gloriam essentialem merito dignitatis spectante ad causam finalem, quatenùs angeli creati sunt, gratia et gloria ditati propter Christum et Mariam. Hæc assertio est communis theologorum. »

Le P. L. Beurier, Célestin de Paris (Les analogies et les antithèses de l'Incarnation, chap. VI. Paris, 1632.)

« C'est l'envie qui fit révolter les Anges dans les cieux et les fit conspirer contre la divinité. C'est pourquoi S. Bernard est de cette opinion et S. Basile devant lui, que le P. Eternel ayant proposé le Christ à Lucifer et à ses complices pour l'adorer et reconnaître comme leur Seigneur et leur Roi, ils n'en voulurent rien faire par su-

perbe, portant envie à la sacrée humanité... S. Paul confirme cette doctrine en l'Epître aux Hébreux disant : « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit et adorent eum omnes Angeli. » Car puisque S. Paul dit qu'il était derechef commandé aux Anges d'adorer Jésus-Christ, il est manifeste qu'il leur avait été commandé auparavant, à sçavoir quand l'Incarnation du Verbe leur avait été proposée dans le ciel devant qu'elle fût mise en exécution. En second lieu l'opinion des Pères est appuyée sur les paroles de N.-S. en S. Jean VIII : « Vos ex patre diabolo estis... » Vous êtes fils légitimes de Lucifer et comme héritiers de son esprit, vous vous efforcez de mettre à exécution ses mauvaises affections. »

QUARESMIUS (1640) O. M. (De sacratissimis D. N. J. Ch. quinque vulneribus) fusè probat Christum esse prædestinatorum principium et ideo peccatum non fuisse occasionem Incarnationis.

P. JOAN. VIGNIER S. J. — (Les attributs de la Mère de Dieu — Lyon, 1650 — Liv. VI. Section première, nº II.) « Or est-il que le premier et le plus parfait de tous les objets qui sont hors de Dieu, et (est ?) le Verbe Incarné et pour cela (*Primogenitus*) Fils aîné de sa prédestination et de son élection, naturellement Fils de Dieu, comme il est naturellement Verbe. Donc sa Fille aînée sera celle qui sera la plus parfaite d'entre les pures créatures, la première de son esprit et de son élection, parce qu'elle y viendra immédiatement par la prédestination et par l'élection de son Fils propre, qui sera son introducteur et que tout le reste, c.-à.-d., tout ce qu'il y a de prédestiné, soit des Anges, soit des hommes, ira après. »

Section II, nº I : « Dieu agit sur les créatures inférieures par le moyen des supérieures. C'est une chaîne lumineuse qui attache les unes aux autres... Si la B. Vierge eût manqué dans cette chaîne, la prédestination que Dieu a faite des hommes et des Anges n'eût point été ;... nous n'approchons Dieu, nous ne le tenons que par elle. »

Marcus Marulus (De humilitate et gloria Christi) Præfatio.

« Deus homo factus est, ut hominem suæ divinitatis faceret participem. Innocens Dominus a servis damnari sustinuit, ut nos a diaboli servitute liberaret... Eramus enim filii iræ et per Christum facti sumus filii Dei...»

Ergo Incarnatio est fons gratiæ et mors christi nos redemit a servitute diaboli.

P. Franciscus Felix O. M. De divini Verbi incarnatione tractatus singularis, caput iv. De fine et motivo præcipuo Incarnationis propugnat Primatum Christi (Parisiis, M D C xxxxi, p. 40).

P. Melchior Flavius O. M. (Liber de Regno Dei, de quo Christus locutus per dies quadraginta. Paris 1566).

Caput 6, De bellis et triumphis regis Christi :

« Moses (Gen., i) priusquam loquatur de creatione primi hominis, nobis exponit dominium Christi et regnum : qui est hæres universorum per quem facta sunt sæcula. Ideo angelis data est lex. Ps. 96 : « Adorent eum omnes angeli » et Hebr., i : « Cum introduxit Primogenitum in orben terrarum, dixit : adorent eum omnes angeli, qui ex August. 5ª Gen. et Bernardo cognoverunt Filium Dei incarnandum cui homini subjicerentur omnia. Detrectavit autem angelus obedire Christo, Patrisque legibus... Et tunc in cœlo orta sunt duo regna scilicet bonorum angelorum, quod est regnum Christi qui est caput omnis Ecclesiæ, etiam angelicæ ;... aliud regnum fuit malorum... (p. 16). »

Dominus Bertrandus S. E. R. C. (O. M.) (Sermones postillares de Sanctis. De Nativitate B. M. V.)

« Et hæc omnia (scilicet paradisus terrestris) in figurâ leguntur. » (Jam initio primi sermonis dixerat : « Omnia quæ fuerunt facta in veteri testamento fuerunt in se res, sicut paradisus, arca Noe etc. Et hæc principaliter signa erant, non quidem rei præsentis, sed fuerunt signa gratiæ et veritatis exhibitæ in novo testamento »). De Adam enim cælesti i. e. de Christo mysticè verbum

illud intelligitur quod scribitur Genes., II : Tulit ergo Dominus Deus hominem, scil. Christum et posuit eum, per Incarnationem in paradisum voluptatis i. e. in Virgine Maria, ut operaretur et custodiret illum. »

Ferdinandus Quirinus de Salazar S. J. (In Prov. Salomonis t. I, cap. VIII, 22) : *Dominus possedit* etc.

243 : « Verba ista de Christo exponit ingens Patrum multitudo, qui ut Arianis occurrerent eo loco contra Filii Dei divinitatem abutentibus, quamvis eorum argumenta præfatis expositionibus eludere possent maluerunt tamen de Christi humanitate interpretari. Et sane tanta tamque unanimis eorum conspiratio suadet ut hanc interpretationem litteralem et germanam esse haud inficiari liceat.

» 252.. Sed hæc verba de formatione Christi secundum carnem recte exponi non possunt... ideo ad decreta Dei et prædestinationem... Ergo sensus erit : Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua (verba sunt Christo in quantum homo) id est, caput exordiumque omnium suarum prædefinitionum et consiliorum effecit me. Quia nimirum reliqua omnia quæ moliri decrevit, ad me unum ordinavit. »

N° 259 : Hæc verba Mariam designare affirmat : « Dominus in decretis suis... mihi primatum addixit » (ait Maria).

260 : « ... Tunc cum res moliri atque omnes creaturas condere orsus est, me sane possedit i. e. mente concepit atque præsentem contemplatus est... »

Attamen Rodericus de Arriaga Salazar S. J. sententiam oppositam tribuit Ferdinando. Nam :

(Tract. de ordine decreti Incarn., disput. 16, sectio III, subsectio II, n° 33) : « Pater Ferdin. Salazar (lib. de Im. Mariæ Concept., cap. 24) putat ante Christum decretos fuisse omnes homines qui futuri erant, excepta B.Virgine, et solos illos inclusos in pacto cum Adamo in ordine ad contrahendum originale ; ex quo capite B. Virginem excludit etiam a debito illud contrahendi ; deinde addit

decretum fuisse Christum, huncque petiisse a Deo ut Mariam pro matre sua vellet creare ; unde Mariam ait debere Christo etiam quod sit in rerum natura. »

ROM. ALEX. CALAMATUS (XVI ?) (Conciones italicè scriptæ et latinitate donatæ a P. Henrico a S. Carmelo, Antverpiæ, 1651. Discurs. 38, nº 10, De Concep. Im. B. V. Mariæ). « Ostendamus idem etiam ex theologia scolastica. Celebrem igitur sequens opinionem Scoti dico sanctissimam Virginem fuisse prædestinatam ante quodcumque peccatum originale absolutè prævisum, quæ sententia efficacissimis rationibus demonstrata fuit a Scoto, Suarez etc. Quâ posita opinione sequitur et B. Virginem prædestinatam fuisse et in eodem signo rationis, aut in alio immediate sequenti in quo Christus Dominus prædestinatus fuit. »

Ergo Christus prædestinatus est ante quodcumque peccatum.

P. PHILIPPUS DIEZ O. M. (1590) (Concion. Quadrag Moguntiæ, 1614) Dedic. S. Michaelis serm. III : « Non solum autem eos (angelos) tam excellentes natura creavit, verum ut ait divus Aug. et B. Thomas, eos omnes in gratia creavit... Sequitur quod in fide Christi Jesu creati sunt. Nam B. Paulus ait : « Gratia Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. » Hoc est, per gratiam Dei mediante Christo Jesu Domino nostro æternæ beatitudinis vita comparatur. Unde sequitur angelos qui in gratia creati sunt, in fide Jesu Christi Filii Dei... fuisse creatos... Et Paulus ait : « Et estis in illo repleti qui est caput omnis principatûs et potestatis. » Repleti intelligitur de gratia qua unusquisque indiget tanquam membrum corporis ejus mystici, cujus caput est ipse... Et sic angeli virtutem quâ pollent a Christo redemptore nostro tanquam a proprio capite receperunt. »

DIDACUS DEL CASTILLO ET ARTIGA, Truxillensis Ecclesiæ in partibus Indiarum Antistes. (Alphabetum Marianum opus posthumum, per Petrum del Castillo Ord. S. Bern. collectum).

Adam § XIII. Adami formatio et restauratio felicissima propter Mariam sine peccato conceptam.

« Felicissimus fuit Adam ante transgressionem mandati... Sed videamus quanta fuerit in formatione perfruitus felicitate. Absque hiperbole eam explicuit Tertullianus de Resurrectione carnis, cap. 6 : « Recogita totum illic Deum occupatum etc. » Totus Deus velut occupatur cum suis attributis in Adami plasmatione, sed præcipue divinus amor ductabat lineamenta ad ejus formationem. Sed cur, cum Deus velut occupatus totus plasmare intendit primum hominem affectioni vel amori committit, ductare lineamenta et disponendo materiam adaptare figuram?... Non tacuit id Septimius cum subdit : « Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne... » In primi Adami formatione, secundi Adami, hoc est Christi futuri in carne, exprimebatur imago. Cumque Christus futurus, ex vi præsentis decreti, Mariæ Filius extiturus esset, profecto tunc imago Christi exprimi non valebat, quin etiam mater semper virgo innotesceret. En ergo causam, ob quam limus ille tot a Deo ornatur prærogativis et amori committitur ejus delineatio : quia in illo Mariæ caro absque peccato, quam æternum Verbum assumpturum erat jamjam prævidebatur. »

Fr. Bartholomæus de Ursinis O. M. (Epist. Feria V^a post Dominicam Passionis) « Tertio... concedendum igitur quod gratia capitis redundat in omnes cives Hierusalem, licet secundum plus et minus : nam magis in homines qui redimuntur quam in angelos qui integrantur, magis quoque in eos qui sequuntur ejus adventum quam in eos qui præcesserunt ».

P. Ferrouilh (Homélies adventuelles. Hom. 18 : « C'est ici le mystère de l'Incarnation de Dieu lequel a donné à toute cette machine du monde une suprême et dernière perfection ; si ce Verbe éternel ne se fût incarné et ne se fût fait homme, je vous dis que jamais l'univers ne fût été parfait : le cercle ne se peut dire parfait que

quand la ligne de la circonférence qui l'enferme, est à tel terme que le commencement se joint à la fin ; et quelle chose est ce monde sinon un cercle ?... il a été bien raisonnable que le commencement incréé se joignît une fois à la dernière créature... » Paris, 1618.

GEORGIUS BARTHOLDUS PONTANUS A BRAITENBERG Pragensis (Bibliotheca seu theatrum concionum, 1625. In festo Conceptionis serm. II).

« Quis autem negabit te sanctissimam et immaculatam conceptam, quæ prædestinata ab æterno ?... Cum autem esse mater Dei sit gratia maxima quæ puræ creaturæ conferatur, B. Maria non solum est prædestinata ad gloriam et gratiam sed ad hanc specialiter gratiam ut esset mater Dei. « Qui creavit me requievit in tabernaculo. » (Eccl., 24). Sed quando fuisti creata, o beata Dei genitrix ? *Ab initio et ante sæcula creata sum.* Iterum : *Dominus possedit me initio viarum suarum.* »

Idem (Domin. I Adv.) inter causas Incarnationis, hanc : « Ut plena participatio divinitatis esset, quæ vera est hominis beatitudo, et finis humanæ vitæ ; quod quidem per Christi factum est humanitatem. *Factus est homo-Deus, ut homo fièret Deus*, dicit Augustinus... Nomen ejus... *Princeps pacis*, in regni promissione, adeo ut si illum interrogaremus : *Quis es, Domine ?* responderet illud Apocalyps. I : Ego sum A et Ω. »

FRATER MICHAEL MENOTI (1550) (Sermones quadragesimales sabbato secundæ dominicæ quadragesimæ, alius sermo) : « Non tamen angeli primogenituram habuerunt, sed eam habemus mediante natura humana unita Verbo, qui est heres et primogenitus mortuorum et benedictionem accepit super omnes et *ante omnes.* »

TATARETUS O. M. propugnat Primatum Christi : « Dicunt Thomistæ quod postquam Deus vidit peccatum Adæ ordinavit Christum ad gloriam ; hoc falsum est, quia Deus non ordinavit Christum ad gloriam propter peccatum prævisum et ratio est ut nullus gaudeat de lapsu alterius, quia Christus posset dicere : O felix culpa,

quia si non fuisset illa culpa, ego non essem prædestinatus ; et Christus congauderet de peccato Adæ, quod est falsum... Immo Christus doluit de peccato Adæ.

» Ergo 1° si Adam non peccasset Christus non venisset ut Redemptor ;

» 2° Si Adam non peccasset, Christus non venisset ut mortalis ;

» 3° Si Adam non peccasset, Christus venisset ut Redemptor præservativus ; patet quia potuisset propter merita Christi præservare nos a peccato sicut præservavit Virginem ;

» 4° ...Christus venisset ut caput Ecclesiæ ;

» 5° Christus venisset ut glorificator ; patet quia propter Adæ peccatum nihil lucrati sumus ;

» 6° Christus venisset ut immortalis et impassibilis. »

Attamen negat Chistum meruisse gratiam angelis (Venetiis, 1607).

S. FRANCISCUS SALESIUS (1567-1642) (Traité de l'Amour de Dieu, livre II, chap. IV) : « Elle (la Divine Providence) fit choix de créer les hommes et les Anges comme pour tenir compagnie à son Fils, participer à ses grâces et à sa gloire. »

Idem. (Ibidem. Chap. V) : « On ne plante principalement la vigne que pour le fruit et partant le fruit est le premier désiré et prétendu... Ainsi le Grand Sauveur fut le premier en l'intention divine. »

S. ANTONINUS (1459) (Sum. theol. p. IV, tit. XV, cap. IV) : « Ipsa (Maria) primogenita est ante omnem creaturam, nobilior enim et perfectior gratia et gloria omni pura creatura ; quod autem primum est in aliquo genere, est quasi causa aliorum. » (Som. des Grandeurs de Marie. Jourdain, t. I, p. 25).

DIDACUS GONZALEZ MATHEO O. M. (Mystica civitas vindicata, n° 435). « Christus, ut homo, fuit in mente Dei ante omnem creaturam ordinatus et prævisus et constitutus caput omnium hominum et per ipsius merita omnia condita sunt. »

Superius dixerat : « B. V. Deipara meruit nobis de congruo quidquid Christus Dominus meruit de condigno. Sed Christus Dominus meruit de condigno creationem omnium creaturarum. »

P. JACOB. GRANADUS GADITANUS S. J. (1632) (Comment. in 1[am] partem Summæ S. Thom. Com. in art. XV, quæst. 57, disp. I, sect. II. De almo Incarnationis mysterio)

« Quod attinet ad Verbi divini Incarnationem... non levis ratio dubitandi est ; videtur enim ex Scriptura et SS. Patribus colligi mysterium hoc non fuisse revelatum angelis in eorum creationis exordio...

» Nihilominus verissima sententia est angelis ab initio revelatum fuisse mysterium Incarnationis. Sic S. Thomas hoc art. ad I et quæst. 64, art. I, ad 4 et in 2, dist. II, q. I, art. 4. Subscribunt recentiores Bannez, Zumel, Valencia, Molina et Vasquez cum multis aliis quos refert Vasquez ; quibus adde Salmeron in Epist. ad Ephes., disp. 7.

» Et quoniam, ut existimo, erit operæ pretium doctrinam hanc, quæ ad Christi Domini gloriam commendandam spectat, qua poterimus efficacitate probare...

» 2° Probatur quia Christus Dominus etiam quatenus homo fuit caput angelorum, ut in Tract. de Inc. 7[e] disp. 6[a], ostendetur, et omnem gratiam et gloriam illis meruit, ut cum S. Cyrillo Alex. S. Gregorio et gravibus authoribus probabitur in eadem materia tract. 14. »

P. MARIANUS AB ORSCELAR O. M. (1622). Jesus omnia sive Thesaurus omnium.

(Gazophilacium primum. Aspirium cordiale decimum quartum). « Jesu dulci memoriæ nostræ... decori angelico, jubilo angelorum ; archangelorum speculo, gloriæ thronorum ; dominantium dominatori ; sustentatori virtutum ; principatuum archiprincipi et duci ; rectori potestatum ; volanti super Cherubim, super Seraphim coruscanti ; spirituum omnium stupendo conditori, firmatori et limpi-

dissimo sanctificatori ; Jesu nostro magnati patriarcharum etc. »

Et ibid., aspirium decimum octavum :

« Agno occiso ab initio... ab antiquo præfigurato. Innocentiâ quidem primo Adam nostro ; reparatione alteri Adam. »

Ibid., aspirium vigesimum quintum :

« Jesu nostro omnia in omnibus mirabiliter existenti, in seipso quidem alpha et omega. In mundo rectori et auctori. In angelis sapori et decori. »

Ibid., scriniolum IX :

« Vere Jesus omnia et omnia in Jesu... Ecce tibi anima mea finem omnium Jesum. »

CARDINAL DE BÉRULLES — Discours de l'état et des grandeurs de Jésus — (1567-1622).

Préface.

« Ces paroles angéliques portent à proprement parler l'Evangile du Père éternel à la T. Ste Vierge... Cet Evangile du P. Eternel est annoncé pour communiquer à la Vierge le Verbe divin et par elle le communiquer aux hommes et aux anges. »

Discours 1er : « Jésus est le vrai centre du monde et le monde doit être en mouvement continuel vers Lui. »

P. MICHAEL GINKIEWICZ S. J. (Zodiacus stellarum XII, 1a Pars, cap. IV, art. 1) : « Omnes expectamus pro Eva Evam et pro Eva in ænigmate, Evam in veritate et hæc non est alia nisi tibi a te decreta mater (Domine). »

M. A. H. A. C. C. O. S. O. C. Maria Deipara monasterio Oliviensi, 1683, Michael Ant. Hacki, Cisterc.

N° 13 Ab æterno ordinata
Eras, tu Immaculata ;
Quæ gigneres te creantem...
14. Nam ex ore prodiisti
Altissimi, Mater Christi
Ante omnem creaturam
Primogenita venturam.
15. Ex omnibus præclecta
Et supra omnes evecta.

D. Gregorio Lopez Madera (Tratado de la Concepcion Immacolada de la Santissima Virgen. Madrid, 1638).

Singulis paginis Primatum Christi propugnat. V. g. Discursu 4, § III : « El peccado del angel fue no reconocer a Christo por su cabeça etc. » Totum opus esset transcribendum.

P. Bernardus de Leon, de la Orden de San Norberto. (De la limpissima Concepcion de nuestra Señora. Opusculo XVI).

« Digo lo segundo que ay lugares que se entienden a la letra de la Sabiduria criada, y que estos los aplica la Iglesia a la Virgen, por ser assi, que fue la misma Sabiduria...

» *Ab æterno ordinata sum*... para que entendamos que Christo y su madre, fueran los primeros predestinados, el uno (cŏmo deziamos) a la gracia infinita de la union, y la Virgen a la gracia de la santificacion...

» *Ab æterno* (dizen ambos) *ordinata sum.* Por que fue con grande orden, primero Christo cabeça, y luego su madre. »

Fr. Laurentius Brancatus de Laurea S. R. E. Cardinalis (1611-1693) (Commentaria in III Lib Sentent. Disputatio X, art. I).

« 4 Dico : finis ultimus, seu primarius Dei in opere Incarnationis non fuit aliquid extra Deum sed ipsemet Deus pro ostensione suæ immensæ charitatis, sapientiæ ac potentiæ atque gloriæ.

» Art. II, 26 : Dico inter fines secundarios operis Incarnationis, unus ex principalioribus fuit justificatio.

» Disp. XI, art. II : An Adamo non peccante facta fuisset Incarnatio Filii Dei ?

» 32 Dico. Etiam si Adam non peccasset Dei Filius incarnatus fuisset. Est Scoti cum tota ejus schola et multis neotericis. Prior omnibus eam docuit Alensis.

» Prob. I. Christus ut caput omnium hominum et angelorum... in omnes influens sive moraliter, sive exempla-

riter fuit prædestinatus ad esse et ad summam gloriam antecedenter ad omnium aliorum volitionem etc. »

ANDREAS DUVALLIUS PONTHESIANUS Dr Sorbonicus (1638) (Com. in 1am Partem S. Thomæ. Tractatus de quatuor novissimis. De judicio finali, q. IVa). « Secundo. Ex angelis et sanctis hominibus conflabitur unum et idem corpus, sub Christo, una et eadem civitas, una et eadem Ecclesia...

» Tertio. Consentaneum est Christum esse judicem angelorum cum sit eorum Rex, Salvator et caput, non tantum ratione naturæ sed etiam ratione gratiæ et meritorum...»

De motivo Incarnationis non tractat.

LUDOVICUS BOROIUS TENENSIS O. M. (De divina civium civitatis Dei prædestinatione dialogismus lib. I): *Magister*... Breviter dico juxta multorum catholicorum sententiam quod simpliciter et absolute venisset Christus... Cum absque et ante peccati prævisionem esset prædestinatus venire.

Mysticus. Plus multo absque hæsitatione (mihi arridet opinio) ista de absoluta incarnatione absque aliquo respectu priori ad peccatum. Unde si ad Dei amorem allicimur propter incarnationem istam passibilem ac mortalem ob peccatum, magis debemus allici ex impassibili et immortali secundum quam venisset in statu innocentiæ propter necessitatem plenariæ nostræ glorificationis... Verum contrarium videtur esse illud divi Gregorii in benedictione paschalis Cerei : o fe ix culpa, quæ talem et tantum meruit habere redemptorem.

Magister. In primis respondeo ad illud verbum meruit. Quod non habuit culpa nec peccator meritum, condecentiam vel congruentiam aliquam ad simplicem et absolutam filii Dei Incarnationem, sed tantum congruentiam, ac condecentiam ad redemptionem a peccato per mortem, et sic debet intelligi dictum illud, nec ibi vocat felicem culpam cum incapax sit felicitatis, sed hominem culpæ subjectum et accipitur ibi forma pro subjecto nec

felicitatem hanc habuit a se ex culpâ et propter culpam, sed propter talem ac tantum redemptorem... »

P. Bartholomæus de los Rios et Alarcon Erem. S. Aug. — Horizon marianus. De Conceptione, capite XII recitat hæc S. Bernardini : « Maria hausit ab ipso Patre æterno totalem fæcunditatem ad generandum omnes electos et etiam angelos. »

De Nativitate cap. IV : « Nemo gaudere potest privilegio prædestinationis, qui non sit cum Verbo increato in intellectu paterno qui est primus liber vitæ ; eadem ratione nemo gaudet eodem prædestinationis privilegio qui non sit cum Verbo incarnato in utero Matris, quæ est secundus liber vitæ. »

P. Raymundus Capisuccus S. E. R. C. (O. P. 1691) (Controversiæ theologicæ. De regno Christi. Quæstio unica, § 1us.)

« Christum nullum habuisse regnum ac ne dominium quidem in hoc mundo, imo fuisse jure subditum regibus ac principibus censuerunt Rosellus etc. Placuit hæc opinio etiam Luthero... Alii docent regnum ipsius et jus regnandi solum fuisse spirituale et hoc jure in toto universo potuisse et jura et leges, immo et reges ipsos mutare prout sibi expedire visum esset ad finem spiritualem fidei christianæ firmandæ. Ita S. Bonaventura, Abulensis, Bannes, Bellarminus etc., etc.

» Alii docent Christum fuisse regem et Dominum totius orbis. Ita S. Thomas, S. Antoninus, 3 p., dist. 3, cap. 2 ; Card. Turrecremata, lib. 1 Summæ, cap. 116 ; J. Faber, P. de Lorca, Alvarius, Pelagius, Macedo, de Lugo etc., etc.

» *Christus a primo instanti suæ conceptionis fuit verus orbis Monarcha et Rex habuitque jus Regis, et habuit per se et directe universale atque excellens dominium in res omnes creatas et super omnes homines et angelos.* »

Quod probatur ex S. Thoma 3 p., q. 59, art. 4 : « ... Si vero loquamur de Christo secundum naturam humanam, sic etiam manifestum est quod omnes res humanæ sub-

dantur ejus judicio. » — Ad argumentum quod Christus, Luc, 12, responderit : « Quis me constituit judicem ? » — « Christus judiciariam potestatem exercere noluit super res temporales qui venerat homines ad divina transferre. » — Ergo habuit potestatem judiciariam circa res temporales, sed eam exercere noluit.

» In eadem solutione 1[i] argumenti ait S. Thomas quod judiciaria potestas consequitur regiam dignitatem.»

P. PAULUS A S. CATHARINA, *Augustinus* (Victricis Mariæ Deiparæ Epinicia de peccato et de morte, lib. I, cap. I, sect. III). Excellentia prædestinationis : « Voluit autem Deus omnes prædestinatos conformes illi (Christo) fieri, utpote auctori salutis eorum et ad ipsum ordinari et referri tanquam principiata ad suum principium, mensurata ad suam mensuram, imaginem ad suum exemplar. »

Infra admittit quod Christus meruerit gratiam angelis ; nam lib. I, cap. IV, sect. II[a] : « Qui autem (angeli) perseveraverunt id consecuti sunt dependenter ex meritis Christi, quibus ipse objective meruit perseverantiam, ut volunt quidam theologi. » (Lugduni, 1660.)

JOAN. MAFFÆUS (Sylva distinctionum thomisticarum 1[a] pars, dist. 727) : « Omnes angeli cognoverunt mysterium Incarnationis in genere a principio suæ beatitudinis, non autem quoad particulares conditiones. »

Nota quod dist. 772 dicat angelos in sua creatione fuisse beatos.

SFORTIA PALLAVICINUS S. J.(1607-1667)(De universa theologia liber II. De angelis. Romæ, 1628).

« N° 36. Incertum est in quodnam genus peccati mali angeli lapsi sint ; colligitur tamen ex Scriptura et Patribus eos incidisse in peccatum superbiæ et invidiæ...

» N° 37. Inter cæteras peccatorum species quæ a diversis auctoribus tribuuntur malis angelis magis inclinat animus in eorum opinionem qui asserunt eos recusasse Christo (si venturus esset) se subjicere... Lucifer ergo tanquam perfectissimus angelorum appetiit unionem hypostaticam... »

(Libro septimo de Incarnatione) non tractat de motivo, et ait necessarium fuisse ad reparationem generis humani Verbum incarnari... quia non potuit convenientius remedium inveniri.

Et nº 41 : « Bene dicitur Christus caput hominum et angelorum quia est eorum omnium dignissimus... quos paterna dilectione complectitur ac moderatur, hominum vero specialiter... quatenus omnia dona supernaturalia per influxum moralem Christi recipiunt. »

P. Hyacinthe Le Febvre (1677), Provincial des Récollets de la Province de Paris. — Traité de la Prédestination, discours III, art. V. La Sainte Vierge est la première, quoique la seconde des Prédestinés :

« S'il est glorieux au Sauveur en qualité d'Homme-Dieu d'être le premier des prédestinés, n'est-ce pas une gloire singulière à la Sainte Vierge d'être la seconde et de le suivre en qualité de mère de Dieu ?... si bien que si la Sainte Vierge n'est que la seconde après son Fils dans l'ordre de la prédestination, elle est la première au respect de tous les autres prédestinés... Elle-même avance cette vérité par la bouche du Saint-Esprit quand elle dit : « *Principatum habui* », comme porte la version hébraïque, qu'elle possède la principauté de la prédestination, qu'elle jouit du droit d'aînesse entre les prédestinés.

» En voici la raison. Parmi les gentilshommes, le fief appartient à l'aîné ; parmi les grands seigneurs, la principale seigneurie appartient de droit à l'aîné ; entre les princes du Sang, le Dauphin est le présomptif héritier de la couronne. La justice originelle est le fief, la seigneurie et la couronne de gloire de la nature humaine ; ce fief et cette couronne ont été confisqués sur Adam criminel, à cause de son forfait commis contre la majesté souveraine de Dieu. Qu'est-il arrivé ? Le Fils de Dieu en a demandé la confiscation à la divinité, elle lui a été accordée ; il en a fait présent à sa sainte Mère à qui ce fief de la justice originelle appartenait de droit comme à l'aînée des créatures... Elle est la première en date et en hypothèque

dans l'ordre de la prédestination non seulement auparavant tous les descendants d'Adam, mais même auparavant celui-ci, quoique chef de la nature humaine.

» En voici la raison. Si la Sainte Vierge est la première et devance toutes les créatures dans l'ordre de la prédestination, elle doit aussi avoir le pas auparavant Adam criminel ; et si elle le précède, comme à ce moment elle a été prédestinée sans elle (i. e. sans sa participation et sans la vue de ses mérites futurs), ainsi que nous l'avons dit, elle n'a pu alors contracter le péché originel. Car si dès lors elle l'avait encouru, de deux choses l'une : ce serait ou parce qu'elle l'aurait commis, et ainsi ce ne serait pas le péché originel d'Adam, mais le sien ; ce ne serait pas un péché originel, mais actuel... ; ou ce serait que dès lors Dieu lui aurait imputé le péché du premier homme, quoique non commis. En cette rencontre, Dieu en usant comme au regard des mérites de Jésus-Christ qui ont été imputés aux anges et à tous les saints de l'ancienne Loi, qui ont été sauvés en la foi du Messie futur ; le Sauveur n'étant pas moins le Sauveur des anges que des hommes, non par rédemption, mais par préservation et glorification ; et partant, si les mérites futurs de Jésus-Christ ont été distribués à ceux qui l'ont devancé, le péché d'Adam a pu de même être imputé à la personne de la Sainte Vierge, quoiqu'elle l'ait devancé dans les idées de Dieu. — C'est ce qui ne peut se penser sans impiété, ni proférer sans blasphème. Dieu n'impute jamais le péché à qui que ce soit auparavant qu'il soit commis : « Deus non est prius ultor quam homo sit peccator » (1).

Au discours VII^e, réflexion 1^re, il dit : « Jésus-Christ est la cause méritoire et le principe de notre justification et de la prédestination des neuf chœurs des Anges et de tous les justes qui meurent en la grâce de Dieu ».

1. La réponse la plus simple n'est-elle pas celle-ci : « Celui qui commet l'acte en est seul responsable ; si cet acte a des conséquences, elles ne retombent légitimement que sur ceux qui sont sous la dépendance de celui qui a posé l'acte. — Or Marie n'était pas sous la dépendance d'Adam. »

Henrys, Conseiller du Roy. (L'homme-Dieu ou le parallèle des actions divines et humaines de Jésus-Christ. 1re partie, chap. IV). Lyon, 1645.

Après avoir établi la pureté immaculée de Marie, il ajoute : « Que si nous voulons suivre la pensée de quelques modernes et porter plus haut l'honneur de la Vierge, nous pouvons dire avec eux que non seulement la Vierge fut préservée du péché originel, mais qu'elle ne fut pas capable de le contracter. Que comme l'obligation du péché qui nous est connaturelle, ne regarde que la suite d'Adam le pécheur, en laquelle la Vierge n'était point comprise, elle n'était point aussi sujette à cette disgrâce. Il faut donc supposer avec ces auteurs que tout ainsi que sans le péché de l'homme le Verbe se serait incarné, de même sans l'envoi de Jésus Christ la Vierge n'eût jamais été formée et que c'est aussi bien pour lui qu'elle a été faite, comme c'est pour nous qu'il s'est fait homme...

» Oui certes, il faudrait avouer avec l'Eglise que c'est en suite de cette prédestination éternelle que Marie peut dire qu'elle a été le premier projet de toutes les œuvres de Dieu, qu'elle fut dans son idée avant tout le monde et que lorsqu'il n'était qu'une masse informe et confuse, elle était déjà accomplie. »

J. P. Camus, Evêque de Belley (1582-1652). (Premières Homélies mariales. Deuxième H. De la Conception de la Très Sainte Vierge). Rouen, 1628.

Nondum erant abyssi et ego jam concepta eram. (Prov. VIII.)

« ...Reléguons la controverse à l'école... et retirons-nous aux montagnes de la contemplation, montagnes sereines et calmes, pareilles au faîte du mont Olympe, exemptes d'orages et de tempêtes, et... considérons la divine Providence, atteignant depuis l'un jusques à l'autre pôle et disposant de toutes choses avec une extrême suavité. L'Epître de ce jour, tirée des Proverbes, estale merveilleusement ce progrès de l'éternelle Sapience à

ranger les pièces qui étaient pesle-meslées dans l'abîme du chaos en la création du monde... ; je ne m'y étendrai pas...

» Voyez comme l'orfèvre prépare le chaton avant que d'y placer la pierre précieuse. Estimons-nous que le Fils de Dieu ait eu moins de prévoyance à se préparer une mère de longue main, voire de toute éternité selon que dit le texte de notre épître ?... »

YSAMBERTUS, D[r] SORBONICUS (Disput. in III[am] Part. S. Thomæ. De mysterio Incarnationis, disp. VII.)

Propugnat contra S. Thomam Christum prædestinatum fuisse ante alias creaturas. Quod probat 1° ex sacris Scripturis asserentibus Christum esse efficaciter intentum ante omnes creaturas. 2° Ex iisdem asserentibus Christum esse caput angelorum et hominum. 3° Ex iisdem asserentibus Christum esse causam justificationis hominum (Parisiis, 1639).

Ipsius dissertatio legenda esset integra.

FR. PAULUS PALANTERIUS A CASTRO BON. S. Theol. Doctor. (Lect. in Lib. III magist. Sent.)

Dist. I, sectio IV. De bonis ex Christi Incarnatione provenientibus.. « In subsequenti secundo in ordine, Incarnationis Filii Dei causa consideranda est ».

Utraque sententia exposita, affirmantem amplecti videtur quam ultimo loco explicat. Et ita prosequitur :

« Fundamentum autem harum opinionum intentionemque ut sciamus, erit notandum Christi adventum in carnem duobus posse considerari modis, vel simpliciter vel in carnem passibilem ad redimendum. Si primo modo, potest sustineri illa opinio dicentium, quod Christus incarnatus fuisset, licet homo non peccasset, non ut redemptor, sed ut glorificator. Altera opinio sustineri similiter potest, quantum ad adventum in carnem passibilem ad redimendum. Et ita conciliari possunt ad invicem hæ duæ opiniones.»

Lectione XLIX, an in Christo fuerit gratiæ plenitudo,

probat quod Christus ut homo sit caput Ecclesiæ « propter tria, 1° ratione convenientiæ cum membris ; 2° ratione ordinis, quia principale ; 3° ratione influentiæ sive virtutis... Quantum ad quartum dicendum quod Christus non solum hominum sed etiam angelorum est caput. Omnis enim multitudo ordinata est ad unum finem...

» Adverte quod Christus, influendo suis membris, Ecclesiæ sit caput. »

P. JUGLARIS NICIENSIS S. J. — Christus Jesus, hoc est Dei hominis elogia. Lugduni, 1643. Elogium XXXVI. Filium viduæ suscitat.

« Quod in te inciderit, fortunam vis esse non casum,
» Et quia finis omnium es,
» Te invento quietem imperas. »

P. ALOYSIUS ALBRIZIUS S. J. (*Opus tripartitum.* Moguntiæ, 1669. Pro festo Im. Conc. Concio 45). Recitatis verbis Bernardi, serm. 22 in cant. Jesus vocatur etc. addit : « Annon ad hoc dubium respondit (Bernardus) angelos non dici redemptos a peccatis quæ commiserunt quia perseverarunt in gratia, sed ab iis quæ potuerunt committere, et adjuvantibus meritis illius Sanguinis pretiosissimi non commiserunt. »

GEORGE QUANTIN, conseiller et prédicateur ordinaire du Roy. — (La théologie française. Traité de l'Incarnation. Question III).

« Si l'Incarnation fût arrivée, supposé que l'homme n'eût pas péché ?

» Je dis que, dans cette supposition, Dieu n'aurait pas laissé de s'incarner et ce qui me fait donner les mains à cette opinion, c'est que Dieu n'eût pas moins aimé l'homme innocent qu'il a fait l'homme pécheur...

» II. Dieu n'eût pas eu plus de répugnance à épouser une nature saine et entière, qu'une nature corrompue et défectueuse.

» III. Comme l'homme, s'il fût demeuré innocent,

n'aurait pas été moins heureux, aussi n'aurait-il pas été privé de la vue de l'Humanité sainte, qui doit faire la félicité particulière de son corps...

» IV. Le Père Eternel a été plus glorifié par la naissance de son Fils que par la création de toutes les autres choses ; donc pour la gloire du Père éternel, le Verbe se serait incarné.

» V. Le Verbe n'est pas venu au monde seulement pour nous affranchir du péché, mais afin, comme il le dit lui-même : « Que nous eussions la vie », une vie plus heureuse que celle que nous avions ; donc quoique l'homme n'eût pas péché, le Sauveur fût toujours venu pour nous rendre plus heureux.

» VI. Il n'y a guère apparence que nous ayons obligation seulement au péché de tous les avantages que nous avons reçus par le moyen de l'Incarnation.

» VII. Ceux que Dieu a prédestinés, il les a prédestinés parce qu'il avait prévu qu'ils seraient conformes à l'image de Jésus-Christ ; et partant, quand l'homme n'aurait point péché, comme il y aurait eu toujours des prédestinés, Jésus-Christ se serait incarné, afin d'être leur original. » (Paris, 1680, p. 223.)

(Idem. Traité des Anges, question VIII) : Si Dieu en créant les anges leur a donné des grâces également ? — Non.

« Jésus-Christ est le Chef mystique duquel sont découlées toutes les grâces sur les anges et sur les hommes : or comme le chef (tête) naturel n'influe pas également sur toutes les parties de son corps, de même le chef mystique n'a pas versé ses influences salutaires sur tous les anges également. »

P. VIGUIER O. P. (Instit. ad Christian. Theol., c. XX, v. 15). De peccato Luciferi. « Lucifer in secundo instanti, pulchritudinem, nobilitatem et dignitatem suæ naturæ considerans... in superbiam elatus illam (beatitudinem supernaturalem) et eminentissimum cœli Empyræi locum humanitati Christi Filio Dei hypostaticè uniendæ

qui locus dextera Dei in sacris litteris nuncupatur appetiit, et humanæ naturæ invidit, votumque sive desiderium suum omnibus aliis angelis quibus naturaliter præerat indicavit. Et quemadmodum in naturalibus omnibus aliis angelis præerat, volens in gratuitis præesse eis, ut ipsum in mediatorem perveniendi ad beatitudinem supernaturalem, loco Christi, qui ab æterno prædestinatus erat caput et medium omnium, eligerent et illi assentirent suggessit dixitque : *in cœlum ascendam* etc. »

P. Philippus Parmentier O. M. (Diadème brillant de l'Immaculée des reines ou Couronne des douze étoiles). Mons, 1695.

Post XII sermones panegyricos de Maria Virgine tradit orationem « pro Immunitate Virginis tam a lege quam a debito peccati originalis. » Quod sic probat :

« Quid, quæso, dicit Virgo ? et quid in Virginis persona dicit Scriptura ? « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. » Qui est primogenita nisi electa et præelecta ante omnem creaturam ? Iterum : Nondum erant abyssi et ego jam concepta eram ; id est antequam omnes creaturæ præfinirentur et determinarentur ego jam prædestinata eram. Quod certe verissimum est ; si enim Deus pro summa sui diffusiva bonitate, se communicaturus, rationalem elegit et prædestinavit creaturam, sacram scilicet Christi humanitatem... et ob quam ubique creaturam cæteras conderet : evidenter et evidentissime sequitur quod Mater non fuit a Filio sejuncta etiam in electione divina sed et cum ipso præelecta etc. »

Bartholomæus Durandus O. M. (Clypeus Scoticæ Theologiæ contra novos ejus impugnatores). Fusè propugnat Primatum Christi.

P. Joannes Bosco O. M. (Theologia spiritualis scholastica etc., t. II, disp. 3, sect. 5. De causa Prædestinationis, conclus. 5, nº 356).

« Igitur Prædestinatio Christi et Incarnatio Verbi primo prævisa fuerunt propter gloriam ipsius Dei, tan-

quam ea, quæ illi gloriæ erant proximiora media. Posita autem illa prævisione, ad nostram salutem usurpata sunt.

» 372. Consimiliter dico ego quod ad nostrum propositum videtur simpliciter melius secundum rectam rationem, prædestinationem nostram factam fuisse etiam in intentione ex prævisis meritis Christi, eo semper salvo ut Christus ante omnes alios fuerit prædestinatus independenter a lapsu Adami, sic ut venisset tametsi Adam non peccasset. »

Marcus Vigerius S. R. E.Cardinalis, Senogalliensis. (Decachordum christianum. De Passione D. J. Ch. sermo ; corda sexta).

« Non igitur crediderimus Deum Patrem jure æquivalentis, aliâve necessitate compulsum Filii sui animam hodie tristem facere usque ad mortem... Charitas hoc fecit, non necessitas. Etenim propter nimiam charitatem suam sic Deus dilexit mundum i. e. hominem qui minor est mundus, ut Filium suum daret... Qui aliquem adoptat in filium, filiorum naturalium illum efficit cohæredem et fratrem. Deus igitur qui nos elegit ante mundi constitutionem ut essemus coram illo sancti et immaculati sibique per adoptionem filii unigenitum suum jussit fieri hominem ut Dei Filius hominum frater esset. Quare si Adam, si nullus hominum peccavisset, tamen Dei Filius incarnatus esset, ad fraternitatis contubernium et hominis perfectam adoptionem explendam. Sed quia non ad crucem subeundam hominem induisset, carnem passibilem non accepisset. Quinimo deitatis gloria, corpus et animam plena ab initio felicitate donasset, fuissetque Christus Deus et homo, caro et frater noster, gloriosus, immortalis, impassibilis, perfecte beatus.»

Stephanus Spinula Episc. Savonensis (1680) (Theologia scolastica. De angelis Tract. VII, disp. III, sectio II, n° 96) : « Inter quæ quidem certum est fuisse angelis reservatum mysterium Trinitatis. De mysterio Incarnationis multi dubitant. In qua quidem re definire

est divinare. Hoc unum censeo quod si ponatur factum decretum de Incarnatione independenter a peccato hominis et angelorum, dici potest mysterium Incarnationis, utpote futuræ absolutè futurum, angelis revelatum fuisse ; secus autem nullo modo.

Et n° 104 : « Fateor quidem aliquos Patres insinuare angelos ex invidia Incarnationis peccasse. »

Tract. V, disp. I, sec. V, n° 44, de Prædestinatione : « Collige secundo neque controverti posse an ex parte actûs prius ullo modo Deus prædestinaverit Christum an cæteros. Constat enim omnes quotquot prædestinati sunt simul indivisibiliter ex parte actûs divini prædestinatos fuisse, adeo ut in nullo priori realiter Christus ante fuerit præordinatus quam cæteri.

» Quia tamen gloria non quomodocumque decreta est Christo Domino et reliquis, sed ita ut Christus Dominus eam quidem suis propriis meritis assequeretur, cæteri vero nisi mediantibus meritis Christi qui mediator Dei et hominum pro his intercederet... hinc est quod licet indivisibiliter cum Christo simul prædestinati simus, vere tamen Christo debemus salutem nostram. » (Papiæ, 1681).

Ergo si dubius hæret in controversia de decreto Incarnationis, Primatum Christi revera propugnat. Etenim si gloria « Christo Domino decreta est ita ut eam suis propriis meritis assequeretur et cæteris electis data est solum mediantibus meritis Christi » concluditur priorem naturâ Christum prædestinatum fuisse.

P. THOMAS FRANCES DE URRUTIGOYTI (Sanctorales Apost. et Seraphicum. Concio I, De Imm. Conceptione, § VI). Discutere aggreditur cur prima Minorum domus sub Mariæ angelorum invocatione tanti Ordinis radicet fundamenta. Recitatis admonitis, quæ a pauperum Patriarcha filiis intimantur et quæ Libro conformitatum I, fructu 12, fol. 186, col. 3, sub cap. 39 inveniuntur, addit : « Ergo per Mariam angelorum a nostro Patriarcha invocatur protectio divina ad suum Ordinem. Quid est per angelorum Mariam ? Per virgineam conceptionem. Syno-

nima enim sunt : Maria angelorum et conceptio immaculata Mariæ.

» Hac structura mea, immediatam propositionem tentabo probare, nam potius videbatur dicenda Maria hominum quam Maria angelorum ea præfata domus, in quâ Indulgentia Portionculæ concessa generi humano Pontificiam supremam Christi dignitatem significabat. — Et cur non Maria hominum sed angelorum, præcipue autem cum loco citato apud Breviarium Franciscanum dicatur : « Quod ea esset Ecclesia tam longe antea a Domino præparata in qua Ordinem suum inchoaret (S. P. N. Franciscus). »

» Ex S. Bernardi sententia admirabili accipio solutionem. Cur ædicula illa, non Mariæ hominum sed angelorum nuncupetur ? At angelis, inquis, quomodo redemptio fuerit non video. Neque enim authoritas Scripturarum uspiam assentire videtur eos aliquando, aut peccato extitisse captivos, aut morti obnoxios, aut necessariam habere redemptionem, exceptis duntaxat illis qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes redimi deinceps non merentur. Si itaque angeli nunquam redempti sunt, alii utique non egentes, alii non promerentes, alii quidem quia nec lapsi sunt, hi autem quia irrevocabiles sunt ; quomodo tu dicis D. J. Christum eis fuisse redemptorem ? Abundè satisfacit sequenti sententia (S. Bernardus) sermo 22 in Cant. : « Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sic hunc a captivitate defendens ; et hâc ratione fuit æque utrique redemptio solvens illum et servans istum. » Ex quibus deduco meum intentum : non in humana redemptione quæ captivum supponit virginea redemptio significetur, non sicut cæteros homines tetigit, Christi sanguis pervenit ad Mariam, qualiter angeli redemptionem fateamur præservativè. *Redemptio solvens illum et servans istum.* Nequaquam Mariæ hominum sed Mariæ angelorum illa domus, in qua initium sumit Minorum cœtus appelletur, quatenus

ex hoc inferatur Franciscanam familiam in Mariana præservatione radicari : idemque videri Portioncu¹æ domum Mariæ angelorum ac Mariæ conceptionis ; nam Maria angelorum sonat, non captivitatem in culpa, sed præservationem. »

Idem, conc. XXII, Pro S. Mathia, § v, nº 21-22 : « Primogenita ergo redemptionis filii sui Deipara annuntietur... Ab excellentiori opere, quale est matris præservativa redemptio initium sumet tanti sanguinis profusio ; nam opere tam mirifico venerabilior deducetur, laudabilior acclamabitur in Virginis encomium quæ ut redempta etiam Servatori adauget cultum.

» Subtilis magister, 3, Dist. 19, q. 1, § in ista quæst., nº 6, disputans de natura humana Christi ut prædestinata ait : « Christus in natura humana cum sit propinquior fini, cæteris prius prædestinabatur, loquendo de his qui prædestinantur... Ita quod Christus, in carne, sicut et omnes electi, prius prævidebatur et prædestinabatur. » Quæ conclusio habet fundamentum in verbis Pauli, cap. 1, ad Colos., v. 5, ubi Christum appellat primogenitum omnis creaturæ : *Qui est imago* etc... Nec in hoc nullus hæret. »

Carolus Latius (aquila triumphans seu triumphus Marianus). Pæan XI Mariæ prædestinationis.

« 351. Profundissimum hìc profecto divinorum arcanorum pelagus ingredimur ; an scilicet in eo initio, absque ullo initio æternitatis, prius Deus (juxta nostrum intelligendi modum) et ante omnia Christum Dominum prædestinaverit, ejusque suam gloriosissimam genitricem propter individuam, corelativam, ac omnino necessariam connexionem, quæ inter matrem ejusdemque filium intercedit. Quod quidem affirmabimus, prout ex aperta sacrarum litterarum auctoritate ac luculentissima SS. Patrum scholasticorumque doctrina cogimur affirmare. »

Et citatis quibusdam textibus, sic ad cap. I ad Ephesios : Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.

« 353. Hæc nequeunt intelligi de sola antecessione ab æterno ante actualem existentiam mundi : sic enim nihil

speciale de Christo honorificum protulisset apostolus ; ergo intelligenda sunt de antecessione etiam in ordine intentionis...

» 380. Deus primo ac maximo præ omnibus reliquis puris creaturis amore Virginem deiparam prosecutus est, ut in veram divini Verbi matrem destinatam. Jam, ut benedicit divus Anselmus : decretum prædestinationis ex amore, ut ex prima radice oritur ; unde eamdem Virginem sic alloquitur : « ille rerum omnium Deus dignam prænoscens amavit, amatam prædestinavit. » Si igitur Dei amor in Mariam et primus et maximus fuit, ergo et ejusdem prædestinatio primo loco post Christum decreta fuit. »

N. B. — Omnes theologi qui Mariam Virginem a peccato originali et a debito illius contrahendi immunem prædicant *viderentur*, salva meliore sententiâ, inter Primatûs Christi propugnatores admunerandi.

FERDINANDUS QUIRINUS DE SALAZAR (Pro Immaculata Deiparæ Virginis conceptione defensio. Cap. XXIII, § XVI. Compluti et Parisiis MDCXXI) « Sane optarem plurimum tantum auctoritate et doctrina apud omnes valere ut ea quæ de immunitate Virginis a peccato originali et a debito illius contrahendi hactenus tradidi serio dicere et affirmative pronuntiare possem (1). »

1. Jam superius, p. 205, hæc : «Tamen cum hâc nostrâ tempestate gravissimis ac sapientissimis Franciscanæ Familiæ doctoribus id menti insiderit, Virginem Deiparam non modo a culpa originali sed etiam a debito illius ita immunem defendere, ut asserant illam pactum et communem legem nequaquam ingressam fuisse, necesse est, ut jam inde illis etiam placuerit præfatam Scoti doctrinam deserere (videlicet quod Maria debuisset culpam originalem incurrere). » P. Basilius Augustin. de Legione. (Prima parte quodlib. fol. 546.)«Asserit eam non esse improbabilem (sententiam asserentem quod Maria in Adamo non peccaverit.) Quare in religiosissimo conventu Minorum præside doctissimo theologo fr. Antonio de Velasco publicè, magnoque exterorum theologorum applausu fuit hisce verbis defensa : nullius censuræ nota est inurenda propositio asseverans benedictam Deiparam Mariam neque in Adamo peccasse, neque ex pacto...; probabili quippe gaudet veritate, pia insuper est.... prælargo viscerum hiatu defendenda. »

« Quin etiam addit P. Lezana, eam in publico theologorum cœtu doctor Henricus de Villegas, sacrorum bibliorum interpres, et perdoctus Theologus

P. TURRIAN LE FÈVRE S. J. Tournai, 1652. (Les passe-droits de la très sacrée Vierge. Chap. I).

« Il me suffit de dire pour la prouver (l'Immaculée Conception de Marie) que Dieu a choisi et prédestiné la Vierge dès l'éternité et devant la fondation des siècles pour être la mère de son Fils. »

Hoc dicitur de prioritate Mariæ in decretis divinis vel hæc verba nullam Deiparæ concederent dignitatem cum omnes electi ab æterno sint prædestinati.

P. DE LINGENDES S. J. (1660) (Conciones in Quadrag., fer. 4 Dom., Pars, conc. 2, de Prædest., IV°) explicat quod ex pœna et gravi vindicta malorum manifestetur magnitudo gratiæ et gloriæ electorum et ideo ostensio justitiæ ordinetur ad ostensionem majorem misericordiæ in prædestinatos. Addit : « Atqui prædestinati omnes ordinantur ad Christum Deum et hominem. Christus vero in quantum homo ordinatur ad Deum. Unde Apostolus I, ad Cor. III : « Omnia vestra sunt sive Paulus, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia,

Pater Albornoz in collegio societ. Jes. publicè defenderunt hanc sententiam». (Lib. Apol. pro Im. Deip. Concept. Cap. XXXII.)

Et ibid. Cap. XXXIII: « Assero secundo: Beatissimam Virginem debitum proximum contrahendi peccatum originis non habuisse, neque in Adamo peccasse... »

P. J.-B. de Lezana pro hâc sententia citat : Petrus Galatinus Lib. 7. de Arcanis, cap. 10. — Catharinus, Ord. Præd. — De peccato originali, — Cap. ultimo. — Bollanus. Tract. de Concept.

Mendez, Dominicanus. (Mariali lib. 3 cap. 34, § 2, 4.)

Joannes Suarius — In Libro : Conciones 23, in Apocalypsim.

Salmeron, in Cap. 5 ad Roman.

Looisa Carmelita. Primus tract. de Concept. Puncto 2°.

Turrianus. — Epist. ad Jacobum Amiotum.

Didacus Perez de Valdivia. De concept. Deiparæ. Cap. 8.

Et alii plures. — Præter illos etiam plures alios possumus referre : Albertum magnum a Canisio citatum ; — Josephum Angles, in 2 Dist., 31, q. 1 ; — Barradam, tom. I, Lib. 6, Cap. 3.

Alii vero hanc sententiam probabilem, vel ad minus non improbabilem asserunt : Cosmus Magallianus in cap. II, Ep. I. ad Timot. ; — Gregorius de Valencia, 3 Part., Disp., 11 q. 1. puncto 2, ubi minus probabilem dicit, sed postea absolutè negat Mariam in Adamo peccasse ; — Enriquez, lib. III summæ cap. II, minus probabilem dicit. — Joannes Carthagena. Homeliæ de Deipara. Homil. 16. — P. de Vega, S. J., in sua Theologia Mariana (Palæstra V^a, certamen II, n° 571) :

sive futura (In illis autem futuris non tantum includitur gloria prædestinatorum sed etiam pœna reproborum) ». Tunc sic concludit : « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. »

HYPPOLYTUS MARRACCY sic de Maria in sua polyanthea Mariana, lib. III :

« Causa gaudii cœlestis (S. Germ. In Mariali frag. 15.)

» Causa bonorum omnium (S. Joseph, Hymnus in suo Mar.)

» Id. (Joannes Geometra Serm. ann.)

» Causa rerum (B. Bernard. serm. 2 in die Pentec.)

» Causa finalis nostræ regenerationis, quia totum opus redemptionis post Deum in ipsius gloriam et honorem ordinatum fuit (Alb. Magn. sup. missus est, cap. 184).

» Causa finis eorum quæ demonstrata sunt (Jac. Mona. orat. I.)

» Causa aliquo modo gloriæ angelorum (S. Antoninus, Summa. Pars 4, lib. 15, cap. 15.)

« Major Theologorum pars apud Hispanos, vel in lecturis privatis vel publicis vel libris editis, docet Virginem Mariam a peccati originalis debito et reatu fuisse immunem : quam partem propugnant et exornant Doctores, præcipue post decretum supremæ Inquisitionis, quod ab omni censura liberat opinionem eximentem Deiparam a tali debito : quod decretum refert Salazar, c. 8. »

Deinde indicat auctores qui hanc sententiam propugnant :

Canisius, Lib. II, de Deip., cap. 6.
Ludovicus Carnalaxius ; Iodocus, Lib. de Purit. Concept., cap. 8, 9.
Luzero, in tractatu de hâc re.
Fernandez, in Genesim, cap, 9, sect. 8, nº 1.
Silvester Saavedra, lib. de peccato originali.
Ludovicus a Ponte, lib. 7 in cant., exhort. 20, § 3.
Granado, de concept. disp. 3, cap. 22, sect. 2.
Perlinus, integro volumine de hâc re.
Salas. tom. 2, in 1-2, q. 81. tract. 13, disp. 11, sectio V-XI.
Basilius Legionensis, in lib. var. relect. 3.
Novarinus, in Umbra Virginea lib. 4, excursu 18.
Petrus Hurtado ; Paulus Sherlogus ad cap. I, cantic. vers. 8, nº 43.

Major pars scotistatum hanc sententiam propugnaverunt, teste Herinx, (Sum. Par. II, disp. VI, quæst IV § IV.) :

« Oppositum nihilominus (scil. quod B. Virgo non habuerit debitum contrahendi maculam originalis peccati) tenent multi recentiores post nostrum Cornelium Mussum, virum spectatæ in Tridentino auctoritatis. »

» Causa finalis nostræ recreationis quia totum opus Redemptionis post Deum in ipsius gloriam et honorem ordinata fuit (Id., cap. 20).

» Causa finis et affinis omnium generationum ab initio et ante sæcula creata, hoc est prædestinata. (Joan. Gerson Tract. v sup. Magnificat.)

» Causa finalis nostræ reparationis quia salus nostra principaliter ordinatur ad gloriam Christi deinde aliquo modo ad gloriam suæ matris (Dionysius Carthus, lib. 2 de Laud. Mar., art. 24.)

» Causa omnium rerum post Deum (Paulus de Heredia in Tract. de Concept. B. Virg.) ».

Drulhe, Sieur de Granvil. (Triomphe de l'Immaculée Conception de la Ste Vierge publié à Toulouse en 1684. — Chap. iv).

« Presque tous les théologiens modernes et plusieurs anciens enseignent que la Vierge a été exempte du péché originel... et ceux qui tiennent cette opinion rapportent tant de raisons qui nous font voir que Dieu l'a dû faire... que d'ailleurs on n'a pas moins de raison de dire que la Vierge a eu part à la Rédemption, à laquelle même les anges ont eu part, puisque la grâce qui les empêcha de suivre le mauvais exemple de l'orgueilleux Lucifer, ne leur fut donnée qu'en vue des mérites du sang de Jésus-Christ...

» Celui qui a relevé l'homme tombé est le même qui empêcha l'ange de tomber, dit S. Bernard. S. Augustin, S. Denys, Egidius expliquent la nature de cette grâce de préservation en disant que Dieu nous délivre du mal qu'il nous empêche de commettre par sa sainte grâce... Tous les Pères fondés sur ces paroles de l'apôtre « que Dieu a été fait sanctification et rédemption », restent d'accord que les anges et les hommes ont été rachetés. »

Charles de la Grange (Mystères sacrés. Sermon sur la nativité de Marie. Paris, 1697.)

Ut luce clariorem faciat sollicitudinem divinam in efformanda et dotibus ornanda Virgine Deipara recitat

verba Tertulliani : Quodcumque enim exprimebatur, cogitabatur etc.

« S'il formait les yeux d'Adam, il disait en lui-même : C'est ainsi que les yeux de mon Fils seront ouverts ; s'il formait la bouche d'Adam, il disait : Telle sera la bouche qui prononcera un jour tant d'oracles, etc.

» Que si Dieu a préparé et orné de la sorte un ouvrage dont toute l'excellence était de ressembler à son Fils, sachant même que tous ces biens doivent être profanés... avec quel soin n'a-t-il pas dû former la divine Marie ! »

HERMANT (Sermons sur les mystères — Sermon pour la fête de S. Michel.)

« Mais pour vous mettre cette pensée dans un plus grand jour et pour vous l'expliquer de la manière la plus nette et la plus aisée que nous pourrons, je vous dirai, et c'est le commun sentiment des docteurs et des théologiens, que Dieu ayant créé les anges dans l'état de la grâce, il voulut leur faire acheter la gloire et leur faire mériter la béatitude par un acte de leur liberté. Pour cet effet il les laissa dans la voie... Alors ce grand Dieu leur découvrant une partie des desseins de son adorable Providence, il leur fit voir qu'il avait résolu d'envoyer son Fils sur la terre, d'unir ce Verbe divin à la nature humaine et d'appeler cette heureuse humanité, cet homme Dieu à la participation de tous ses droits... et que telle était la volonté qu'ils lui rendissent leurs hommages et leurs adorations : *et adorent eum omnes angeli ejus.* »

Idem (Sermon de la Nativité) : « Jésus possède toutes les créatures *jure creationis*, dit S. Bernard, *jure redemptionis et dono Patris.* Il les possède par la donation de son Père qui lui a soumis toutes choses, qui lui offrit même, selon le sentiment de quelques théologiens, une vie délicieuse dans le monde conforme à sa grandeur royale et digne du Fils du Dieu : *Postula a me* » (Tome I. Rouen, 1716.)

P. JOHANNES DE LAHAYE (1593-1661) (Arbor vitæ concionatorum cujus radix lib. Geneseos — Cap. I, vers.

I, n° 17) : « In principio... sed quem sensum eliciemus ex eo quod dicamus propter principium Deum cœlum terramque formasse ? Si pluries asseruimus per principium Dei Filium intelligi, scilicet Christum Dominum, ut optime animadvertit Eucherius ; sensus igitur erit Deum propter Christum Dominum Filium suum unigenitum omnia condidisse quod ipsemet Christus testari videtur cum ait Apocal. I : *Ego sum* A *et* Ω, *principium et finis*, nam hæc verba de eo debere intelligi existimant Ruffinus Aquileiensis in Symb. Apost., Phæbadius Galliarum Episcopus lib. 3 contra Arianos. Accedit quod dum vigebat hæresis Arianorum, in catholicorum sepulchris incidi solebant hæ duæ litteræ A et Ω, quibus notabatur eum qui ibi jacebat in divinitatis Christi confessione obiisse ; ecce quomodo Christus omnium eorumdemque finis est. »

Idem, cap. I, vers. 15, n° 473 : « *Ut luceant in firmamento et illuminent terram.* Cur ita diminutè procedis ? dic quæso ut mare illuminent non autem solum terram luce suâ perfundant ? Per præcipuum ex his luminaribus Christus Dominus intelligitur in Cantico Simeonis, Luc, 2 : « Lumen ad revelationem gentium, per cœlos boni angeli, per mare dæmones in quod a Christo missi sunt ; optime igitur dictum est quod illuminent terram, non mare, quia lumen mysticum Christus Dominus, nullo modo, dæmones, quoad gratiam, nec quoad gloriam ; homines autem et angelos quoad gratiam et gloriam illuminat. »

P. Beurier, assistant du général des chanoines réguliers de France (Homélies festives. 2ᵉ Hom. pour la fête de l'Im. Conception). « Ne vous étonnez pas de toutes ces prérogatives parce que c'est Dieu lui-même qui a voulu être l'architecte de la cité sainte (Marie) ; il l'a bâtie comme son premier chef-d'œuvre. *Dominus possedit me in initio viarum suarum* et les Septante lisent : *Dominus condidit me initium viarum suarum.* » Le Seigneur m'a bâtie pour être le commencement de ses ouvrages qui sont les voies de Dieu. La raison en est manifeste, parce

que la Ste Vierge Marie a été choisie pour être la mère du Fils de Dieu incarné. Or le mystère de l'Incarnation est la grande œuvre de Dieu. » Paris, MDCLXX.

Idem. 8e Hom. pour l'Assomption : « Tu es poudre et tu retourneras en poudre ». Il n'y a que J.-Ch. et sa sainte mère qui ont été exemptés de cette sentence parce qu'ils n'ont point trempé dans le crime du péché originel. »

B. JOANNES EUDES. (Vie et Règne de Jésus dans les âmes, 1re Partie, conduite pour la journée) : « Le premier et principal objet, disons même l'unique objet, de l'amour et des complaisances du Père Eternel, c'est son Fils Jésus, suivant la parole de saint Paul aux Ephésiens. Je dis l'unique, car le Père a voulu que son Fils Jésus fût tout en toutes choses, et que toute chose subsistât en lui et par lui, selon le langage du même apôtre (aux Col., I). C'est pourquoi il regarde et aime en lui tout ce qui existe, il ne regarde et n'aime que lui en toutes ses créatures. Et encore, suivant le même apôtre (Hebr., II), il a tout créé en lui et par lui et c'est pour lui toujours qu'il les a créées. » (Col., II.)

B. LUDOVICUS MARIA GRIGNON DE MONTFORT (1716) (Traité de la vraie dévotion à la Sainte Vierge, 1re Partie, II) : « Jésus-Christ, notre Sauveur, vrai Dieu et vrai homme, doit être la fin de toutes nos autres dévotions ; autrement elles seraient fausses et trompeuses. Jésus-Christ est l'*alpha* et l'*omega*, le commencement et la fin de toutes choses. ... C'est en lui seul que nous avons été bénis de toute bénédiction spirituelle : il est notre unique Seigneur de qui nous devons dépendre, notre unique Chef auquel nous devons être. »

BOSSUET (1704) (Fête de l'Annonciation, 3e sermon). « Je voulais donc vous représenter que Dieu, pour rappeler toutes choses au mystère de son unité, a établi l'homme le médiateur de toute la nature visible ; et Jésus-Christ, Dieu homme, seul médiateur de toute la nature humaine... L'homme a été établi médiateur de la nature visible. Tout la nature veut honorer Dieu et adorer

son principe, autant qu'elle en est capable... Elle ne peut voir, elle se montre ; elle ne peut aimer, elle nous y presse ; et ce Dieu qu'elle n'entend pas, elle ne nous permet pas de l'ignorer. Mais afin qu'elle consomme son adoration, l'homme doit être son médiateur... L'homme est donc placé au milieu du monde... afin que, contemplant l'univers entier, et le ramassant en lui-même il l'offre; il le sanctifie, il le consacre au Dieu vivant... Mais l'homme, ce médiateur de la nature visible, avait besoin lui-même de médiateur. La nature visible ne pouvait aimer et pour cela elle avait besoin d'un médiateur pour retourner à son Dieu. La nature humaine peut bien aimer, mais elle ne peut aimer dignement. Il fallait donc lui donner un médiateur aimant Dieu comme il est aimable, adorant Dieu autant qu'il est adorable, afin qu'en lui et par lui nous puissions rendre à Dieu notre Père un hommage, un culte, une adoration, un amour digne de sa majesté. C'est ce médiateur qui nous est formé aujourd'hui... Réjouis-toi, ô nature humaine ; tu prêtes ton cœur au monde visible pour aimer son Créateur tout puissant, et Jésus Christ te prête le sien pour aimer dignement celui qui ne peut être dignement aimé que par un autre lui-même. »

Ita sentit et in alio loco (2^e^ sermon pour la fête de tous les saints) et etiam in *Oraison funèbre de la Princesse Palatine :* « Dieu a fait un ouvrage au milieu de nous qui, détaché de toute autre cause et ne tenant qu'à lui seul, remplit tous les temps et tous les lieux et porte par toute la terre, avec l'impression de sa main, le caractère de son autorité : c'est J.-Ch. et son Eglise. »

FÉNELON (1651-1715) : « Nous croyons qu'il a plu à Dieu d'honorer la nature humaine par l'Incarnation de son Fils, indépendamment du péché d'Adam et qu'Il a voulu mettre dans son Fils toute la gloire de son ouvrage ; mais à Dieu ne plaise que nous entreprenions de détruire la liberté de Dieu ! » (Réfutation de Malebranche.)

J.B. Gener S. J. (1711-1766) : « Utrumque mysterium (Incarnationis et Eucharistiæ) per effrænem superbiam prævaricatores angeli invidentes Deum hominem adorare et ut cibum spiritualiter edere abnuerunt violantes præceptum injunctum et adorent eum omnes angeli ejus. » (Theol. dog. scolast. De lapsu angelorum.)

Siméon Imprimeur. — (Instructions familières en forme de poèmes par X. Paris, 1767.) Le jour de l'Epiphanie : « D'où vient que les mages instruits par les docteurs de la Loi vont à Bethléem et Hérode, ni même les docteurs de la Loi, n'y vont pas ?... Il n'en est pas d'autre raison que parce que J.-C. y appelait les mages et n'y appelait pas les autres... parce qu'il choisit les uns et ne choisit pas les autres : choix qui est le fondement de tout ce que Dieu a fait et de tout ce qu'il fait à l'égard des élus : choix sage, gratuit, infaillible et juste : rien de plus sage que le choix des élus puisqu'il se fait par le conseil de la sagesse éternelle ; rien de si gratuit et de si indépendant du mérite des hommes, puisque comme dit S. Paul, il se fait comme par sort... ; rien de plus juste puisque c'est à J.-C. que les élus sont donnés et que ce n'est qu'en lui et par lui qu'ils reçoivent toutes les grâces par lesquelles ils sont sauvés... C'est ce mystère de la prédestination, du choix que J.-Ch. a fait de ses élus que J.-Ch. nous manifeste. »

S. Hubert, Oratorien. — Paris 1725. Sermons. Tom. IV. Le jour de la Conception de la Ste Vierge, IIIe point. « Si J.-Ch. est le Sauveur et Rédempteur de tous les hommes, il ne l'est pas moins de Marie en la préservant du péché. Mais S. Fulgence me fournit trop heureusement de quoi expliquer cette merveille pour ne me pas servir ici de ses paroles. Ce fidèle disciple de S. Augustin dit que les anges restés fidèles auraient pu être enveloppés sous les ruines d'une semblable révolte, si Dieu ne les en avait empêchés par le secours qu'il leur donna. Et quel secours? Le même, dit ce Père, qui releva les hommes, après qu'ils furent tombés. *Una in utroque*

gratia operata est. Quoique ce fût par des voies différentes, ce fut la même grâce qui sauva les uns et les autres. Elle sauva l'homme, cette grâce divine, en le relevant de sa chute ; elle sauva l'ange en prévenant sa chute. *In homine ut surgeret; in Angelo ne caderet...* In hoc (homine) ut sanaretur ; in illo (angelo) ne vulneraretur ; ab hoc infirmitatem repulit ; illum infirmari non sivit... Adorable Jésus, vous êtes le Rédempteur de Marie aussi bien que des hommes. »

La Selve (1750) O. M.

De Annuntiatione B. V. Mariæ conc. II, III [a] pars. *(Christus est in B. Virginis utero ut Deus in paradiso suo.)* «... Christus enim a conceptionis suæ exordio, non solum hominum sed etiam angelorum caput fuit, in illos influens gratiam et in istos gloriam... »

S. Alphonsus de Liguorio, Doctor (1696-1787). Quænam fuit ipsius sententia de Incarnatione Dei ?

1° Cum Suarezio et S. Laurentio Justiniano affirmat Deum diligere Mariam plus quam omnes angelos et homines.

2° In sermone de Annuntiatione sua facit verba quæ tribuit S. Bernardo (serm. VII in Salve Regina) : « Propter hanc (Mariam) totus mundus factus est. »

3° In sermone de Nativitate Viginis prædicat Mariam fuisse mediatricem pro angelis quoad gratiam essentialem.

4° In sermone de Immac. Conceptione super hoc : *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam :* fuit vere primogenita vel quia fuit prædestinata simul cum Filio in decreto divino omnium creaturarum prima, ut dicunt Scotistæ ; vel quia fuit prædestinata ut esset Mater Redemptoris, post prævisum peccatum, ut volunt Thomistæ qui insimul cum Scotistis proclamant Mariam Primogenitam Dei. »

Si quæris autem quibuscum Thomistis vel Scotistis senserit S. Doctor, audi ipsius verba : « Quando opinio quædam adest quæ majore afficit Mariam honore et non ad-

versatur articulis fidei, S^æ Ecclesiæ decretis et veritati, si non teneas illam si illi contradicas quamvis contraria opinio esset vera, devotione cares in Matrem Dei. Inter istos parvæ devotionis homines nolo numerari nec te invenire, benigne lector ; sed potius inveniamur inter eos devotissimos qui tenent et firmiter credunt quodcumque sine errore asseri potest de potentia et excellentia matris Dei et, ut dicit Rupertus abbas, ego Mariæ magnalia firmiter credere volo... »

Nemo non videt quod sententia quæ tribuit Christo Primatum sit gloriosior et excellentior quoad Virginem Mariam et quod hæc sententia non possit erronea dici. Ergo S. Doctor cum propugnantibus Primatum Christi sentit.

N.-B. — *Omnes theologi scotistæ citandi essent. Ego autem muneri impar, quosdam tantum scriptores eccelesiaticos sæculi elapsi notabo.*

DONOSO CORTÈS (Essai sur le catholicisme, livre III, p. 457) : « L'Homme-Dieu est la solution de tous les problèmes... le confluent de tous les ordres : l'ordre divin, l'ordre universel, l'ordre humain ; la clef de tous les mystères... Celui que vénèrent et le chœur des peuples et le chœur de Anges, l'Alpha et l'Oméga de la création. » (Cité par l'abbé L. Leroy, philosophie chrétienne de l'histoire.)

DE MAISTRE (Sur les sacrifices. Chap. III) : « Y a-t-il quelque chose de plus certain que cette proposition : Tout a été fait pour le Verbe Incarné ? Est-ce que Platon lui-même n'enseigne pas que le Grand Roi est au milieu des choses et que toutes ont été faites pour lui ? » Ep. II ad Dyonis.) (Cité par l'abbé L. Leroy).

RORHBACHER (Histoire de l'Eglise, t. I) : « Tout est pour Jésus-Christ ; c'est pour Lui que Dieu a tout fait, jusqu'à l'oiseau des bois. » (Cité par l'abbé Leroy.)

HENRION (Histoire de l'Eglise, t. I, liv. I) : « L'Être infiniment parfait a tout créé pour la gloire qu'Il retire de son Église en Jésus-Christ.» (Cité par l'abbé L. Leroy.)

Blanc (Introduction à l'Étude de l'Histoire de l'Église) : « Aussi, selon l'Apôtre, c'est en Jésus-Christ et pour Jésus-Christ que tout a été créé ; Il est la fin, le type et le modèle, nous dirons presque le moule de la création. » (Cité par L. Leroy.)

Mgr Bertaud, cardinal Pie, Mgr Gay, Card. Capecelatro, etc.

Mgr Bougaud, Ev. de Laval. (Le christianisme et les temps présents, t. III. — Les dogmes du *Credo*.) Epilogue: Le Christ II «... Dans le dessein éternel de la création le premier que Dieu a vu et décrété, c'est le Verbe Incarné. Le premier aspect sous lequel s'est montré à lui l'ensemble des êtres, a été la nature créée unie à une personne divine. Et trouvant en elle une beauté digne de Dieu, c'est par là, pour ainsi dire, que s'est effectué le passage du Créateur aux créatures. Ç'a été le pont jeté entre l'infini et le fini.

» Et non seulement cette créature, la première née de toutes les autres, cette sainte Humanité a été la première en date et en beauté, mais elle a été la cause de toutes les autres, la raison, le type et l'exemplaire de tous les êtres créés.

» Écoutons S. Paul développant dans toutes ses Épîtres cette admirable doctrine...

» Ainsi avant la constitution du monde, avant son organisation matérielle, Dieu a vu les âmes, pour lesquelles il allait organiser le monde ; et comment les a-t-il vues ? *In ipso*, en Jésus-Christ. Jésus-Christ toujours le premier; tout vient de Lui et tout se fait en vue de Lui.

» Et après nous avoir donné en Lui la vie naturelle... s'élevant plus haut, c'est par Lui, *per Jesum Christum*, c'est en Lui qu'Il nous a donné la vie surnaturelle....

» Et tout cela n'est pas venu peu à peu, successivement; c'est le plan primitif, le plan éternel.

» III... Et c'est pour cela que le Verbe s'est incarné afin qu'en Lui, les créatures aient la vie... cela étant, nul évidemment ni au ciel, ni sur la terre, ni avant la venue de

Jésus-Christ, ni après, ne peut avoir la vie qu'à une seule condition, qui est de communier à Jésus-Christ. Il n'est pas seulement le principe de leur existence ; il est le principe nécessaire de leur vie.

» Voilà pourquoi, quand les anges eurent été créés, bien que le mystère de l'Incarnation ne dût s'accomplir que dans des milliards d'années peut-être, Dieu le leur montra ; et pour condition de leur introduction dans la gloire il leur demanda de le reconnaître et de l'adorer...

» IV. S. Paul nous enseigne que quand Dieu créait l'homme, comme un artiste qui fixe ses yeux et son cœur sur un idéal qui le ravit, il regardait Jésus-Christ : *Adæ qui est forma futuri.* »

Prædicta vero argumenta auctoritatis, scilicet Scripturæ, Patrum, scriptorum ecclesiasticorum et theologorum firmiora et inconcussa videbuntur suo momento verba Sum. Pontificum Pii IX et Pii X ponderanti.

Etenim Pius IX P. M. per breve diei 14 junii 1862 ad Ludovicum Leroy sic rescripsit : « Litteras tuas obsequentissimas una cum libris a te editis de Regno Dei in potentia, missione et lapsu Imperiorum quos Nobis dono misisti, libentissime accepimus, et nedum officium tuum erga nos, sed et consilium animi, quo opus illud conscripsisti egregie commendamus (1)... Utinam omnes intelligerent (quod Job edocebat Dominum esse qui *multiplicat gentes, et perdit eas et subversas in integrum restituit* Job, XII, 23), eumque Christo, filio suo dixisse : *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (Ps. 2), ita ut vices populorum omnium a divina gubernatione, OMNIAQUE AD CHRISTUM REFERANTUR. »

Pius etiam X Pontifex Maximus multoties suam mentem aperuit de Primatu Christi. Etenim ad impugnandam pestiferam hæresim, quæ prædicat hominem Dei

1. Le Règne de Dieu dans la grandeur, la mission et la chute des empires, ou les empires POUR LE CHRIST ET L'EGLISE, par M. l'abbé Louis Leroy, Paris, 1864.

imperio et potestati nullo modo subjectum, in Gallia hisce proxime elapsis annis pervulgatus fuit Primatus Christi, qui in pretiuncula ita prædicatur.

« O Christ-Jésus, je vous reconnais pour Roi universel. Tout ce qui a été créé a été fait *pour vous*. Exercez sur moi tous vos droits.

» Je renouvelle mes promesses du Baptême en renonçant à Satan, à ses pompes et à ses œuvres, et je promets de vivre en bon chrétien.

» Divin Cœur de Jesus, je vous offre cette journée pour obtenir que tous les cœurs reconnaissent votre Royauté sacrée. »

Omnibus Christi fidelibus hanc pretiunculam recitantibus SS. Papa Pius X 300 dierum indulgentias concessit die 6ª augusti an. 1906.

Die autem 11ª ejusdem mensis Illust. et Reverendissimus D. Archiepiscopus Turonensis humiliter petivit an in tot et tantis ærumnis huic doctrinæ propagandæ studendum esset :

TRÈS SAINT-PÈRE,

Daignez me permettre d'exposer à votre Sainteté ce qui se fait sur plusieurs points de mon diocèse avec mon approbation. J'ai cru entrer dans l'esprit de Votre Lettre Encyclique et promouvoir la gloire de Marie Immaculée en invitant les communautés religieuses de mon diocèse à consacrer les mérites d'un jour par semaine à l'effet d'obtenir le triomphe de la Royauté universelle du Christ.

A toutes les attaques dirigées contre la Religion il n'est possible de répondre efficacement que par l'affirmation des droits de N.-S. Jésus-Christ. C'est là ce que font les communautés religieuses en lisant au chœur après la messe de communion la formule suivante :

« O Christ-Jésus, je vous reconnais pour Roi universel. Tout ce qui a été créé a été fait pour vous. Exercez sur moi tous vos droits.

» Je renouvelle mes promesses du baptême en renonçant à Satan, à ses pompes et à ses œuvres, et je promets de vivre en bon chrétien.

» Divin Cœur de Jésus, je vous offre cette journée pour obtenir que tous les cœurs reconnaissent votre Royauté sacrée. »

Si votre Sainteté trouve que cette reconnaissance précise des droits de Notre-Seigneur puisse être de quelque secours dans les circonstances actuelles, j'ose la supplier humblement de donner à cette pratique un encouragement afin que le mouvement s'étende à toutes les communautés et aussi, autant que possible, à tous les fidèles.

RENÉ-FRANÇOIS, *arch. de Tours.*

SS. PP. Pius X ita subscripsit :

« Venerabilem fratrem Archiepiscopum Turonensem ob præclara opera instituta enixe laudamus et ipsi cunctisque adjutoribus apostolicam Benedictionem peramanter impertimus. »

PIUS P. P. X.

RECAPITULATIO

Ex supradictis hæc concludenda sunt : 1° Patres, scriptores ecclesiastici et concilia, *directè* vel *indirectè* propugnant Primatum Christi et, si qua sunt in ipsorum dictis quæ videntur contraria, vel explanantur ex contextu vel explicantur, distinctione Incarnationis in carne passibili vel impassibili admissa, quam profert ipse S. Thomas.

2° Ævo scolastico, scriptores ecclesiastici duodecimi sæculi vel prædicant Primatum vel saltem ipsi favent, quem principes theologi, Alexander Alensis et B. Albertus Magnus propugnant.

3° Novatorie ergo SS. Bonaventura et Thomas, specie auctoritatis non satis elucidatæ ducti, Primatum impugnaverunt.

4° S. vero Thomas, quem antesignanum suæ senten-

tiæ Primatûs adversarii fecerunt, multa dicit de capitatione Christi et de gratificatione angelorum, ex quibus concludendum esset Christum esse priorem omnibus creaturis in decretis divinis.

5° Ut explanentur hæc asserta, quæ videntur contradictoria, multipliciter respondent sectatores Doctoris angelici ; vel negant contra ipsius mentem lucidissimam angelos a Christo accepisse gratiam vel inconciliabilia conantur conciliare, ducibus Cajetano et Suarezio.

6° Defensoribus S. Thomæ sententiæ de motivo Incarnationis quædam loca Scripturarum, ex quibus maximi momenti objecta eruuntur, contra sententiam Patrum interpretanda sunt.

7° Denique semper fuerunt multi propugnatores Primatûs Christi qui luculenter ex Scriptura eruitur et expressis verbis ibi affirmatur (Prov. VIII, 22), ut uno ore Patres conclamant adversus Arianorum hæresim. Quem Primatum et prædicant Pius IX et Pius X Pontifices Maximi.

CAPUT VII

De iis quæ ex Primatu Christi consequantur.

Tantummodo summas attingens eorum quæ, posita doctrina, sint consequentia hæc quam paucissimis verbis absolvam.

1° Gloria Christi : In commendando Christum malo excedere quam deficere. Ipsius Primatu concesso, Christus est causa meritoria donorum naturalium et supernaturalium quoad homines et quoad angelos, et proinde ejus gloria eminentior splendescit, dum in adversa doctrina Christus sit causa meritoria donorum tantum supernaturalium et hoc tantum quoad hominem lapsum.

2° Gloriæ Mariæ immaculatæ. Ab omni quocumque *debito* evadit immunis gloriosa Maria Virgo. Multum sudant et etiam inter se tumultuantur theologi in definiendo hoc debito. Vide Mazella, de Deo Creante disp. 5 art. 10. — Suarez de vitiis et peccatis disp. 9, sect. 4, n° 10. — Wirceburgenses, etc.

Nulla vero adest difficultas, si cum Scripturâ et Patribus Primatum Christi admittas. Etenim Christi ab æterno decreti petitiones prævisæ a Patre exaudiuntur (1).

1. In utrâque opinione omnes gratiæ homini post lapsum propter merita Christi prævisa elargiuntur.

Ita Olier in opusculo suo *correcto : Vie intérieure de la Sainte Vierge*, chap. I, édition 1875 : « C'est pourquoi, dans la plénitude des temps, lorsqu'il (Dieu) aura donné l'être à la Sainte Epouse, il lui montrera l'économie de ses desseins sur chaque âme ; et elle les agréera expressément. Quelque vastes que soient ces desseins de Dieu, Marie... les connaîtra clairement... et (Dieu) tirera d'elle son consentement et son agrément sur toutes choses. »

Petit Christus primo Mariam matrem suam, deinde Angelos et tandem Adam cum hominibus : « Postula a me et dabo tibi gentes in hæreditem. » Maria nullo modo alligata fuit voluntati Adam et proinde nulli debito obnoxia.

Non est solida ratio ut denegetur hoc privilegium Beatæ Mariæ. Non 1°, quod dicitur : omnes in Adam peccavisse. Valeret enim et contra privilegium immaculatæ Conceptionis. Non 2°, verba Alexandrii VII (const. sollicitudo) quæ et reperiuntur in Definitione Dogmatica Ineffabilis: « Definimus doctrinam quæ tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio *intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis* ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem etc. »

Etenim in nostro loquendi modo, omnia merita Christi terminantur in ejus Passione et morte, et proinde omnes gratiæ profluere dicuntur ex Redemptione. Maria gratias quibus donata fuit accepit vere intuitu meritorum Christi. Et si vis illam redemptam, redempta sit ut Angeli ipsi dicuntur redempti. Et ita hoc verbum : « Ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem » intelligas. Omnis enim pura creatura, propriis viribus innixa, non potest non corruere, et hoc sensu dici potest quod Maria præservata fuerit ob omni labe quâ maculari debuisset nisi Christus suis meritis sanctitatem et perseverantiam singulis momentis ei obtinuisset. Non autem labe ex primo parente profluente infici poterat.

Quod ita hæc intelligenda sint probant multa alia verba quæ in Definitione *Ineffabilis* inseruntur : « Atque hæc quidem doctrina adeo majorum mentes, animosque occupavit ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus quo Deiparam sæpissime compellarunt immaculatam... quæ solo Deo excepto, extitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim et omni exercitu angelorum *natura pulchrior*, *formosior*, *sanctior*, cui

prædicandæ cœlestes et terrenæ linguæ minime sufficiunt.» Sed Maria nequaquam esset *natura sanctior* omni exercitu angelorum, si natura ipsius obnoxia esset *debito* culpæ originalis. Nullum enim debitum invenitur in natura angelica quæ tamen pæservata ab omni peccati labe, sensu quo superius, dici potest.

« Ad hanc eamdem divinorum munerum veluti summam originalemque Virginis de quâ natus est Jesu integritatem describendam iidem (Patres) Prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam Augustam Virginem concebrarunt ac uti... Reginam illam quæ deliciis affluens et innixa super Dilectum suum ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo et nullo unquam labis nævo maculata. » (Sic Ineffabilis.)

Innixa super Dilectum et nullo modo super Adamum ; alligata ergo non Adami voluntati sed Christi. Ex ore i.e. ex decreto ; ergo independens a decreto Adami dicenda Maria.

Quod confirmatur ex aliis verbis Bullæ *Ineffabilis* : « Atque idcirco vel ipsissima verba quibus divinæ Scripturæ de increata Sapientia loquuntur ejusque sempiternas repræsentant origines, consuevit (Ecclesia) tum in ecclesiasticis officis, tum in sacrosancta liturgia adhibere et ad illius Virginis primordia transferre, quæ uno eodemque decreto cum divinæ Sapientiæ incarnatione fuerant præstitua. »

Christus ergo et Maria sunt objectum unius et ejusdem decreti. Ut ergo immunis Christus ab omni debito decretus fuit, ita et Maria.

3° Hæc nostra doctrina est responsio adæquata hæresi ubique grassanti i. e. liberalismo qui sive nominetur *separatio status civilis a statu ecclesiastico* seu *tolerantismus civilis in principium doctrinale* seu *instructio laicalis* quæ verius *irreligiosa*, unum voto certum petit finem qui est excidium imperii et regni Christi in statibus Christianis et in animabus. Nonne jam hunc finem adepta est

massonica turba quæ ubique exsultat et leges imponit nationibus et christianissimis? Hæc est hora tenebrarum. Monendæ sunt gentes quæ datæ sunt hæreditas Christo; hæc prædicanda doctrina ut in viam reducantur populi.

4° *Liberalismus* i. e. hæc plena quaslibet opiniones cogitationesque concipiendi et palam publiceque manifestandi potestas serpentino gressu in *modernismum* devenit, qui recapitulatio omnium hæresum nominatur et est revera. Si fas est autem hujus pestiferi et multiformis caput et fontem indicare erroris, in hoc invenitur quod fides non sit *ex auditu* sed ex *immanentia vitali*. Inde vastissimæ et illamentatæ ruinæ.

Jam vero, si Christus prædicatur caput angelorum et hominum, ut etiam fons omnium bonorum, ab ipso omnia bona exspectare, ab ipso debemus quærere quid credendum et quid faciendum...

5° Sic intelligere est quod sancti Patres passim affirment Angelos et homines ad eamdem pertinere Ecclesiam. Etenim si Angeli et homines pro Christo facti sunt, Angeli et homines unum et idem corpus efficiunt cujus caput est Christus; quod difficile intellectu in aliena doctrina.

6° Ita inseparabili connexione Christum hominemque conjungere est. Si commercium Verbi cum humanitate seu Incarnatio peccato adscribenda esset, societas hominis et Christi quid accidentale esset. Etenim dempto peccato, non fuisset Incarnatio; quæ ergo accidentalis ut et peccatum. Dum in Primatûs doctrina, commercium hominis cum Christo quid fundamentale evadit, cum homo ad Christum creatus, in Christo suum habeat principium et finem.

Adde quod omnia in nobis ad Christum referenda sunt et dona naturalia et supernaturalia dum omnia ab eo i. e. ipsius causa et propter ipsius prævisa merita accepimus. Revera ergo: « *Omnia et in omnibus Christus* » (Col. III. II.)

INDEX SS. PATRUM ET SCRIPTORUM

QUI DUODECIM PRIMIS SÆCULIS DE PRIMATU CHRISTI DIRECTÈ VEL INDIRECTÈ EGERUNT ET QUI HIC CITANTUR.

1. Numerus inter ( ) indicat annum obitûs. Si duplex est numerus inter ( ), primus annum nativitatis, secundus obitûs notat. Sequentes vero numeri paginam indicant.

INDEX AUCTORUM

QUI AB ÆVO SCOLASTICO DE PRIMATU CHRISTI EGERUNT ET QUI HIC CITANTUR :

INDEX

QUÆSTIONUM DISCUSSARUM

MP. DESCLÉE, DE BROUWER ET Cie, LILLE. — 5.992.